UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In quâ tractatur de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, ac Sacrificio Missæ, ...

Bosco, Jean a

Lovanii, 1667

Disputatio V. De Sacrificio Missæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-73377

Visual Library

DISPUTATIO V.
DE
SACRIFICIO MISSÆ.

SI quid est in rebus humanis planè divinum, quod nobis superni cives (si in eos invidia caderet) invidere possent, id certè est Sacrosanctum Missæ Sacrificium, cujus beneficio fit, ut homines quâdam anticipatione possideant in terris cælum, dum ante oculos habent & manibus contrectant ipsum cæli terræque Conditorem. De hoc itaque diviniſſimo Sacrificio Missæ disputaturus, incipiendum duxi à vocibus. 1.

Missa, vox antiquissima & usitatissima in Ecclesia Latina, sic dicta, quasi *Missio*: vel quia in illa mittitur ad nos Christus; vel quia mittitur oblatio à nobis ad Deum: vel quia in illa dimittitur populus. Unde quoniam completo Symbolo dimittebantur Catechumeni, pars illa dicebatur Missa Catechumenorum. Et verò completo Sacrificio dimittuntur fideles baptizati, dum dicitur: *Ite missa est.* *Quid vox Missa importet,*

Porrò quamvis à *Missione Missa* dicatur; equidem non eam solam significat, sed traductum est indè vocabulum ad alia significanda. Sunt igitur quinque *Missæ* acceptiones apud Scriptores Ecclesiasticos, quas vide apud Bellarminum lib. 5. de Eucharistia cap. 1. Communissima & receptissima hodie est, in qua significat totam celebrationem divini Officii, in quo Eucharistia consecratur. *Bellarm.*

Hinc quando quæritur, an Missa sit Sacrificium, sensus quæstionis est: Utrùm actio illa sacra, in qua conficitur Eucharistia, multis præcedentibus & sequentibus precibus & ceremoniis sit Sacrificium. Nec intelligitur quæstio esse, an singuli ritus sint de essentia Sacrificii, sed solùm, an inter illos ritus sit aliquis, qui propriè Sacrificium dici debeat, ad quem reliqui omnes referantur.

Explicuimus vocabulum *Missa*; sequitur explicanda vox *Sacrificium*, in qua non est quærenda Etymologia, aut vulgaris aliqua significatio, quæ notissima sunt; sed quid propriè significet, id est, quid propriè sit Sacrificium, sive quæ sit ejus natura & definitio: in hac enim re non pauci falluntur. Erit ergo *& quid Sacrificium.*

SECTIO PRIMA.

De Natura & essentia Sacrificii.

2. Sacrificium metaphoricè accipitur pro quolibet opere bono. *Psal. 4. 1 sal. 50. Hebr. ult.*

SAcrificium in Scriptura dupliciter sumitur: Primò impropriè & metaphoricè pro quolibet opere bono, ut Psal. 4 v. 6. *Sacrificate Sacrificium iustitiæ.* Psal. 50. v. 19. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.* Ad Hebræos ultimo v. 16. *Beneficentiæ autem & Communionis, nolite obliviſci: talibus enim hostiis promeretur Deus.* 1. Pet. 2. v. 5. *Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum.* Apoc. 5. v. 10. *Et fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes & regnabimus super terram.* Et aliis pluribus locis.

1. Petri 2.

Apocal. 5.

De hoc Sacrificio exponitur D. Augustinus.

Quæ utique maturiùs expendens Divus Augustinus lib. 10. de Civit. cap. 6. sic incipit dicere: *Proinde verum Sacrificium est, omne opus, quod agitur, ut sanctâ societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.* Ubi Sanctus Doctor non definit Sacrificium in genere, nec Sacrificium propriè dictum, sed Sacrificium præcipuè internum, quod opponitur Sacrificiis legalibus, & merè externis. Et vocat Sacrificium verum ratione dignitatis & ratione effectûs, non ratione formæ & essentiæ Sacrificii propriè dicti. Non enim vult dicere Sacrificia interna esse magis propriè dicta Sacrificia, quàm externa, cùm oppositum sit verum; sed esse præstantiora & Deo gratiora, & faciliùs Deum placare.

3. Expositio probatur à similit. *Ioan. 15.*

Similis sententia habetur Joan. 15. v. 1. *Ego sum vitis vera.* Nec enim Dominus eò loci significare volebat, se magis propriè esse vitem, quod attinet ad formam & essentiam vitis, quàm sit illa, quæ plantatur in vineis: sed solum esse vitem nobiliorem, & effectus excellentiores producere; ut notat & explicat idem Augustinus ad eundem locum Tract. 80. in Joan. dicens: *Quid ergo est* Ego sum vitis vera? *Numquid addens* vera, *hoc ad eam vitem rettulit, unde ista similitudo translata est? Sic enim dicitur* vitis *per similitudinem, non per proprietatem: quemadmodum dicitur* ovis, agnus, leo, petra, lapis angularis, *& cetera hujusmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus dicuntur istæ similitudines, non proprietates. Sed cum dicit;* Ego sum vitis vera, *ab illa se utique discernit cui dicitur:* Quomodo conversa es in amaritudinem vitis aliena? *Nam quo pacto est vitis vera, quæ expectata est, ut faceret uvas, fecit autem spinas?*

S. Aug.

Ad hunc planè modum D. Augustinus suprà lib. 10. de Civit. utitur illis vocibus, *verum Sacrificium*, ut significet non quidem proprietatem condistinctam à metaphora, sed vel præstantiam, vel virtutem illius metaphorici Sacrificii ad placandum Deum; vel veritatem & [illegible]tem, oppositam falsitati, & impietati, qu[illegible] in Sacrificiis, quæ Idolis offeruntur, [illegible]adò ergo accipitur Sacrificium propriè pro [illegible]o actu Religionis, quo supremum cultum soli Deo debitum exhibemus. Quomodo plerumque usurpatur in Scriptura atque etiam apud prophanos Scriptores, præsertim quando ponitur absque addito. Quis enim audiens vel legens Petrum v. g. sacrificasse, quis, inquam, apprehendet Petrum eleëmosynam dedisse, aut Deum devotè rogasse, aut jejunasse &c. & non potiùs specialem aliquem cultum Deo exhibuisse?

4. Sacrificium propriè ac [illegible] Religionis.

Porrò Hæretici, ut faciliùs rationem Sacrificii à Missa excludant, has acceptiones Sacrificii confundunt, nullam agnoscentes rationem Sacrificii magis propriam, quàm quâ quodlibet opus bonum dicitur Sacrificium. Sed confundit [illegible] Scriptura, variis locis evidenter opponen[illegible]crificium bonis operibus. Primi Regum 15. v. 22. *Melior est obedientia quàm victima.* Oseæ 6. v. 6. *Misericordiam volui, & non Sacrificium.* Psal. 50. v. 18. *Quoniam si voluisses Sacrificium dedissem utique: holocaustis non delectaberis.* Et sequitur v. 19. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non desp[illegible].* Si enim Sacrificium contriti cordis, quod Deus numquam despicit, propriè Sacrificium esset, quomodo potuisset ab eo dici, Deum nolle Sacrificia, & holocaustis non delectari? Affirmat ergo Propheta, Sacrificia exteriora, quæ propriè & absolutè sunt Sacrificia, per se non esse æquè grata, atque interna, præsertim si fiant cum mala voluntate.

Hinc appositè Divus Augustinus lib. 10. de Civit. cap. 5. *Intueamur*, inquit, *quemadmodum ubi Deum dixit nolle Sacrificium, ibi Deum ostendit velle Sacrificium. Non vult ergo Sacrificium trucidati pecoris, sed vult Sacrificium contriti cordis.* Et infrà: *Ac per hoc ubi scriptum est:* Misericordiam magis volo, quàm Sacrificium; *nihil aliud quàm Sacrificio Sacrificium prælatum oportet intelligi: quoniam illud quod ab hominibus appellatur Sacrificium, signum est veri Sacrificii. Porrò autem misericordia verum Sacrificium est.* Verum, inquam, in effectu, non in proprietate.

Unde, attexit, *dictum est. . . . . Talibus enim Sacrificiis placatur Deus*, id est, bonis operi-

peribus in Deo factis : non autem nudis ceremoniis externis, quæ tamen propriè & sine addito ab hominibus vocantur Sacrificium ; nec tantùm ab hominibus, sed etiam ab ipso Spiritu Sancto per totum librum Levitici ac Numerorum, & alibi sæpissimè.

Et de hoc Sacrificio propriè dicto, quæritur primò quid sit ? Varii varias ejus definitiones construxerunt, quas refert & impugnat Vasquez disp. 220. nobis hæc placet :

CONCLUSIO I.

Sacrificium propriè dictum est immutatio rei sensibilis, legitimè instituta in protestationem summi Dominii Dei in vitam & mortem.

6. Sacrificium propriè dictum est actus Religionis,

HÆc descriptio convenit omnibus, quæ constat esse, vel aliquando fuisse propriè dicta Sacrificia, & nullis aliis. Ex ea autem sequitur, quòd Sacrificium sit actus Religionis : etenim Religio est virtus, inclinans creaturam intellectualem ad exhibendum cultum tamquam debitum Deo ob infinitam excellentiam, & omnium ab eo dependentiam, ut à primo principio. Cultus verò est actus internus vel externus, qui assumitur in signum summæ Dei excellentiæ, & nostræ subjectionis.

Quæris, Sacrificium qualis sit actus, internus vel externus ? Esse externum, satìs significat prima pars definitionis, & omnes supponunt. Oportet autem considerare externum Dei cultum interdum fieri per puros actus externos, interdum aliquibus etiam rebus. Puros actus externos voco, qui consistunt solùm in aliquo motu vel actione hominis, & in ea perficiuntur & consummantur absque aliqua re externa, circa quam versentur, ut sunt genuflexio, oratio vocalis & similes. Res verò appello quascumque res permanentes, quæ licèt non possint in Dei cultum cedere, nisi mediâ aliquâ actione hominis ; attamen quia ille fit per usum, seu exhibitionem talium rerum, ideo dicitur fieri per ipsas res, ut distinguatur à priori modo cultûs.

immutatio aliquam rem sensibilem

Hujusmodi ergo actio, quâ ita utimur aliquâre permanente ad significandam nostram subjectionem & summam Dei excellentiam, dicitur propriè oblatio talis rei facta in cultum ejus. Sic olim decimæ, primitiæ, primogeniti &c. offerebantur ; equidem non sacrificabantur. Quare ? Quia Sacrificium est oblatio, quâ res aliqua immutatur, id est, destruitur ex parte, vel ex toto.

7. Enimverò per Sacrificium, ut patet ex secunda parte definitionis, protestamur Deum habere dominium in vitam & mortem, ita ut pro libitu possit omnia immutare : hoc autem accommodatiùs fieri non potest, quàm per alicujus rei immutationem. Sic in omnibus priùs institutis Sacrificiis, res oblata semper, saltem ex parte, immutabatur, ut patet in oblationibus pecudum, quæ occidebantur, vini, quod in terram effundebatur, similæ, quæ adurebatur, panis, qui frangebatur in frusta, thuris, quod adolebatur, tritici, quod conterebatur, manipuli spicarum, qui torrebatur &c.

in protestationem summi Dominii Dei in vitam & mortem.

Cæterùm cùm rei destructæ semper succedat nova ; si res producta erat dignior, aut Deus per illam magìs intendebat honorari, Sacrificium, sive potiùs hostia Sacrificii, consistebat in re producta : sic in oblatione thuris potiùs sacrificabatur suffitus, in quem thus per concremationem convertebatur, quàm ipsum thus. Sin verò Deus intendebat magìs honorari re, quæ destruebatur, utpote perfectiori, ipsa censebatur hostia Sacrificii, ut contingebat in occisione animalium, quia animal est perfectius cadavere.

8. Hæc immutatio non defuit Sacrificio Melchisedech.

Neque putandum est, hanc immutationem defuisse Sacrificio Melchisedech (quidquid aliqui dixerint) eò quòd Scriptura illam non referat ; quippe est argumentum ab authoritate negativa. Potuit facilè aliquam partem panis adussisse vel fregisse, partemque vini effudisse, etsi Scriptura expresè hoc non referat ; præsertim cùm Scriptura non intendat referre modum, quo oblatio ista facta est, fortè quia res adeò erat nota, non potuisse videlicet sacrificari sine destructione, saltem alicujus partis, ut non necesse fuerit illud explicare, sed potuerit relinqui ut res evidens.

Quod ad panes propositionis attinet, non constat ex Scriptura, quòd oblatio, quæ fiebat de illis, fuerit verum Sacrificium. Porrò de aliis Sacrificiis, quæ fiebant ex farina, vel massa, planum est ex Levitici 2. semper aliquam eorum partem debuisse comburi, quod ibi v. 9. appellatur, *Adoleri super altare.* Vinum item offerebatur, ut condimentum alterius Sacrificii, quod comburebatur vel destruebatur, & sic jam pertinebat ad illud totum, quod destruebatur : vel si seorsim offerebatur, effundebatur saltem quoad partem, & per hoc jam totum censebatur oblatum & sacrificatum, sicut per hoc, quod adoleretur pars farinæ vel panis, censebatur totus panis sacrificatus.

nec aliis veteris legis Sacrificiis.

9. Sacrificium distinguitur ab aliis cultibus.

Ex his patet distinctio Sacrificii à reliquis cultibus, tam internis, quàm externis, devotione, oratione, adoratione, oblatione primitiarum & donorum, oblatione decimarum, voto, juramento, adjuratione, laude & gratiarum actione.

Excludun-

Facilè etiam excluditur à definitione Sa-

tur à ratione Sacrificii accensio candelarum,

crificii accensio candelarum ; quia videlicet illa accensio non fit ad protestandum summum Dei Dominium in vitam & mortem, sed ad decorandum cultum divinum, ad testificandum gaudium populi Christiani de divinis mysteriis, ad significandum adventum Christi, qui est lux vera illuminans omnem hominem &c.

& thurificatio

Eadem est ratio, quare thurificationes, quæ fiunt in Ecclesia, non sint Sacrificia : quoniam solùm adhibentur ad celebritatem officii, ut nos excitent ad fervorem charitatis & devotionis ; ut sicut incensum ascendit coram Domino in odorem suavitatis, ita & preces nostræ ascendant.

Trident.

Appositè Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 5. (cujus titulus est : *De solemnibus Missæ Sacrificii ceremoniis*) sic inquit : *Ceremonias adhibuit* Ecclesia, *ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes aliaq; id genus multa, ... quo & majestas tanti Sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia Religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.*

10.

Interim sicut olim incensio thuris erat vera sacrificatio, ita & hodie posset esse, si legitimâ auctoritate institueretur ad protestandum summum Dei Dominium in vitam & mortem.

quæ & similia possent esse Sacrificia, si ad hoc instituerentur,

Etenim quòd aliqua actio sit Sacrificium vel non, maximè pendet à voluntate Dei vel hominum. Quippe sicuti voces absque ulla proportione naturali ad res significandas, fuerunt impositæ ad illas significandas, ita quælibet res posset à Deo vel hominibus institui ad significandum prædictum Dominium. Quamquam aptiùs & congruentiùs instituantur res, quæ aliquam ad id habent proportionem naturalem : maximam autem habent, ut superiùs jndicavi, actio immutativa rei, quæ sacrificatur, ita ut fiat illius rei consumptio seu destructio, vel talis immutatio, quæ ad consumptionem rei ordinetur : hoc enim mutationis genus maximè aptum esse videtur ad denotandum nos ipsos, aliamve rem quamcumque ita à Deo pro nutu & voluntate suâ destrui posse, sicuti res illa à nobis in Sacrificium Deo oblata, prædicto modo immutatur.

11. etiam ab hominibus,

Dixi signanter, *Dei vel hominum* : quia per se loquendo posset Respublica ejusmodi oblationem ac rem sacrificandam determinare, cùm ad eam spectet signa communia instituere.

nisi Deus hanc potestatem sibi reservasset.

Dubitas, an Deus reservaverit sibi hanc potestatem ? Consule antiquum Testamentum, in quo Israëlitis præscripsit determinata Sacrificia, eorumque ritus. Consule novum Testamentum, in quo per se instituit unicum Sacrificium, quo coli vellet.

12. An Sacrificia Ethnicorum,

Quærit autem aliquis, an ergo Sacrificia Ethnicorum, quæ constat à Deo non fuisse instituta, caruerint essentiâ veri Sacrificii. Similiter an nunc offerentes Deo vero abrogata Sacrificia veteris legis, vel nova, quæ ab hominibus contra prohibitionem Dei instituerentur, verè offerant Sacrificium.

Contra fundamentum veri Sacrificii

Respondeo, controversiam magnâ ex parte esse vocis, non rei. Certum est Sacrificia Ethnicorum ab omnibus Scriptoribus, tam Ecclesiasticis, quàm prophanis, appellari Sacrificia, estò à Deo non fuerint instituta, nec vero Deo oblata, & ideo indubiè illicita : sed aliud est Sacrificium esse illicitum, aliud non esse verum Sacrificium. Quis namque ambigit Sacrificium Missæ ex multis capitibus posse esse illicitum, quamvis semper sit verum ?

Aliud est Sacrificium aliquod esse illicitum, aliud non esse verum Sacrificium.

Sic ergo ex eo præcisè, quòd cætera Sacrificia, præter Eucharisticum, in lege nova sint prohibita & illicita, non desinent esse verum Sacrificium : nam adhuc erunt signa ad placitum hominum (quæ Deus non irritavit) ibus per immutationem & destructionem rei protestentur Deum Auctorem vitæ & mortis.

Quæ sit propria & essentialis ratio Sacrificii.

Porrò Sacrificium essentialiter consistit in ratione hujusmodi signi ; neque ullam aliam significationem requirit, etsi possit adesse, ut patet in Sacrificiis Mosaicis, & Sacrificio novæ legis, quæ insuper significant Sacrificium cruentum à Christo oblatum in ara crucis. Immo videtur omne Sacrificium, post lapsum Adæ vero Deo oblatum, fuisse signum ejusdem cruenti Sacrificii. Quòd autem illa significatio non sit de essentia Sacrificii ingenere, ipsum cruentum Sacrificium est manifesta probatio.

13. Objectio.

Dices : non est verum Sacrificium, quod non offertur vero Deo ; atqui Sacrificia Ethnicorum non offeruntur vero Deo : ergo non sunt vera Sacrificia. Major, in qua sola est difficultas, probatur : quia Sacrificium, quod offertur falso Deo, non est verum signum ; significat enim excellentiam increatam in eo, in quo non est.

Solutio. Iago.

Respondeo cum Lugone disp. 19. n. 13. non est verum signum, veritate transcendentali & essentiali, Nego ; non est verum veritate formali, Concedo. Aliud enim est, quòd sit verum signum, id est, habens ea, quæ verè requiruntur ad significandum, aliud quòd significet verè, id est, quòd ea, quæ significat, ita sint à parte rei ; potest enim aliquid esse verè & essentialiter signum, & tamen significare aliquid falsum, sicut hæ voces : *Antichristus existit*, verè significant Antichristum existere ; alioquin non esset verè propositio, sed tamen est propositio falsa ; quia id, quod significat, non ita se habet à parte rei. Ita Sacrificium verè significat, illum, cui offertur, habere excellentiã ; si tamen illa excellentia non sit prout ibi significatur, significabitur falsò. Habet igitur tunc Sacrificium veritatem transcendentalem

Potest dari quid essentialiter signum, & tamen significans falsum.

talem & essentialem Sacrificii, non tamen veritatem formalem, quæ consistit in conformitate cum re significata.

14. Probatur à simili.

Confirmatur à simili: Sacrificium oblatum à vero Deo, sine animo colendi ipsum, esset essentialiter Sacrificium; quia esset signum significans illam voluntatem internam, licèt ob defectum voluntatis non haberet veritatem formalem in significando, sed solùm transcendentalem, & ideo meritò posset appellari Sacrificium fictum: sicuti illud, quod offertur Deo falso, rectè vocatur Sacrificium falsum. Nihilominus utrumque est essentialiter Sacrificium, quia est signum institutum ad protestandum summum Dei Dominium in vitam & mortem; & supponit in objecto vel veram divinitatem, vel saltem apprehensam.

S. Aug.

Hinc eleganter Divus Augustinus Epistolâ 49. in responsione ad quæstionem 3. *Hoc sanè, nec in ista brevitate prætereundum est, quòd templum, Sacerdotem, Sacrificium, & alia quæcumque ad hæc pertinentia, nisi sum vero Deo debere noscent Dii falsi, hoc est, Dæmones, qui sunt prævaricatores Angeli, numquam hæc sibi à cultoribus suis, quos decipiunt, expetissent. Verùm hæc cùm exhibentur Deo secundùm eius inspirationem atque doctrinam, vera Religio est: cùm autem Dæmonibus secundùm eorum impiam superbiam, noxia superstitio.*

Quomodo ergo verum Sacrificium? Audi quod sequitur: *Quapropter qui Christianas litteras utriusque Testamenti sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibus Paganorum, quòd construant templa, & instituant Sacerdotia, & faciant Sacrificia, sed quòd hæc Idolis & Dæmoniis exhibeant.* Ergo secundùm Divum Augustinum Pagani faciunt Sacrificia, tametsi peccent, & quidem gravissimè, ea exhibendo Idolis & Dæmoniis.

11. An qui hodie ex ignorantia inculpabili offerret Sacrificium veteris legis, peccaret.

Sin autem exhibeant vero Deo, siquidem inculpabiliter ignorent Sacrificium novæ legis, abrogationem Sacrificiorum veteris legis, prohibitionem instituendi alia Sacrificia; quidni excusari debeant à peccato superstitionis, saltem formali?

Lessius videtur negare.

Lessius lib. 2. de Justitia cap. 38. n. 28. videtur etiam eos excusare à peccato materiali. Probat primò: quia offerre Sacrificium est legis naturæ; atqui non apparet illis alia ratio sacrificandi, quæ sit convenientior, quàm ea, quâ offertur aliquid ex animalibus, vel frugibus terræ: ergo &c. Secundò: in statu naturæ fuissent licita hujusmodi Sacrificia; quia non habuissent aptiora & congruentiora naturæ: cur non etiam modò sint licita apud Judæos & Japonios, cùm alia divinitùs instituta non habeant?

Resp. Resp.

Respondeo, habent institutum Sacrificium Eucharisticum; & quamvis illud nondum eis innotuerit, quid indè? Etiam Baptismus non innotuit, & alia Sacramenta legis novæ: ergo Circumcisio illis licet, aut remedium legis naturæ; Consequentia non valet. Ad summum sequitur, eos excusari à peccato formali; sicut excusarentur, qui invincibiliter putarent adhuc licitum viris contrahere matrimonium cum pluribus uxoribus, eò quòd nondum ipsis innotuerit lex revocatoria dispensationis divinæ in veteri lege.

16. Cæremoniæ veteris legis hodie sunt mortiferæ, si usurpentur ut præceptæ.

Liquet profectò, tametsi multis annis post promulgationem novæ legis, factam Jerosolymis in Pentecoste, legalium usus licitus & utilis fuerit; modò tamen post divulgationem novæ legis per præcipuas orbis partes, ceremonias veteris legis non solùm mortuas, sed etiam mortiferas esse, si usurpentur ut præceptæ; præsertim Sacrificia & Circumcisio: cùm enim in his consistat principalis & quasi substantialis cultus Dei, utique cessante institutione & impositione Dei, eo ipso ex natura rei fiunt intrinsecè mala; quia jam revera non sunt Sacrificia vel Sacramentum.

Sacrificia & Circumcisio non possunt per homines restitui sine mortali.

Ex quo patet, quòd nequidem per homines possint sine peccato mortali restitui in illum statum, quia hoc esset contra intentionem Christi, instituentis in Ecclesia nova unum excellentissimum Sacrificium & sufficientissimum, itemque Sacramentum Baptismi, quod longè excellentius est Circumcisione. Unde illa restitutio Sacrificii veteris legis & Circumcisionis, vel institutio novorum Sacrificiorum, cederet in maximam injuriam & summum contemptum Sacrificii & Sacramentorum novæ legis.

17. Si tamen Sacrificia restituerentur, forent vera Sacrificia.

Interim *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* extra de Reg. cap. 16. *Ad Apostolicam.* Sic ergo Sacrificia veteris legis, si rursùm à potestate publica assumerentur sive ex ignorantia, sive ex malitia, ad protestandum summum Dei Dominium in vitam & mortem, non dubito quin forent vera Sacrificia; verumtamen ingrata Deo; quamvis internus affectus offerentium ex ignorantia inculpabili posset placere.

Sacrificium instituti nequit auctoritate privatâ.

Dixi, *Si à potestate publica assumerentur:* quia disputant Doctores, an quilibet privatâ auctoritate possit instituere Sacrificia, aliquibus asserentibus, aliis negantibus. Magis placet sententia negativa; quia Sacrificium est signum aliquod commune, quo Deus speciali aliquâ ratione colitur; signa autem communia non possunt institui à privato, sed per legitimam seu publicam potestatem, ut patet in vocibus, & in Sacramentis, quæ non significant nisi ex communi institutione: jam autem Sacrificium est signum ad placitum, non minùs quàm vox, vel Sacramentum. Unde si quis jam vellet abscindere arborem, ut significaret per illam destructionem idem, quod in veteri lege significabatur per occisionem ovis, nemo diceret illum sacrificare.

18. Objectio prima.

Sed contrà primò; sicuti privatâ auctoritate possim instituere vocem aliquam ad significandum aliquid, quod antè non significavit, &

& omnes intelligunt me, ut contingit frequenter (inquit Joannes Pontius Sum. Theol. disp. 44. n. 117.) inter disputandum, cùm substituimus litteram A, vèl B pro aliqua re, vel propositione; ita nihil impedit, quò minùs quis velit coram aliquo interficere passerem ad significandum Dominium supremum Dei & suam subjectionem, & suppositâ declaratione suæ voluntatis, qui præsentes essent, cognoscerent, quod id intenderet, & consequenter tum sacrificaret passerem. Hæc ille.

Responsio. Respondeo; usurpare vocem ad hoc vel illud significandum, quod antèa non significabat, non est instituere vocem, sed vocem institutam contra suam institutionem ad aliud significandum applicare; quod quidem licitum potest esse inter personas particulares hìc & nunc ex mutua conventione, quis tamen propterea dicet, illam vocem ad hoc significandum esse institutam; v. g. vocem homo ad significandum equum, pro quo in particulari colloquio posset substitui?

Quid sit institutio alicujus signi. Institutio secundùm Philosophos non est aliud, quàm volitio alicujus vel aliquorum habentium sufficientem auctoritatem, quâ voluerunt, ut cognitâ tali re, cognosceremus talem rem. Hæc autem auctoritas respectu vocum non residet in privata persona, cùm sint signa humana politica in ordine ad commercium humanum, quod totum dissiparetur, si quilibet pro libitu posset uti quibuslibet vocibus ad aliquid significandum.

19. Objectio secunda. *Dicastillo.* Dices secundò; non est eadem ratio de Sacramentis & Sacrificiis. Nam (inquit Dicastillo tract. 5. disp. 1. n. 35.) solùm Deus, & Christus sunt Auctores Sacramentorum, & hæc fuerunt instituta pro communitate fidelium & instituta fuerunt signis significantibus communitati.

Non sufficit autem in signis ad placitum, quod signum placuerit isti vel illi, sed communitati, ut censeatur significare illi ad placitum. Sacrificium verò, seclusâ lege & prohibitione, est aliquid, quod potest humanâ auctoritate fieri à quovis homine. Hæc ille.

Responsio. Sed hoc est quod quæritur. Potest quidem Sacrificium institui humanâ auctoritate potiùs, quàm Sacramentum; quia Sacramentum est causa efficax gratiæ sanctificantis, quæ causalitas non est de essentia Sacrificii: num ideo à quolibet homine? Minimè; quia etiam Sacrificia instituta sunt pro communitate fidelium, idque signis ad placitum significantibus communitati.

Cur potiùs Sacrificium quàm Sacramentum possit institui humanâ auctoritate.

Cæterùm negare non volumus, quemlibet particularem hominem, seclusâ prohibitione, sibi ipsi posse eligere signum aliquod externum ad protestandum summum Dei Dominium, illumque recognoscendum tamquam auctorem vitæ & mortis: an autem hoc deberet appellari Sacrificium, maximè si omnes homines solitariè viverent sine aliquo humano commercio, quæstio est de nomine.

Voces non significant communia, nisi donec ab illa recipiantur. Certè novæ voces ab aliquo inventæ, non censentur communitati significare, donec ab illa receptæ sint. Ipsi verò inventori, quidni significent? Et quidni illud sufficiat, ut simpliciter & absolutè dicantur voces significativæ, & signa humana ad placitum, in casu in quo non esset ulla communitas humana? Non video quid obstet.

20. A ratione Sacrificii metaphysicè Martyrium. Sed quid disputo de casu metaphysico? Homo animal sociale est, ex natura sua appetens vivere in communitate perfecta, adeoque postulans signa communia. Et ideo mors Martyrum non fuit verum & proprium Sacrificium, quamvis assumpta fuisset in protestationem summi Dominii Dei; quoniam ad hoc non fuit publicâ auctoritate instituta; immo nec privatâ ipsorum Martyrum, quia talis institutio fuisset contra præceptum Dei, qui sibi, ut suprà ostendimus, reservavit institutionem Sacrificiorũ, tam in veteri, quàm in nova lege.

Mors Christi fuit verum Sacrificium.

At verò mors Christi ex divina institutione hoc significavit, ac propterea fuit verum Sacrificium; estò illa institutio in morte Christi ipsi soli fuerit nota: quoniam signum sufficienter constituitur in ratione signi per ipsam institutionem auctoritate publicâ factam, antequam aliis patefiat. Sic quippe Adam tamquam caput & Princeps Reipublicæ humanæ imponens singulis rebus nomina sua, antequam formaretur Eva, eo ipso fecit illa esse signa publica istarum rerum.

Simili ergo modo Jesus Christus Dominus noster, supremus Princeps Ecclesiæ, Rex Regum & Dominus Dominantium eminenter in se habens voluntatem omnium hominum ad instituenda signa & Sacrificia, nullâ suâ necessitate, sed voluntate & potestate; non invitus, sed quia voluit, quando voluit, quomodo voluit, Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech, seipsum hostiam puram & immaculatam, in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri obtulit protestando suam subjectionem & ejus supremum Dominium in mortem & vitam.

Quid horum competit cæteris Martyribus? Nonne de illis dici potest, quia voluerunt, quando voluerunt, quomodo voluerunt, seipsos obtulerunt? Sanè n[illegible]s non erat in eorum potestate, nisi remo[illegible]empe quatenus poterant se Tyrannis offerre, vel fugâ eripere: genus autem mortis & tempus nequidem remotè. An fortè à Deo instituti erant Sacerdotes ad hujusmodi Sacrificium offerendum? Nullibi talis institutio legitur.

21. Quamvis specialiter à reliquis deputatus, non omnibus officium hoc specialiter competit. Et quamquam ad essentialem rationem Sacrificii non requiratur Minister specialiter à reliquis deputatus, sed possit Deus cuivis homini hanc potestatem relinquere; tamen convenientiùs est, ut aliquis ad hoc specialiter deputetur,

equidem in lege tam veteri quàm nova fuit aliquis deputatus,

putetur, cùm Sacrificium sit extraordinarius Dei cultus, nomine communitatis illi exhibendus, [illegible]s proinde administrationem non decet permitti. Unde in lege tam Mosaica, quàm Euangelica non offeruntur Sacrificia, nisi à ministris ad hoc specialiter deputatis (quales pro Sacrificio Agni Paschalis erant Patres-familias) & qui sine tali deputatione Sacrificia offerre tentarunt, divinitùs sunt puniti, ut patet in Osia Rege 2. Paralip. 26. & Saule 1. Regum 13.

Immo etiam apud Ethnicos & in lege naturæ. Gen. 14.

Immo etiam apud Ethnicos quidam particulariter huic muneri deputabantur: & in lege naturæ fuisse deputatos, colligitur ex Gen. 14. ubi pro ratione cur Melchisedech Rex Salem protulerit panem & vinum, illa offerendo in Sacrificium, allegatur v. 18. *Erat enim Sacerdos Dei altissimi.* Quamvis minimè constet, quinam præcisè in illa lege fuerint Sacerdotes: secundùm plerosque autem tales fuerunt Primogeniti, & Principes familiarum. Unde Job. 1. legimus ipsum obtulisse holocausta: *Cumq; in orbem transissent dies convivii, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgensq; diluculo offerebat holocausta pro singulis,* v. 5. Præter quos videntur aliqui alii ex speciali Dei instinctu sacrificasse, ut Abel & Jacob.

Job 1.

Atque hæc sufficiant de Sacrificio in communi. Quamquam autem varia fuerint Sacrificia in veteri lege: equidem teste Tridentino sess. 22. cap. 1. in fine: *Bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio & perfectio complectitur* unicum Sacrificium Eucharisticum, de quo ponitur

Trident.

CONCLUSIO II.

Missa continet verum, & proprium novæ legis Sacrificium, oblatum & institutum à Christo in ultima Cœna.

22. Trident.

ITa novissimè & clarissimè contra Hæreticos nostri temporis docet Concilium Tridentinum sess. 22. ubi cap. 1. sic incipit dicere: *Quoniam sub priori Testamento, teste Apostolo Paulo, propter Levitici Sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat; oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium secundùm ordinem Melchisedech surgere Dominum nostrum Iesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare, & ad perfectum adducere. Is igitur Deus & Dominus noster, etsi semel seipsum in ara Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem Sacerdotium eius extinguendum non erat; in Cœna novissima, quâ nocte tradebatur, ut dilectæ Sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur, eiusq; memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit,* (id est, sacrificavit) *ac sub earundem rerum Symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; & eisdem, eorumq; in Sacerdotio successoribus, ut offerrent* (id est, sacrificarent) *præcepit per hæc verba:* Hoc facite in meam commemorationem; *uti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit.*

Missa habet veram & propriè dictam rationem Sacrificii.

Atque hæc sit prima probatio hujus veritatis, scilicet perpetua Ecclesiæ Traditio à temporibus Apostolorum, quos celebrasse, & alios sacrificare docuisse, testantur Lyturgiæ ab ipsis compositæ, ut Lyturgia Divi Jacobi & Divi Marci. 23. Prima probatio ex Traditione.

Scripta quoque Sanctorum Patrum quid aliud clamant, quàm Altaria, Sacerdotes, Sacrificia, & alia spectantia ad Sacrificium novæ legis? Quocirca liceat mihi hic dicere cum Magno Patre Divo Augustino lib. 4. de Baptismo cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Aug.

Neque Traditionem istam, & unanimem Patrum consensum negant Acatholici; sed insanissimè dicunt totam Ecclesiam ferè ab initio in hoc erasse.

Et verò quid magìs insolens & insanum, quàm æternam veritatem arguere de errore? *Tu es Sacerdos in æternum* (inquit Spiritus Sanctus per os David de Christo Psalmo 109. v. 4.) *secundùm ordinem Melchisedech.* Si Christus Sacerdos in æternum, id est, usque in finem mundi; ergo juge Sacrificium, de quo Dan. 12. v. 11. *Cum ablatum fuerit iuge Sacrificium*, scilicet in fine mundi, instante die judicii. Et quod amabò illud Sacrificium? 24. Secunda probatio ex Sacrificio Melchisedech, Psal. 109. Dan. 12.

Certè non aliud, quàm Sacrificium Missæ, quod Christus quotidie offert, & offeret usque in finem mundi per suos ministros Sacerdotes. Sacerdotes, inquam, secundùm ordinem Melchisedech, qui, ut constat ex Scriptura Gen. 14. non sacrificavit cruentè occidendo animalia, sed incruentè panem & vinum: ait enim v. 18. *At verò Melchisedech Rex Salem proferens*, id est, sacrificans, *panem & vinum: erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei* (Abrahæ) *& ait* &c. unde cantat Ecclesia in Vesperis Festi Corporis Christi: *Sacerdos in æternum Christus Dominus secundùm ordinem Melchisedech panem & vinum obtulit.* Gen. 14.

Neque mea est hæc doctrina, quamvis aliquin mea, sed Sancti Cypriani Episcopi & Martyris lib. 2. Epistolâ 3. sub initium ubi sic 25. typo novi Sacrificii. S. Cyprianus.

scribit ad Cæcilium: *In Sacerdote Melchisedech Sacrificij Dominici Sacramentum præfiguratum videmus, secundùm quod Scriptura divina testatur & dicit:* Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem Sacerdos Dei summi, & benedixit Abraham. *Quòd autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat in Psalmis Spiritus sanctus ex persona Patris ad Filium dicens: Ante luciferum genui te: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

Quæris in quo ille ordo consistat? *Qui ordo utique hic est de Sacrificio illo veniens, & indè descendens, quòd Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Iesus Christus? Qui Sacrificium Deo Patri obtulit: & obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinum, suum scilicet Corpus & Sanguinem sub speciebus panis & vini.*

Cæteroquin si solùm cruentè seipsum obtulit in ara Crucis, cur potiùs dicitur Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, quàm secundùm ordinem Noë, Aaron &c.? Neque enim Sacrificium Melchisedech majorem habet convenientiam, imò minorem cum Sacrificio cruento, quàm Sacrificium Noë, Aaron &c.

26. Novatores respondent Melchisedech non sacrificasse panem & vinum.

Ad hanc probationem respondent Novatores: Melchisedech non sacrificasse, sed protulisse panem & vinum ad epulandum, & milites Abrahæ confortandos. Imò videtur non fuisse Sacerdos, cùm vox Hebræa etiam significet Principem, ut colligitur ex secundi Regum 8. v. 18. ubi 70. vertunt: *Principes aulæ.* Et quamquam Sacerdos fuisset, non adfertur Gen. 14. ratio, cur protulerit panem & vinum, sed cur Abrahæ benedixerit.

Rejiciuntur.

Si credere fas est magis Hæreticis, quàm toti Ecclesiæ, quæ semper retulit illa verba: *Erat enim Sacerdos Dei altissimi*, ad oblationem panis & vini; estò in Hebræo sit: *Et erat Sacerdos*: siquidem omnes Codices Hebræi, imò & Græci & Chaldaïci terminant periodum in voce *altissimi*. Quare non potest illud conjungi cum sequentibus: *Et benedixit*; sed debet superioribus illis annecti: *Protulit panem & vinum.*

Particula conjunctiva apud Hebræos sæpè obtinet locum causalis.

Accedit, particulam conjunctivam apud Hebræos sæpissimè locum obtinere causalis. Exempla sunt ad manus. Gen. 20. v. 3. ubi Latina legunt: *Et morieris propter mulierem, quam tulisti, habet enim virum.* In Hebræo erat: *Et ipsa habet virum.* Cap. 27. v. 36. ubi nos legimus: *Supplantavit enim me*; in Hebræo erat: *Et supplantavit me.* Similiter cap. 30. v. 27. *Experimento didici, quia benedixit mihi Dominus.* Hebræi legunt: *Et benedixit mihi Dominus.*

Gen. 20. Gen. 27. Gen. 30.

27. Rabini appellant panem & vinum oblationem & libamen.

Ad primum (teste Genebrardo in Chronologia in principio tertiæ ætatis) veteres Rabini (si fortè illis malint credere, quàm Sanctis Patribus) ne quis putaret fuisse panem & vinum commune, appellant oblationem & libamen, quæ priùs utique sacro ritu Deo oblata fuerant tamquam Sacrificium pacificum in gratiarum actionem pro obtenta victoria, ac deinde Abrahæ & sociis distributa, sicut in Sacrificiis pacificis fieri solebat. Levit. cap. 7. v. 11. & sequentibus: *Hæc est lex hostiæ pacificorum, quæ offertur Domino. Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento &c. panes quoque fermentatos, cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis: ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino, & erit Sacerdotis, qui fundet hostiæ sanguinem; cuius carnes eâdem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam usque mane.* Levit. 7.

Frustra ergo Calvinus ex eo, quòd Abraham, & milites ejus hoc pane & vino refecti fuerint (quod tamen hìc non dicitur, imò jam antè refectos fuisse, satìs insinuatur v. 24. juncto versu 11.) contendit ea non fuisse Deo oblata, quod hìc satìs clarè dicitur, & optimè cum refectione cohæret.

Melchisedech fuit verus Sacerdos. Hier. 7.

Et verò dubitabimus, an Melchisedech fuerit verus Sacerdos? Non solùm omnes versiones, Græca, Chaldaïca & Latina id demonstrant; sed etiam ipse Apostolus ad Hebræos 7. qui sic legit v. 1. *Hic enim Melchisedech Rex Salem Sacerdos Dei summi.* Ut propterea ineptè Hæretici opponant unicum locum, in quo vox Hebræa minùs propriè videtur sumi pro Principe. Plura vide de hoc argumento apud Bellarminum lib. 1. de Missa cap. 6. & alios Controversistas. Bellar.

28. Tertia Conclusio probatur Malach. 1.

Venio ad tertiam probationem nostræ Conclusionis, quam accipio cum Concilio Tridentino sess. 22. cap. 1. ex Malachiæ 1. cap. ubi v. 10. & 11. dicit Dominus exercituum: *Non est mihi voluntas in vobis* (Sacerdotibus veteris legis) *& munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus.*

Sed quæ illa oblatio? Utique Sacrificium Eucharisticum, ut testatur Tridentinum suprà his verbis: *Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nullâ indignitate aut malitiâ offerentium inquinari potest: quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in Gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit.* Trid. sumpta ex Scriptura Malachiæ.

Siquidem reprobatis Judæorum Sacrificiis, Deus ibi promittit successurum novum, successurum, dico, apud Christianos, cùm dicat: *Offertur nomini meo*; apud alias namque Gentes non Deo, sed dæmoniis sacrificatur. Et quamvìs fortè aliquæ sacrificent vero Deo; equidem illæ sunt tam paucæ, ut dici non potuerit: *In omni loco.*

29. quomodo intelligenda sint bona opera.

Si dixeris cum Hæreticis, per Sacrificium ibi intelligi omnia bona opera; neutiquam autem Sacrificium propriè dictum: falsitas patet primò ex antithesi, quæ fit inter Sacrificia vetera, & novum quod prophetatur; adeoque sicuti illa, sic & hoc est propriè Sacrificium.

Deinde

Deinde prædicitur ibi Sacrificium noviter instituendum, reliquis abrogatis; porrò bona opera Christianorum, utpote juris naturæ, non sunt noviter instituta, nec bona opera Judæorum reprobata.

Tertiò Sacrificium illud dicitur, *Oblatio munda*, nempe ex se, & sine ordine ad Ministrum; cujusmodi non sunt opera Christianorum, quæ ex intentione vel malitia operantium facilè inquinantur; præsertim in sententia Hæreticorum, qui docent, omnia nostra opera ex se esse peccata & immunda.

30. Quarta probatio sumpta ex Apostolo. 1. Cor. 10.

Probatur Conclusio quartò ex Apostolo 1. Cor. 10. v. 21. *Non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ Dæmoniorum.* Per mensam, juxta Tridentinum suprà, altare utrobique intelligit, satisque patet ex contextu: nam præmiserat v. 18. *Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris?*

Hebr. 13. Accedat testimonium ejusdem Apostoli ad Heb. 13. v. 10. *Habemus*, inquit, *altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Altare, inquam, distinctum ab altari Crucis, cùm Apostolis loquatur de aliquo, quod etiam suo tempore erat in usu: ergo habemus quoque Sacrificium, cùm altare & Sacrificium sint correlativa, nec detur altare apud ullas Gentes, nisi propter Sacrificium.

Profectò cùm Sacrificium inter actus Religionis externos sit perfectissimus, tantamque habeat cum natura rationali in statu viæ congruentiam, ut vix ulla Gens, quæ alicujus Numinis sive veri, sive putatitii persuasionem habuit, illo caruerit; quomodo credibile erit, Christum populum Christianum, utique reliquis omnibus perfectiorem, & tum in vivendo, tum in colendo Deo, naturæ rationali conformiorem, omni Sacrificio carere voluisse?

31. Objectio ex eodem, Hebr. 7.

Dices; quia Christus est unicus Sacerdos, & quidem in æternum, teste Apostolo ad Hebræos 7. ubi postquam dixisset Aaronicos Sacerdotes fuisse plures, idcirco, quòd morte prohiberentur permanere, subjungit v. 24. & 25. *Hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis.* Et prosequitur: *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus: qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit semel, seipsum offerendo*, scilicet cruente in Cruce.

idem 10. Quod aliis verbis repetit cap. 10. v. 11. & sequentibus dicens: *Et omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans & easdem sæpè offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata: hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius. Unâ enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos.*

32. ad quam respondetur

Respondeo: Christus à Paulo vocatur unicus Sacerdos, sicut dicitur unus Pastor, & unus Magister; quia videlicet non habet Sacerdotes sibi succedentes in eadem potestate & auctoritate sicut habebant Sacerdotes Aaronici, & sicut habet hodie Pontifex Romanus. Ergo non habet Vicarios Sacerdotes; negatur Consequentia; imo hujusmodi habere sequitur manifestè ex illa Scriptura. Etenim si sempiternum habeat Sacerdotium, illudque non debeat esse otiosum, nec tamen per se exerceat, consentaneum planè est, quòd debeat habere Sacerdotes Vicarios, per quos sacrificet, sicut habet Vicarios Pastores & Magistros, per quos ovibus & discipulis suis provident de congruis pascuis & doctrinis.

argumento desumpto ex Tridentino.

Unde Tridentinum suprà sic argumentatur: *Is igitur Deus & Dominus noster, etsi semel seipsum in ara Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illis redemptionem operaretur; quia tamen per mortem Sacerdotium eius extinguendum non erat*, ideo *in Cœna novissima* &c. incruentum instituit Sacrificium: non propter insufficientiam Sacrificii cruenti ad remissionem omnium peccatorum, sed *ut Dilectæ Sponsæ suæ Ecclesiæ* (utor verbis Tridentini) *visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur; eiusq; memoria in finem usque seculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur.*

Quamvis enim virtus illa sit quodammodo infinita, non est tamen hominibus immediatè applicata (alioquin omnes salvarentur) sed opus est aliis mediis, v.g. operibus meritoriis, Sacramentis &c. quibus applicetur; atque inter alia convenientissimum est Sacrificium. Quocirca sicut Sacramenta non sunt superflua, ita nec Sacrificium in nova lege; & quemadmodum illa non arguunt insufficientiam Passionis Christi, ita nec hoc Sacrificium in sufficientiam Sacrificii cruenti.

33. definiente per Missæ Sacrificium non derogari Sacrificio cruento.

Quod expressis verbis definit Concilium Tridentinum sess. 22. can. 4. qui sic se habet: *Si quis dixerit blasphemiam irrogari sanctissimo Christi Sacrificio in Cruce peracto, per Missæ Sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema sit.* Jam autem Apostolus suprà solùm negat talem repetitionem Sacrificii, qualis fiebat in lege veteri, in qua, propter insufficientiam & inefficaciam Sacrificii præcedentis, oportebat repetere aliud & aliud, quod adderet novum meritum, & novam satisfactionem ad merendum & satisfaciendum de novo.

Quo sanè modo non offertur Missæ Sacrificium, sed à Christo non jam stante, sed sedente in dextera Dei, hoc est, non ampliùs

merente aut satisfaciente, sed applicante merita & satisfactionem prioris Sacrificii, per oblationem quotidianam Sacrificii incruenti; quæ repræsentat & maximè commendat efficaciam infinitam Sacrificii cruenti, utpote cujus virtus exhauriri aut diminui non potest per tot alias applicationes ejusdem virtutis.

34. Instantia Hæreticorum solvitur,

Sed instant Hæretici primò; non constat ex Euangelio, quòd Christus obtulerit incruentum Sacrificium, aut præceperit Apostolis illud offerre.

Luc. 22

Respondeo, utrumque satis colligi ex verbis Christi Luc. 22. v. 19. *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.* Ubi ly *datur*, utpote verbum præsentis temporis, significat in ultima Cœna fuisse oblatum Sacrificium verum propitiatorium pro peccatis.

Si inferas: Ergo cruentum Sacrificium fuit superfluum. Respondeo; omnia alia merita Christi de se erant sufficientia ad totius mundi redemptionem, nihilominus ex decreto Dei per mortem debebant consummari.

35. Explicantur verba Christi Luc. 22. v. 20. *Hic est calix &c.*

Nec obstant verba Christi apud eumdem Euangelistam eodem cap. v. 20. *Hic est Calix novum Testamentum in meo Sanguine; qui pro vobis fundetur*: nam in Græcis exemplaribus legitur in præsenti, *Funditur*. Interim hujus disconvenientiæ ratio esse potest, quòd Spiritus Sanctus ostendere voluerit, Christum intendisse significare immolationem mox futuram in ara Crucis, & simul præsens mysterium, quod tunc peragebat.

Confirmatur I. quia relativum *Qui*, non refertur ad Sanguinem, sed ad Calicem, ut patet ex Græco; atqui Sanguis Christi in Sacrificio cruento non est effusus per calicem: ergo illa effusio, de qua Christus ibi loquitur, principaliter intelligitur de Sacrificio incruento.

Confirmatur II. quia Christus confirmavit novum Testamentum ad modum, quo vetus confirmatum fuit; atqui vetus confirmatum fuit per actualem effusionem sanguinis hostiæ immolatæ super filios Israël: ergo Christus hìc confirmans novum Testamentum, obtulit seipsum, & suum Sanguinem fudit in ora Apostolorum. Probatur Major; quia Christus

Matth. 26. Matth. 26 v. 28. dicens: *Hic est enim Sanguis meus novi Testamenti*, alludit ad verba Moysi

Exod. 24. exodi 24. v. 8. *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit dominus vobiscum.*

36. Objectio.

Contrà; si est testamentum: ergo non est Sacrificium; nam per testamentum testator aliquid largitur; per Sacrificium autem nos Deo aliquid offerimus.

Prima solutio.

Respondeo primò; Eucharistiam non dici testamentum, sed sanguinem novi Testamenti, id est, quo novum Testamentum confirmatum & stabilitum est. Atque hoc modo rectè respondet figuratum figuræ: propriè enim sanguis, quo Moyses populum aspersit, non erat ipsum vetus testamentum, sed erat veluti confirmatio ejus.

Secunda. Eucharistia dici potest Sacrificium, licèt sit testamentum

Respondeo secundò Negando Consequentiam; quia sacrificare non est aliquid offerre sive donare Deo ut ponamus in ejus Dominio id, quod antea erat nostrum; sed est per immutationem alicujus rei protestari Deum esse auctorem vitæ & mortis nostræ. Possumus autem simul accipere à Deo victimam, quam ei offeramus: sicuti si Deus olim alicui dedisset ovem, ut eam ipsi immolaret.

Sic igitur idem sanguis, quo novum testamentum confirmatum est, potest etiam in Dei cultum & Sacrificium consecrari, & eadem res (Corpus scilicet & Sanguis Christi) quæ nobis datur à Deo, & à Christo in hæreditatem hujus vitæ, & in signum suæ voluntatis, atque æternæ hæreditatis testamento donata est, potest, & debet Deo à nobis offerri in ejus honorem ac sacrificium: nihil enim magìs decens aut conveniens esse potest, quàm ut donis, quæ nobis Deus contulit, ipsum colamus ac veneremur juxta illud 1 Paralip. cap. 29. v. 14. *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* 1. Paralip. 29.

37. Explicatur verba Christi Luc. 22. Hoc facite &c. Trident.

Et hoc ipsum indicavit nobis Christus verbis illis: *Hoc facite*, id est, sacrificate Corpus & Sanguinem meum, quæ vobis hìc trado sub speciebus panis & vini, *in meam commemorationem*. Ita verba ista semper intellexit Ecclesia, teste Tridentino sess. 22. cap. 1. colligiturque ex aliis Scripturis.

Sic quippe Levit. 15. v. 14. præcipitur homini, qui sanatus fuerit à fluxu seminis: *Die octavo sumet duos turtures, aut duos pullos columbæ* &c. *dabitq; eos Sacerdoti.* Sequitur v. 15. *Qui faciet unum pro peccato, & alterum in holocaustum.* Ubi *Facere*, ut manifestum est, idem significat quod *Sacrificare*. Levit. 15.

Simili modo loquitur alia Scriptura 3. Reg. 18. v. 23. *Dentur nobis* (inquit Elias ad populum Israël) *duo boves, & illi eligant sibi bovem unum, & in frusta cedentes ponant super ligna, ignem autem non supponant: & ego faciam bovem alterum* &c. 3. Reg. 18.

Mirum sanè si admittatur Christus in Cruce sacrificasse, & non in ultima Cœna: etenim actio illa in ultima Cœna ex se apparebat sacra; nam elevatis oculis in cælum gratias egit, benedixit, fregit &c. mors autem nihil tale præ se ferebat.

38. Objectio.

Sed quid indè? Dicet aliquis; non omnis actio sacra est verum & propriè dictum Sacrificium. Et verò actio Christi in ultima Cœna, ac per consequens Sacrificium Missæ, quid aliud est, quàm commemoratio Sacrificii cruenti? *Hoc facite* (inquit Christus) *in meam commemorationem*. Et Tridentinum suprà: *Ut dilectæ sponsæ suæ visibile, sicut hominum natu-* Trident.

ra

ra exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur, eiusq; memoria in finem usque sæculi permaneret. Commemoratio autem Nativitatis Christi, nonne propriè nativitas?

Secunda. Præterea, si est Sacrificium repræsentativum, jam aliud Ecclesia offert quàm Christus obtulit in ultima Cœna. Ipse enim sacrificavit repræsentando passionem futuram, nos verò sacrificamus repræsentando passionem præteritam.

39. Solvitur secunda. Idem hodie sacrificium offertur, quod Christus obtulit. Respondeo ad ultimum: sicut nos credimus idem quod Prophetæ crediderunt, licèt ipsi crediderint Christum passurum; nos autem credamus eum passum: sic facimus idem, id est, idem Sacrificium offerimus, repræsentando mortem præt , quod Christus obtulit repræsentando em futuram: immo si vellemus nunc r entare futuram, non faceremus quod Christus fecit; siquidem mors Christi ampliùs non est futura: *Christus* enim *resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Rom. 6. v. 9.

Rom 6.

Sicut idem hodie accipitur Sacramentum, quod Apostoli acceperunt. 1. Cor. 11. Alioquin neque idem Sacramentum Eucharistiæ fideles hodie acciperent, quod Apostoli in ultima Cœna acceperunt: nam & hoc celebrari debet in memoriam passionis, ut testatur Apostolus 1. Cor. 11. v. 26. dicens: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Contrarium autem ab omnibus admittitur. Et meritò, quia repræsentatio illa sive annuntiatio minimè ingreditur essentiam Sacramenti. Num fortè essentiam Sacrificii incruenti? Nequaquam, ut patet ex Conclusione prima.

40. Solvitur prima objectio. Ex quo haud difficilè est respondere ad primum: neque enim ideo Missa est Sacrificium incruentum, quia est commemoratio Sacrificii cruenti, hoc enim etiam fit in Vesperis, vel Officio divino; sed quia simul est oblatio nova cum reali immutatione rei sensibilis ad protestandum summum dominium Dei in vitam & mortem.

Trident. De qua utique oblatione, antequam latiùs discurro, placet pro fine Conclusionis exscribere primum Canonem Concilii Tridentini sess. 22. *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari; anathema sit.* Ergo fidei est, quòd in Missa offeratur Deo verum & proprium Sacrificium. In Missa, inquam, hoc est, quòd inter ritus Missæ aliquis sit, qui propriè Sacrificium dici debeat. Quæris à me, quis ille? Respondeo:

CONCLVSIO III.

Sacrificium novæ Legis consistit essentialiter in sola consecratione, idque unius speciei, quam consecratio alterius, & sumptio utriusque jure divino integraliter complent.

41. Per ly *Sacrificium* significatur proprie actio sacrificativa. HÆc Conclusio diversas partes includit, quæ sunt distinguendæ & sigillatim probandæ. Præmitto autem nomine Sacrificii propriè intelligi ipsam actionem sacrificandi, ut patet ex Conclusione prima. Nihilominus frequenter etiam sumitur pro ipsa re, quæ sacrificatur, sive victima ipsius Sacrificii, quæ est veluti illius materia, actione sacrificativâ se habente instar formæ. Hâc ratione Synodus Tridentina sess. 22. in procœmio vocat Eucharistiam verum & singulare Sacrificium ibi:

Sæpè pro re sacrificata sumitur.

Trident. *De ea* (Eucharistiâ) *quatenus verum & singulare sacrificium est, Spiritus Sancti illustratione edocta, hæc, quæ sequuntur, docet, declarat, & fidelibus populis prædicanda decernit.*

Idem potest simul esse Sacramentum & Sacrificium. Ex quo patet, quomodo eadem res sub diversa consideratione p t simul esse Sacra mentum, & Sacrificio ramentum utique, quatenus est signum e gratiæ; Sacrificium verò, quatenus offertur r realem sui immutationem ad protestandum summum Dei dominium in vitam & mortem. Etenim nihil repugnat per idem signum Deum significare gratiam, & nos reverentiam ipsi debitam; sicuti per Circumcisionem circumcisus significabat fidem in Christum venturum; & Deus Christum, à se mittendum, & gratiam quæ per Circumcisionem dabatur.

D. Augustinus. Eodem modo usurpat ly *Sacrificium* Divus Aug. lib. 22. de Civit. cap. 10. dicens. *Nos Martyribus nostris non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt spiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus; sed uni Deo, & Martyrum, & nostro Sacrificium immolamus ------ Ipsum verò Sacrificium* (id est victima Sacrificii) *Corpus est Christi; quod non offertur ipsis.* Sed de hac victima sive hostia Sacrificii novæ legis Conclusione sequenti. In præsenti ago de actione sacrificativa, quæ propriissimè est, & dicitur Sacrificium.

42. Essentia Sacrificii essentialiter in consecratione consistit. Sit ergo propositio prima: *Sacrificium novæ legis consistit essentialiter in consecratione.* Probatur ex definitione Sacrificii suprà Conclusione prima; quia consecratio est immutatio rei sensibilis; sive quod in idem redit: est oblatio rei sensibilis per immutationem ejus, legitimè instituta ad protestandum summum Dei dominium in vitam & mortem.

Probatur ex Tridentino,

Quòd sit oblatio, colligitur primò ex Concilio Tridentino Sess. 22. cap. 1. ibi: *Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit.* Non aliter quàm per consecrationem: ergo &c.

S. Ambr.

Unde scitè Divus Ambrosius in Psal. 38. ad vers. 7. *Verumtamen in imagine pertranſit homo: Ipse* (Christus) *offerre manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat Sacrificium, quod offerimus.* Et quis ille sermo præter verba consecrationis? *Nam per reliqua omnia* (utor verbis Divi Ambrosii lib. 4. de Sacramentis cap. 4.) *quæ dicuntur laus Deo defertur &c. ubi venitur ut conficiatur Venerabile Sacramentum, iam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.* Cùmque idem sit Sacramentum & Sacrificium, sermo Christi (utique verba consecrationis) hoc conficit Sacrificium: ergo consecratio est actio sacrificativa; & per consequens oblatio.

43. & forma Sacerdotii.

Colligitur II. ex forma Sacerdotii, quæ talis est: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis* &c. id est, secundùm communem interpretationem, consecrandi Corpus & Sanguinem Christi. Ergo consecrare est offerre. Nec video quid apparenter possit objici, & ideo supersedeo referendis auctoritatibus aliorum Patrum, quæ in magna copia ab aliis ad hoc propositum adferuntur.

44. Difficultas proponitur.

Præcipua difficultas est in modo, quo per consecrationem immutatur res sensibilis. Quippe hostia principalis, ut jam suppono ex infrà dicendis, est ipse Christus, sive Corpus & Sanguis Christi, quæ neque sensibiliter sunt in Eucharistia, neque si essent, realiter immutantur per consecrationem, id est, destruuntur, sed potiùs de novo producuntur, saltem secundùm quid, per novam præsentialitatem.

Ad hostiam Sacrificii sufficit sensibilitas per accidens.

Verùm quod concernit sensibilitatem, constat Christum secundùm se rem esse sensibilem; nec hoc solùm, sed etiam in Sacramento, quamvis per accidens tantùm, ratione scilicet verborum & specierum: interim, sicut ad Sacramentum sufficit talis sensibilitas, quidni etiam ad hostiam Sacrificii? Porrò modum immutationis varii varium excogitarunt.

An requiratur destructio hostiæ?

Primò aliqui respondent neutiquam requiri destructionem hostiæ, sed abundè sufficere productionem, quando scilicet illud, quod producitur, nobilius est, quàm quod destruitur: ut olim contigit in sacrificatione thuris, id enim quod offerebatur, non erat substantia thuris ut suprà notavimus, sed suffitus potiùs, vel odor, qui producebatur, & qui aptior erat ad cultum Dei.

45. Sententia negans displicet Lugoni.

Hæc sententia displicet Lugoni disp. 19. n. 53. quia est contra communem concipiendi & loquendi modum dicere, rem aliquam quando producitur sacrificari; potuissetque Sacrificium offerri Deo, generando filios, vel applicando alias causas naturales ad similes procreationes, vel productiones efficiendas. Deinde templi constructio vel alterius rei in cultum Dei, esset verum Sacrificium, & templum illud de novo factum diceretur verè sacrificatum: quod sanè est omninò mutare conceptum & vocem sacrificii. Denique de ratione omnis rei sacrificatæ est, quòd sit res permanens: quare ille suffitus, cùm esset res valde transiens, non videtur materia apta, ut sacrificaretur.

Respondeo ad ultimum. Respondetur ad 1. ergo.

Respondeo ad ultimum; per rem permanentem Doctores communiter intelligunt quamlibet rem distinctam à vocibus, adeoque odor ille erat res sufficienter permanens, ut esset hostia Sacrificii.

Præterea, estò odor ille fuerit hostia principalis; equidem ipsum thus erat hostia secundaria, utpote cujus destructionem odor ille infallibiliter consequebatur, tamquam effectus suam causam. Similiter dico in Sacrificio Eucharistico præter hostiam principalem, Corpus scilicet & sanguinem Christi, aliam esse hostiam minùs principalem, quæ ad productionem illius ex decreto Dei infallibiliter destruitur, scilicet panis & vini substantia. Quid simile reperitur in generatione prolium, vel constructione templi?

46. Vasquez ostendere destructionem physicam rei, quæ sacrificatur, minimè esse necessariam ad Sacrificium commemorativum seu repræsentativum alterius Sacrificii, in quo fuit facta vera destructio. Vide ipsum. Jam autem Sacrificium novæ legis est commemorativum Sacrificii cruenti, in quo hostia reverà fuit destructa; ideoque sufficienter significat idem, quod mors realis Christi significabat, scilicet Deum Auctorem vitæ & mortis. Secunda Vasquez.

47. Objectio Cardinalis.

Sed contrà; Sacrificia veteris legis, inquit Cardinalis suprà n. 57. repræsentabant etiam Christi mortem, & immolationem futuram: non tamen sufficeret hoc, ut illa essent verè Sacrificia, nisi in seipsis continerent realiter destructionem alicujus rei tunc sacrificatæ.

Respondet Vasquez primò; in Sacrificiis antiquis licèt daretur repræsentatio mortis Christi, non tamen interveniſſe Christum realiter præsentem; quemadmodum intervenit in Sacrificio Eucharistico. Secundò, Sacrificia veteris legis, non ideo fuisse Sacrificia, quia mortem Christi repræsentabant; sed quia immutatione rei oblatæ denotabant Deum Auctorem vitæ & mortis, quem eodem modo denotarent, ac proinde Sacrificia essent, si Christus nec futurus, nec moriturus esset; quocirca repræsentatio mortis Christi in his Sacrificiis, ad rationem & essentiam immolationis non pertinebat, sed ei accidentariè conjungebatur: at verò tota ratio Sacrificii Missæ, quo Christus immolari dicitur, est ipsa repræsen-

Secunda Vasquez.

ratio

tatio mortis Christi, atque ita eâ sublatâ, tota ratio veri & proprii Sacrificii tolleretur.

48. Trimam impugnat Lugo,

Hanc secundam disparitatem non tangit Eminentissimus; contra primam autem opponit: quia licèt adesset in tragœdia præsens Rex ipse, qui olim vulneratus fuit, & repræsentativè vulneraretur, non tamen verè & realiter diceretur vulnerari: item licèt Filia Jephte, quæ olim fuit sacrificata, nunc resurgeret & adesset in tragœdia, quâ sua mors repræsentaretur, non diceretur nunc verè & propriè sacrificari; alioquin sufficeret etiam, quòd recitaret suam mortem: jam enim ipsâ recitatione commemoraretur illud Sacrificium, & illa mors; atque ideo diceretur nunc in illa recitatione verè sacrificari Sacrificio non cruento, sed commemorativo, quod ridiculum esset.

& respondet objectioni:

Si dixeris; recitatio istæc non est aliqua actio exercita circa rem quæ sacrificatur. Contrà, inquit Lugo n. 59. Sacrificium in suo conceptu tam dicit destructionem, quàm actionem: ergo si sufficit repræsentatio destructionis, etiam sufficiet repræsentatio actionis. Deinde posset aliquis in tragœdia repræsentare thurificationem, quam olim exhibuit Deo, imponendo thuribulo thus & carbones, sed sine igne; & tamen ibi non erit vera thurificatio, cùm verè non accendatur thus: ergo similiter, licèt Christus in suo corpore exerceat nunc aliquam actionem, quæ repræsentat mortem præteritam & sacrificationem præteritam; hoc tamen non sufficiet, ut istud dicatur verum & proprium Sacrificium, cùm non sit destructio, sed repræsentatio destructionis.

49. aliquique rationem à priori,

Ratio autem à priori est: quia licèt ista repræsentatio significet sufficienter Sacrificium præteritum, non tamen significat immediatè per hoc præcisè id, quod significabat Sacrificium illud, scilicet notam submissionis internæ; est enim signum quasi reflexum, significans illud aliud Sacrificium, quod erat signum directum; signum autem reflexum non potest ex hoc præcisè, quod significet aliud signum, participare essentiam illius signi directi, quod per ipsum significatur. Ita Lugo.

quæ rejicitur ab Auctore.

Equidem facilè responderi posset, Sacrificium incruentum novæ legis non esse meram repræsentationem Sacrificii cruenti, sed talem repræsentationem, quæ adjunctam habeat ex sua institutione destructionem substantiæ panis & vini, & immutationem Christi per productionem novæ præsentialitatis; adeoque non tantùm esse signum reflexum summi Dominii Dei in vitam & mortem, sed etiam directum; ita quòd consecratio foret vera sacrificatio Christi, tametsi Christus numquam fuisset mortuus.

Quid si enim Christus venisset in carne impassibili, num ideo non potuisset nobis dare carnem suam ad manducandum, & Sanguinem suum ad bibendum sub speciebus panis & vini; tum in signum excellentissimæ charitatis, tum in signum summi Dominii Dei in omnes res creatas, ratione cujus potest eas destruere, & producere simpliciter, vel secundùm quid, ex parte, vel ex toto pro libitu suo? Non video vel apparentem repugnantiam. Atque ex hoc patet responsio ad secundam disparitatem Vasquezii.

50. An sufficiat mystica destructio hostiæ principalis.

Cæterùm quia Lugo continuò urget necessitatem destructionis hostiæ principalis (quam tamen non satis probat) propterea alii dicunt sufficere ad veram rationem Sacrificii, quòd ex vi verborum separatim ponantur Corpus & Sanguis Christi, puta solum Corpus sub speciebus panis, & Sanguis sub speciebus vini; quæ separatio est mystica destructio hostiæ principalis. Quòd autem requiratur physica & realis destructio, maximè in Sacrificio commemorativo, unde constat?

51. Objectio ex Lugone.

Objicit Lugo suprà nu. 61. Si ictu gladii percuteretur ovis in Sacrificio, Deus tamen miraculosè penetraret gladium cum gutture ovis, ita ut non sequeretur abscissio, nec vulneratio, verè non diceretur ovis sacrificata; quia licèt de se ictus sufficeret ad occisionem, re tamen verâ non fuit secuta occisio. Sic etiam contingit in præsenti.

Adde concomitantiam Corporis & Sanguinis in Eucharistia esse naturalem. Unde verba non petunt ut Corpus ponatur separatum, sed (si ita fas est dicere) exigendo quòd ponatur Corpus, exigunt quasi mediatè, & consequenter, quòd ponatur etiam Sanguis.

Denique in triduo mortis per verba non fuisset facta illa mystica separatio, sed fuissent posita separata, quæ jam re ipsâ erant separata: quare sicut qui corpus & sanguinem ovis jam occisæ poneret in alio loco, non diceretur sacrificare; ille enim non separaret unum ab alio: sic in triduo, cùm jam Christus esset occisus realiter, non censeretur ullo modo occidi per consecrationem, cùm per ipsam non separarentur ejus partes, quæ jam supponebantur separatæ.

52. Responsio.

Respondeo; quidquid sit de Sacrificio ovis in veteri lege, quod erat Sacrificium cruentum & absolutum, consistens in reali mactatione ovis, saltem per divisionem partium, estò Deus miraculosè vitam ejus conservasset; liquet profectò disparem esse rationem Sacrificii novæ legis, quod est incruentum & mysticum: quidni ergo ad veritatem ejus sufficiat incruenta & mystica separatio partium? Certè realis impossibilis est: *Scientes quòd Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* Rom. 6. v. 9.

Datur disparitas inter Sacrificium novæ & veteris legis, *Rom.* 6.

Et licèt verba non petant separationem; equidem præcisè ex vi suæ significationis, non ponunt sub speciebus nisi alteram partem, ita quòd vera esset significatio formæ, etsi una

pars

pars sine alia poneretur, ut factum fuisset in triduo, quando partes Christi erant realiter ab invicem separatæ. Ergo in triduo per verba non fuisset facta mystica separatio; negatur Consequentia: optimè enim consistunt, aliqua esse à parte rei separata, & illam separationem mysticè per verba significari. Nec video quid aliud huic modo explicandi possit efficaciter objici.

53. quæ non placet Lugoni,

Interim quia minùs placens Lugoni, novum ipse excogitavit dicens n. 65. quando ad rationem Sacrificii exigimus destructionem hostiæ, nomine destructionis non semper intelligi physicam vel metaphysicam corruptionem substantialem hostiæ, sed destructionem, vel physicam vel humanam; ita ut ex vi significationis hostia, prout est in termino illius actionis, habeat statum aliquem decliviorem, & saltem humano modo desierit. Sic apud veteres effusio vini in terram in honorem Dei dicebatur libatio & sacrificatio: certum autem est quòd per effusionem formaliter non corrumpebatur substantialiter vinum, donec postea paulatim siccaretur & consumeretur; Sacrificium autem in ipsa effusione fiebat, quia nimirum per illam destruebatur humano modo, quatenus accipiebat jam statum aliquem inutilem ad priores operationes: jam enim non poterat deservire ad usus humanos, sicut anteà, quod sufficit, ut dicatur humano modo destrui & consumi, licèt in sua substantia non patiatur mutationem substantialem. Hæc ille.

& ideo alio modo explicat destructionem Corporis Christi,

Quæ applicans ad propositum n. 67. inquit, licèt ipsâ consecratione non destruatur Corpus Christi substantialiter, sed tamen destruitur humano modo, quatenus accipit statum decliviorem, & talem, quo reddatur inutile ad usus humanos corporis humani, & aptum ad alios diversos usus per modum cibi: quare humano modo idem est ac si fieret verus panis, & aptaretur ac condiretur in cibum; quæ mutatio sufficiens est ad verum Sacrificium.

Greg. Nyss.

In hoc sensu locutus videtur Gregorius Nyssenus Orat. 2. de Christi Resurrectione, colum 6. ubi probat Christum seipsum obtulisse in Sacrificium, antequam se Apostolis edendum dedisset his verbis: *Tunc apertè declaravit, Agni Sacrificium iam esse perfectum: nam victima corpus non est ad edendum idoneum, si animatum sit. Quare cum Corpus edendam & Sanguinem bibendum Discipulis exhibuit, iam arcana, & non aspectabili ratione corpus erat immolatum, ut ipsius mysterium peragentis potestati collibuerat.* Redigere ergo illud corpus ad statum cibi comestibilis, fuit quasi occidere illud non physicè, sed moraliter seu humano modo.

Ecce tres modi, quibus explicatur immutatio hostiæ in Sacrificio novæ Legis. Elige quem malueris; & non poteris dubitare de veritate primæ propositionis sive primæ partis Conclusionis.

54. Conclusio. Essentia Sacrificii in sola consecratione.

Secunda propositio erit: *Sacrificium novæ Legis consistit essentialiter in sola consecratione*, id est, consecratio, præcisâ omni alia actione seu ritu Missæ, est essentialiter Sacrificium, & nulla alia actio, præcisâ consecratione, est essentialiter Sacrificium. Ratio patet ex dictis; quia sola consecratio est oblatio rei sensibilis cum ejus immutatione, legitimè instituta ad protestandum summum Dei Dominium in vitam & mortem.

55. Probatur ex defectu in oblatione verbali sive ea præcise consecratione, licet alias requisita evidenter adsint.

Et quidem quod attinet ad oblationem verbalem & elevationem panis & vini sub Offertorio, constat illam esse ceremoniam ab Ecclesia institutam, quæ non semper videtur fuisse adhibita, immo de facto non adhibetur ex præscripto Rubricarum Tit. de Defect. Missæ cap. 3. & 4. quando celebrans ante consecrationem advertit defectum substantialem hostiæ aut vini; v. g. hostiam non esse triticeam, aut vinum esse corruptum. Profectò Christus in ultima Cœna, teste Tridentino sess. 22. cap. 1. verè obtulit Sacrificium novæ legis; oblationem autem illam adhibuisse, mera conjectura est sine aliquo vel levi fundamento. Multò minùs illam præscripsit tamquam partem Sacrificii.

Accedit, quòd in illa non fiat aliqua immutatio, nisi fortè aquæ in vinum, quam constat non esse institutam ad protestandum summum Dei Dominium in vitam & mortem, ut alibi dixi.

56. Probatur ex consecratione subsequentis.

Quæ autem oblationis antecedentis, eadem est ratio oblationis verbalis consecrationem subsequentis: nam & illa ceremonia est ab Ecclesia instituta; nec fuit à Christo, aut etiam in initio Ecclesiæ ab Apostolis adhibita. Unde & subinde omittitur, quando videlicet Sacerdos post sumptionem calicis advertit fuisse aquam; tunc enim iterum consecrat, & statim sumit, ut præscribitur in Rubricis suprà cap. 4. num. 5.

Constat quoque in illa oblatione nullam fieri immutationem; & aliunde ratio oblationis, ut patet ex dictis, quasi in actu exercito sufficienter includitur in ipsa consecratione: sicut olim in Sacrificiis non requirebatur aliqua oblatio, præsertim verbalis, distincta ab hostiæ mactatione, v. g. arietis occisione, facta in protestationem summi Dominii Dei.

57. Objectio Tridentini.

Dices primò; Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 1. tamquam distinctas enumerat potestatem consecrandi, & potestatem offerendi, dicens: *Fateri etiam oportet in ea* (Catholica Ecclesia) *novum esse visibile & externum Sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis, eorumq; successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi, & ministrandi Corpus & Sanguinem eius.* Ergo consecratio est distincta actio ab oblatione, prout etiam ab administratione Sacramenti. Et ratio est;

Arguitur.

est: quia oblatio supponit rem, quæ offertur; consecratio autem rem consecratam non supponit, cùm res consecrata sit terminus consecrationis.

quæ ratio rejicitur.

Ratio certè nullius pili. Nonne sicut res consecrata est terminus, sive effectus, ut sic loquar, consecrationis, ita pariter res oblata est terminus sive effectus oblationis? Et res quæ consecratur (sive dixeris esse substantiam panis & vini, sive species, sive Corpus & Sanguinem Christi) nonne præsupponitur consecrationi, sicut ovis vel agnus olim præsupponebatur mactationi seu immolationi? Et sicuti res, quæ offertur, præsupponitur oblationi?

58. Planè, inquis; verumtamen per consecrationem res consecrata accipit alium statum, ab illo, quem habebat ante consecrationem, non sic res oblata per oblationem.

Potestas offerendi est distincta à potestate consecrandi.

Optima responsio; ex qua tantùm sequitur, quòd non omnis oblatio sit consecratio, res prorsus indubitata. Ergo potestas offerendi, & potestas consecrandi, potestates distinctæ; Consequentia est evidens. Ac propterea Tridentinum suprà tanquam distinctas enumeravit, ut significaret, Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus traditam esse potestatem, non tantùm simpliciter offerendi Corpus & Sanguinem Christi jam existentia sub speciebus panis & vini; sed etiam offerendi Corpus, & Sanguinem Christi per realem, aut saltem mysticam eorum immutationem seu destructionem, collocando illa per verba consecrationis sub speciebus panis & vini. Adeò ut si per impossibile Corpus Christi desineret esse in rerum natura, per verba consecrationis de novo produceretur sub speciebus panis & vini.

Res aliqua potest offerri pro primo instanti suæ existentiæ.

Et sanè hæc productio adhuc esset vera oblatio atque immolatio. Quamvis enim regulariter res, quæ offertur vel consecratur, præsupponatur tempore oblationi, vel consecrationi: equidem quid obstat quò minùs res offeratur aut consecretur pro primo instanti suæ existentiæ? Offerri quidem non potest, quod non est; sed quòd offerri non possit, quod anteà non fuit, nullâ ratione probatur.

59. Explicantur verba Catechis. Rom.

Secundùm jam dicta intelligo quod lego in Catechismo Romano parte 2. cap. 4. qu. 55. *Differunt*, inquit, *plurimùm inter se duæ hæ rationes* (Sacramenti, & Sacrificii) *Sacramentum enim consecratione perficitur; omnis verò Sacrificij vis in eo est ut offeratur.* Ergo consecratio non est oblatio, nego Consequentiam. Tantùm enim vult Catechismus rationem Sacramenti consistere in aliquo permanente, speciebus scilicet consecratis; rationem autem Sacrificii in actione transeunte: & verò quòd consecratio non sit talis actio, nulla mentio.

Porrò quòd ille sit sensus istorum verborum, colligo ex sequentibus: *Quare*, inquit, *Sacra Eucharistia dum in pixide continetur, vel ad ægrotum defertur, Sacramenti, non Sacrificii rationem habet.*

60. Hæc doctrina non contrariatur Scoto.

Dices II. hæc doctrina contrariatur Scoto 4. dist. 13. q. 2. n. 6. ubi sic ait: *Oblatio non pertinet* (loquitur de oblatione antecedente) *ad rationem consecrationis, nec necessariò requiritur quòd offeratur: offertur enim hostia non consecrata, & tunc est Sacrificium, non Sacramentum: sicut Eucharistia consecrata conservata in pixide est Sacramentum, licet non ut ibi sit Sacrificium, nisi aptitudinaliter.*

qui loquitur de Sacrificio latè sumpto.

Respondeo Doctorem loqui de Sacrificio latè sumpto, pro oblatione, etiam ceremoniali, maximè quæ disponit ad essentialem oblationem. Colligo; quia agit illo loco de necessariis ad consecrationem, & potissimùm de Ministro: ergo non spectabat ad ipsius intentum loqui de alio Sacrificio, quàm impropriè dicto, hoc est, de oblatione præparatoria materiæ veri & proprii Sacrificii.

Ideo autem dicit Offertorium non spectare ad Sacramentum, quia & ipsum Offertorium, & cætera omnia, quæ ab Offertorio in Missa leguntur, ordinantur ad Sacrificium, hoc est, ad ipsum mysterium quà Sacrificium est, & non quatenus est Sacramentum.

61. Offerens impropriè dicitur sacrificans.

Dicitur ergo Sacerdos elevans, & offerens hostiam, impropriè sacrificare eo modo, quo in lege veteri dicebantur sacrificare omnes illi, qui imponebant manum super caput victimæ suæ, quæ immolabatur & propriè sacrificabatur à solis Sacerdotibus, Levit. cap. 3. vers. 1. & 2. *Quod si hostia pacificorum fuerit eius oblatio, & de bobus voluerit offerre marem sive fœminam, immaculata offeret coram Domino. Ponetq; manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi testimonii, fundentq; filii Aaron Sacerdotes sanguinem per circuitum.* Levit. 3.

Idem hodie contingit in Sacrificio Eucharistico, quando Sacerdos elevat hostiam, & offert, ac postea calicem; quod etiam per ipsa verba Offertorii denotatur: siquidem vocatur, *Immaculata hostia*, &, *Calix salutaris*; unde illa oblatio non sistit tantùm in materia subjecta, quæ manibus tractatur, sed transit etiam ad oblationem essentialem sive consecrationem, quam primariò intendit.

Differentia inter offerentem in veteri & in nova lege.

Differentia sola est, quòd in veteri lege, alii erant, qui manus ponebant super caput victimæ, alii, qui propriè sacrificabant; in nova autem lege unus & idem offerat, & propriè sacrificet; quamquam in casu extraordi-

nario possit esse alius, v. g. si post consecrationem Corporis Sacerdos moriatur, tunc enim secundùm præscriptum Rub. Tit. de Defect. cap. 10. n. 3. *Missa per alium Sacerdotem expletur ab eo loco, ubi ille desiit*, qui tamen Sacerdos non obtulit vinum, quod consecrat.

62. Res quæ offertur sæpiùs vocatur Sacrificium.

Sanè haud infrequenter à Sanctis Patribus per Sacrificium intelligitur materia Sacrificii, & cùm hostia, quæ offertur, sit materia Sacrificii, saltem secundaria; quidni Doctor Subtilis convenienter ipsam appellaverit Sacrificium?

Quod & facit Ecclesia in Missa dicens: *Veni sanctificator omnipotens æterne Deus, & benedic hoc Sacrificium.* Ut autem ostendat se non intelligere proprium Sacrificium, continuò adjungit: *Tuo sancto nomini præparatum.* Non dicit *oblatum*, scilicet essentialiter, sed *præparatum* ad essentialem oblationem, id est, consecrationem.

Similiter in principio Canonis vocat *Sancta Sacrificia illibata* ibi: *Vti accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc Sancta Sacrificia illibata*: sub intellige, *tuo sancto nomini præparata.*

63. Explicatur doctrina Scoti.

Neque aliter intelligi potest, quod ibidem Scotus docet de Eucharistia consecratâ, conservatâ in pixide. Constat quippe illam non posse denuò sacrificari, sive essentialiter offerri per consecrationem, sed tantùm ceremonialiter; novo utique interno affectu, vel etiam exterioribus verbis, Deo Patri Christum jam immolatum offerendo: sicut victima in veteri lege, quæ jam cremabatur in altari, poterat novo affectu Deo iterum offerri.

Obiectio.

Sed contrà; Eucharistia consecrata potest essentialiter offerri sive propriè sacrificari per sumptionem, & hæc videtur fuisse intentio Scoti.

Solvitur.

Respondeo, quidquid sit de sumptione Eucharistiæ, prout fit à Sacerdote consecrante, de qua inferiùs suo loco agemus, certum est apud omnes, sumptionem factam à laicis, vel Sacerdote extra Sacrificium, in quo fuit Eucharistia consecrata (de qua necessariò deberet Scotus intelligi, quia agit de Eucharistia in pixide conservata) certum, inquam, est hujusmodi sumptionem de facto (quidquid sit de possibili) neque esse partem essentialem, neque integralem Sacrificii propriè dicti, unici in nova lege.

64. Communio laicorum non est de necessitate Sacrificii.

Equidem absque Communione laicorũ ritè peragi Sacrificium, docet Concilium Tridentinum sess. 22. c. 6. dicens: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent ..... nec tamen si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat, sed probat atque adeò commendat.*

Et contrarium asserentes damnat eâdem sessione can. 8. his verbis: *Si quis dixerit Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoq; abrogandas, anathema sit.* Quis ergo dubitet sine Communione laica Sacrificium Missæ substantialiter esse perfectum? Nonne in Missis plerumque omittitur, aut fit ex formulis seu hostiis præconsecratis?

Dixerit autem quispiam, Communionem, quæ fit, sive à Sacerdote sive à laicis ex hostiis præconsecratis, esse essentialiter Sacrificium, aut partem integralem Sacrificii præcedentis?

Quidni inquis? Nam in primis feriâ 6. Parasceves fit Sacrificium, ut colligitur ex oratione Officii: *Sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie* &c. nulla autem actio sacrificativa tunc fieri videtur præter sumptionem. 65. Obiectio.

Deinde quælibet sumptio Eucharistiæ, sive à Sacerdotibus, sive à laicis, extra, vel in ipso Sacrificio, est oblatio rei cum sui immutatione ad protestandum summum Dei Dominium in mortem & vitam: ergo novum Sacrificium.

Officium Parasceves non est propriè Sacrificium.

Respondeo ad primum; Officium illius diei non esse propriè Missam, atque adeò nec Sacrificium, cùm ad essentiam Sacrificii indubiè concurrere debeat consecratio, quæ isto die non fit; uti nec concurrit utraque species, cùm tamen de facto constet in toto orbe non posse, saltem licitè, offerri Sacrificium in unica specie. Sumitur itaque Sacrificium ibi latiùs, sive pro re sacrificata & apta iterum offerri ceremonialiter, sive pro actionibus in communi Sacrificio usurpari solitis, tametsi principalis & essentialis actio desit.

Nonne benedictio cerei Paschalis appellatur Sacrificium? *Suscipe Sancte Pater* (canit Ecclesia) *incensi huius Sacrificium vespertinum.* Nùm ideo proprium Sacrificium?

Aliqui respondent, Officium istud esse complementum Sacrificii præcedentis diei, & propterea vocari Sacrificium. Verùm, ut alibi adhuc dixi, quid restat complendum, cùm prius Sacrificium completum fuerit? Et si complendum foret, sanè non posset tanta interponi interruptio: sicut plerique docent non perfici postridie Missam, heri relictam imperfectam ob defectum Sacerdotis, qui supleret. 66. Nequit complementum Sacrificii præcedentis dici.

Accedit, quòd alioquin Sacerdos quoties se extra Sacrificium communicaret, toties compleret Sacrificium, fortè ab octiduo & ultra oblatum.

Denique id habet sensus communis, quòd scilicet illo die non sacrificetur, ob Sacrificium Probatur sensu communi.

cium cruentum, quod tunc peractum existimatur. Ita explicat Rupertus lib. 6. de Divinis Officiis cap. 3. dicens: *Hodie non sacrificamus, dum nobis hostia de manibus tollitur, non sacrificant amici, dum trucidant inimici.*

Rupertus.

67. Sententia Lugonis.

Quantùm ad secundum, admittit Lugo, sumptionem Eucharistiæ à quocumque fiat sive à Laico sive à Sacerdote, esse oblationem Corporis & Sanguinis Christi, cum eorum immutatione ad protestandum summum Dei Dominium in vitam & mortem: attamen si inferas; ergo dum Laici communicant, propriè sacrificant, negat Consequentiam: quia (inquit disp. 19. n. 79.) non quævis sumptio sufficit, sed quæ fit à legitimo ministro, & hoc intentione sacrificandi.

Sacerdotem sumendo Eucharistiã, posse sacrificare.

Si instas: ergo saltem Sacerdos, quoties communicat de manu alterius, posset sacrificare. Respondet, si haberet animum sacrificandi, posset sacrificare, non completè, sed incompletè eo modo, quo sacrificat feriâ sextâ in Paraseeve: ad hoc enim parùm refert propriâ vel alienâ manu communicare; cæterùm peccaret graviter Sacerdos, qui talem animum haberet

68. Improbatur.

Sed cur hoc? Vel enim Christus voluit illam sumptionem esse complementum Sacrificii præcedentis, vel non. Si primum, quid obstat quò minùs possim illud complementum intendere? Nam præceptum Ecclesiæ, graviter prohibens talem animum, ubi reperitur? Certè nullam video rationem, illum animum merè internum prohibendi.

Sin verò id Christus non voluerit (quod puto) intentio Sacerdotis non potest facere, ut illa sumptio sit verum novæ legis Sacrificium, sive completum sive incompletum: imò nec Ecclesia licitè potest, cùm Christus sibi reservaverit institutionem Sacrificii in nova lege. Et sic satis intelligo, quomodo Sacerdos graviter peccaret, qui vellet instituere novum Sacrificium contra prohibitionem Christi, assumendo seu adhibendo sumptionem Eucharistiæ sine consecratione ad protestandum summum Dei Dominium in vitam & mortem.

Ecclesia non voluit quòd sumptio Euchar. in Paraseeve foret Sacrificium.

Quapropter non est verosimile, vel ipsam Ecclesiam hoc fecisse, quando ordinavit officium Veneris sancti: sed tantùm voluit, ut Sacerdos publico ac solemni ritu seipsum communicaret ex præconsecratis in memoriam cruenti Sacrificii illâ die peracti.

Trident.

Enimverò in Eucharistiæ sumptione, ut ait Tridentinum sess. 13. cap. 2. *Colere nos sui memoriam* Christus *præcepit, suamq; annuntiare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat.* Quò circa ignoro planè, quam ob causam graviter peccaret Sacerdos, qui feriâ sextâ Paraseeves privatim communicaret, ex hostia, præcedenti die consecratâ, ad celebrandam illam memoriam.

69. Ex his jam facilis est responsio ad secundum argumentum. Estò sumptio Eucharistiæ extra Missæ Sacrificium foret oblatio cum immutatione rei oblatæ; dico illam non esse à legitima protestate institutam ad protestandum summum Dei Dominium in vitam & mortem, sed solùm in memoriam mortis Christi; adeòque non esse verum Sacrificium, ut patet ex dictis Conclusione primâ. Et magis vocari debet consumptio rei oblatæ, quàm oblatio.

Sumptio Eucharistiæ extra Sacrificium Missæ non est verum Sacrificium.

Quomodo autem illa consumptio, quando fit in ipso Sacrificio Missæ à Sacerdote celebrante, possit dici pars integralis illius Sacrificii, edissero in quarta propositione. Hìc sufficiat nullâ ratione posse probari, quòd illa consumptio pertineat ad essentialem rationem Sacrificii.

Consumptio Euchar. non pertinet ad essentiam Sacrificii.

Nam quod aliqui dicunt; Sacrificium novæ legis est holocaustum: ergo ad rationem illius spectat hostiæ consumptio per manducationem; ad hoc, inquam, respondeo negando Consequentiam: siquidem ad holocaustum sufficit, ut Victima totaliter offeratur in honorem Dei, sive hoc fiat per totalem hostiæ consumptionem per ignem, ut in veteri Testamento, sive per talem oblationem, quâ res dicatur totaliter & integrè Deo oblata, nullâ ejus parte cedente in humanũ usum, aut utilitatem, nisi spiritualem, ut factum est in Sacrificio Crucis, & fit in Sacrificio incruento novæ legis.

70. Objectio. Solvitur.

Sanè quæ in veteri lege per manducationem consumebantur, non erant holocausta, sed alterius generis Sacrificia; adeoque hostiæ sumptio, rationem holocausti videtur potiùs evertere, quàm statuere. Neque per ignem sic consumebantur holocausta veteris legis, quin remaneret materia prima. At verò in Sacrificio Missæ per consecrationem destruitur tota substantia panis, estò sit tantùm hostia secundaria.

Holocausti rationem sumptio hostiæ potiùs evertit, quàm statuat.

Cætera, quæ contra hanc doctrinam objici solent, reservo pro explicatione quartæ propositionis, quia ad summum probant sumptionem esse partem integralem Sacrificii.

Impræsentiarùm supereſt, ut probemus fractionem hostiæ, ejusque mixtionem cum Sanguine, non pertinere ad rationem Sacrificii Missæ. Et verò quid facilius? Constat namque Christum non fuisse usum in ultima Cœna fractione illâ mysticâ, sed eam tantùm adhibuisse ad communem usum, ut scilicet sic fieret commodiùs distributio Discipulis; imò juxta varios Expositores Sacræ Scripturæ & Scholasticos Doctores consecrationem præcessit, prout significare videtur contextus verborum Matth. 26. v. 26. *Cœnantibus eis accepit Iesus panem & benedixit, ac fregit, deditq; Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: Hoc est Corpus meum.*

71. Fractio hostiæ, ejusque cum Sanguine mixtio non est de ratione Sacrificii.

Matth. 26.

Similiter Christus non fuit usus hâc mixtione: intinctus enim panis quem Judæ porrexit (unde forsan aliqui sumerent argumentum) non fuit Eucharisticus, sed usualis.

72. cùm possint omitti salvo Sacrificio.

Confirmatur; quia etsi hæ ceremoniæ omittantur, non censetur propterea Sacrificium manere substantialiter imperfectum aut supplendum. Nonne ex præscripto Rubricarum fractio omittitur, si hostia ante fractionem in calicem cadat? Titulo de Defect. cap. 10. n. 10. sic lego: *Si propter frigus vel negligentiam hostia consecrata diabatur in calicem, propterea nihil est reiterandum, sed Sacerdos Missam prosequatur, faciendo ceremonias & signa consueta cum residua parte hostiæ, quæ non est madefacta sanguine, si commodè potest. Si verò tota fuerit madefacta, non extrahat eam* (sive fracta fuerit sive non) *sed omnia dicat omittendo signa, & sumat pariter Corpus & Sanguinem.* *Rubr. Miss.*

Quæ cùm ita sint, dico iterum cum communi sententia, Sacrificium novæ legis essentialiter consistere in consecratione (quod Scotus nuspiam negat, ut perperam ipsi affingit Dicastillo Tract. 5. disp. 1. n. 171.) idque in sola consecratione: unius, an utriusque speciei? Eligo, & erit *Dicastillo.*

73. Sacrificium essentialiter consistit in consecratione unius speciei:

Propositio tertia: *Sacrificium novæ legis consistit essentialiter in sola consecratione unius speciei; id est, in consecratione solius panis, aut etiam solius vini, habetur ratio veri Sacrificii.* Est enim immutatio rei oblatæ, legitimè instituta ad protestandum summum Dominium Dei in vitam & mortem. Rei, inquam, oblatæ, tam minùs principalis per ejus physicam destructionem, quàm magis principalis per ejus physicam productionem, & humanam atque mysticam destructionem; utique repræsentativam mortis Christi (quãvis non ita expressè) per separationẽ Corporis à Sanguine, quatenus ex vi verborum ponitur vel solũ Corpus, vel solus Sanguis.

Enimverò sicuti in unica specie est verum Sacramentum; cur non itidem in unius speciei consecratione sit verum Sacrificium, etsi non integrum, utì nec in unica specie integrum Sacramentum? Quapropter ne videamur ex toto recedere à communi sententia sit

74. quam consecratio alterius, & sumptio utriusque integraliter complent;

Propositio quarta: *Consecrationem unius speciei iure divino integraliter complent consecratio alterius & sumptio utriusque.* Hæc est ultima pars Conclusionis, quæ maximè probatur ex universali & perpetua praxi Ecclesiæ, quæ exemplo ipsius Christi à principio semper obtulit Corpus & Sanguinem sub speciebus panis & vini, & summè solicita fuit pro utriusque speciei sumptione, quod signum est Ecclesiam sic intellexisse institutionem Christi; ut quamvis in consecratione unius tantùm speciei haberetur ratio veri Sacrificii, haud equidem Sacrificii totalis & completi à Christo instituti, & præcepti.

quia perfectiùs repræsentat mortem Christi.

Certè non est dubium, magis expressè significari mortem Christi per consecrationem utriusque speciei, quàm unius tantùm. Præterea ex Scriptura & Concilio Tridentino sess. 22. cap. 1. manifestum est, Christum utramque

Probatur

speciem consecrasse; imò Apostolis præcepisse, ut idem facerent, apertissimè significat Tridentinum loco jam citato dicens: *Et eisdem* (Apostolis) *eorumq; in Sacerdotio successoribus, ut offerrent* (Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini) *præcepit* (Christus) *per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem.* quoque ex facto & præcepto Christi. Trident.

Et contrarium asserentes damnat can. 2. ejusdem sessionis his verbis: *Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi aliiq; Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum, anathema sit.*

De hac ergo veritate non est ambigendum; ex qua ad minus sequitur, consecrationem utriusque speciei, estò non ad essentiam Sacrificii, saltem necessariam esse ad ipsius integritatem & perfectionem à Christo intentam. Vide quæ diximus de hac controversia disp. 4. sect. 4. concluf. 11.

75. Sumptio non est pars essentialis.

Venio ad sumptionem, quæ licèt non sit pars essentialis; equidem videtur esse pars aliqua integralis à Christo præcepta in Sacrificio novæ legis. Porrò quòd non sit pars essentialis, id est, sine qua essentia Sacrificii non subsisteret, apud me certum est, quidquid aliqui sine fundamento contradicant; remitto Lectorem ad ea, quæ diximus disp. 4. sect. 4. concluf. 11.

Addo caput *Relatum* 11. de Consec. dist. 2. ubi ex Concilio Toletano XII. cap. 5. sic dicitur: *Relatum est nobis quosdam de Sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot Sacrificia in uno die videntur offerre: sed si in uno die plurima per se offerant Sacrificia, in omnibus se oblationibus à communione suspendant, & in sola tantùm extrema Sacrificii oblatione communionis sanctæ gratiam sumant, quasi non sit toties illi vero & singulari Sacrificio participandum, quoties Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi immolatio facta constiterit.* Ubi apertissimè distinguitur sumptio ab immolatione sive actione sacrificativa. in alterutra ex citatis de Consecr. dist. 2.

Quod etiam sit in Oratione secreta Festi Epiphaniæ, quæ talis est: *Ecclesiæ tuæ quæsumus Domine, dona propitius intuere, quibus non iam aurum, thus & myrrha profertur, sed quod eisdem muneribus declaratur, immolatur, & sumitur.*

76. quomodo exponenda.

Sed contrà ex capite *Relatum*: *Quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?* Respondeo, petit Concilium assignari ullum Sacrificium, cujus ipse sacrificans particeps esse non debeat, juxta illud Apostoli 1. Cor. 10. v. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* 1. Cor.

Unde concludens Concilium ait: *Ergo modis omnibus est tenendum, ut quotiescumque sacrificans Corpus & Sanguinem Iesu Christi Domini nostri in altario immolat, toties perceptionis Corporis & Sanguinis Christi participem se præbeat.*

Vult

Vult ergo illo modo interrogandi tantùm inculcare Sacrificium, cujus Sacerdos non fit particeps per sumptionem hostiæ oblatæ, non esse tale, quale deberet esse, id est, non esse integrum, utpote carens perfectione aliquâ extrinsecâ sibi debitâ ex jure divino. Sicut si aliquis de Religioso dissoluto diceret: *Qualis Religiosus est ille?* Vel de Missa celebrata communibus vestibus: *Qualis Missa est ista?* Estò nihil essentiale ipsis delit.

77. Manducatio solùm est quædam participatio Sacrificii.

Profectò manducatio solùm est quædam participatio altaris, seu Sacrificii jam peracti, communis populo & Sacerdoti: *Nonne qui edunt hostias* (inquit Apostolus suprà v. 18.) *participes sunt altaris*? Neque fit Deo, aut in persona Christi, sed potiùs in manducantium utilitatem. Et cùm de Fide sit Christum sacrificasse in ultima Cœna; equidem incertum est, an Eucharistiam sumpserit.

Objicitur facti Christi. Respondetur.

Dices; saltem probabiliùs est quòd sumpserit. Respondeo, ideo etiam probabiliùs esse, quòd sumptio proximiùs accedat ad rationem Sacrificii, vel tamquam pars integralis, vel tamquam extrinseca Sacrificii perfectio, & ultimatum ejus complementum: quippe Eucharistia non tantùm ex institutione sua est Sacrificium, sed etiam convivium; adeòque sumptione illius obtinetur finis, ad quem res consecrata ordinatur.

Sumptio pertinet ad perfectionem Sacrificii.

Non tango, quòd perfectè per eam destruatur panis & vinum, etiam secundùm accidentia, non quidem physicè, sed humano modo; quia videlicet sumptionem naturaliter sequitur physica destructio specierum, & per consequens destructio præsentialitatis Corporis & Sanguinis Christi in Sacramento, sanè perfectissima & completissima destructio hostiæ tam principalis, quàm secundariæ.

78. Probatur à simili ex veteri lege.

Sicuti ergo in veteri lege holocaustum non erat perfectum & plenè consummatum, nisi hostia occisa igne esset consumpta; ita & hoc nostrum Sacrificium, quod holocaustum in se complectitur, perfectum omnino non est, saltem extrinsecè, nisi hostia, non per ignem, propter reverentiam, sed per sumptionem consumpta sit: in quo assimilatur Sacrificio Melchisedech, quod secundùm aliquos Doctores requirebat sumptionem cibi & potûs; imò in illa essentialiter consistebat, quia non erat ibi alia destructio nisi panis & vini: hic autem invenitur prior destructio, scilicet Corporis & Sanguinis.

Neque plus intendit D. Augustinus.

Juvat audire Divum Augustinum lib. 17. de Civit cap. 5. in fine ubi commentans illud 1. Reg. 2. v. 36. *Dimitte me obsecro ad unam partem sacerdotalem ut comedam buccellam panis*, vel, ut ipse ibi legit: *Iacta me in unâ partem Sacerdotij tui, manducare panem*: sic inquit: *Quod ergo addidit manducare panem, etiam ipsum Sacrificij genus eleganter expressit, de quo dicit Sacerdos ipse* (Christus Joan. 6. v. 52.) Panis, quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita: *ipsum est Sacrificium non secundùm ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech: qui legit intelligat.*

Et post pauca addit: *Hæc quippe fuerant Sacrificia Iudæorum, ideo hic dicit manducare panem, quod est in novo Testamento Sacrificium Christianorum.* Accipiendo scilicet partem integralem pro toto, & complementum extrinsecum pro re completa (non enim ostendi potest, quòd loquatur de parte essentiali) ac si diceret: Sacrificium Christianorum ultimatè perficitur per manducationem panis, sive, manducatio panis Eucharistici ultimò complet Sacrificium Christianorum, quod essentialiter consistit in illius panis consecratione.

79. aut probat consuetudo Ecclesiæ, *Rubr. Miss.*

Atque hæc est ratio, quare Ecclesia semper adhibuerit tantam diligentiam, ut ipse celebrans, aut eo deficiente, alius Sacerdos sacra Mysteria perficeret per sumptionem. *Si Sacerdos*, inquiunt Rubricæ Tit. de Defect. cap. 10. n. 3. *ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, prætermittitur Missa: si post consecrationem Corporis tantùm, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato id accidit; Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, & in casu necessitatis etiam per non ieiunum.* Ecce quanta solicitudo Ecclesiæ.

80. ex qua quidam colligerunt hanc sumptionem esse de jure divino; *Suarez.*

Quæ profectò solicitudo plerisque dedit occasionem dicendi, illam sumptionem esse juris divini: quamvis id non satis constet, teste Suario disp. 75. sect. 5. circa finem: nam Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 8. solùm dicit Ecclesiæ morem semper fuisse, ut Sacerdotes celebrantes seipsos communicarent: *Qui mos* (inquit) *tamquam ex Traditione Apostolica descendens iure ac meritò retineri debet.* *Trident.*

sed non satis efficaciter,

Ubi nulla mentio divini iuris; quia Traditio Apostolica non semper infert jus divinum, ut patet in jejunio Quadragesimæ, quatuor temporum, & similibus constitutionibus circa varios ritus Sacramentorum. Nec ibi intendit Concilium docere quid absolutè præceptum sit; sed potiùs quid liceat, scilicet quòd liceat Sacerdoti offerenti communicare seipsum, ut definit can. 10. (qui correspondet cap. 8.) hisce verbis: *Si quis dixerit non licere Sacerdoti celebranti seipsum communicare, anathema sit.*

ut patet à simili.

Sanè cùm vix ullo casu liceat sine vestibus sacris celebrare, equidem sunt juris humani, & nullatenus ad essentiam Sacrificii pertinentes. Ergo similiter licèt Ecclesia semper fuerit solicita, & nunquam permiserit, ut Sacrificium offeratur sine sumptione; equidem ex hoc non convincitur jus divinum (quamvis sit probabiliùs) minùs quòd sumptio sit pars essentialis Sacrificii; sed ad summum probatur, quòd sit pars integralis, vel potiùs complementum aliquod extrinsecum, ut Mysterium Eucharistiæ omni ex parte, tam in ratione Sacrificii, quàm Sacramenti, consummetur & ad usum reducatur, saltem à ministro publico conficiente il-

lud, & præterea ut minister ipso opere se exhibeat perfectum ministrum, ostendendo ad se Sacrificium pertinere, seque illi consentire, esseque dispensatorem illius cibi, cujus primò sit particeps.

81. Obiectio. Contrà; si sumptio tantùm esset pars integralis, aliquando posset omitti; sic enim satisfactio, quæ est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, aliquando omittitur.

Solutio. Respondeo; disparitatem esse, quòd satisfactio sit pars minùs principalis, utpote requisita ad minùs principalem effectum, scilicet remissionem pœnæ temporalis, quæ aliquando non est necessaria, vel si necessaria, satisfactio pœnitenti est impossibilis. At verò sumptio semper est pars gravissima, utique ordinata ad effectum eiusdem rationis & ad cultum Dei, qui fit per completam destructionem Victimæ, & ideo sine gravi culpa non potest omitti, quando per se vel per alium est possibilis, estò solùm sit pars integralis: neque enim omnium partium non essentialium æqualis est necessitas; quippe talis pars hominis est manus, & talis pars etiam sunt capilli; & tamen non ita necessarii sunt capilli ad integritatem & perfectionem hominis, sicut manus; illi enim pertinent ad quandam decentiam & finem secundarium, manus verò ad operationes & finem primarium.

Quare potiùs liceat aliquando omittere Satisfactionem quàm sumptionem.

Potestas consecrandi nunquam potest dari sine potestate absolvendi. 83 Sic etiam Ordinatio Sacerdotum habet duas partes, prior dat potestatem consecrandi; posterior dat potestatem absolvendi: & licèt prior possit esse essentialiter sine posteriori; numquam tamen potest dari una, quin teneatur Episcopus dare postea aliam: quòd si moreretur Episcopus, deberet substitui alius, qui compleret Ordinationem, ne maneret incompleta.

Quidam admittunt Sacrificium non debere perfici ab alio Sacerdote. *Soto. Diana.* Hæc tamen non sunt ita certa, quin Soto & tres alii Auctores apud Dianam parte 9. Tract. 6. resol. 18. quin, inquam, doceant, si Sacerdos moriatur post consecrationem, non teneri alium sub mortali Sacrificium perficere. Quam etiam sententiam Diana ibi censet probabilem.

82. Alii dicunt sufficere quòd Sacerdos sumat hostiam præconsecratam; Inveniuntur & aliqui, qui audent dicere, quòd possit Sacerdos in Missa non sumere quidquam ex hostia, quam consecravit, sed illam in sacrario servare & sumere solam hostiam, quæ anteà in sacrario erat; quod quidem dicunt absque ullius auctoritate, afferentes solum usum ex ignorantia quorumdam Parochorum, qui ita faciunt.

sed hoc repugnat communi sensui Ecclesiæ. *Rubr. Miss.* Dico, *Ex ignorantia* &c. quia est contra communem sensum Ecclesiæ, quæ in Rubricis Missarum Tit. de Defect. cap. 10. n. 6. ita statuit: *Si aliquod venenosum ceciderit in calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuò consecrandum.* Et n. 7. *Si aliquod venenatum contigerit hostiam consecratam, tunc alteram consecret & sumat.* Denique n. 13. *Si contingat totum sanguinem post consecrationem effundi, siquidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur . . . . . Si verò nihil omnino remansit, ponat iterum vinum & aquam, & consecret.*

Hæc tamen non semper forent necessaria, imò fortè nec licita, si sufficeret ad integritatem Sacrificii sumere de consecratis in alia Missa. Neque enim secunda consecratio licet, nisi necessaria fuerit ad perfectionem Sacrificii. Quis namque dixerit, Sacerdotem de novo posse consecrare calicem, quando ex calice consecrato dimidia pars effunderetur, & dimidia remaneret? Hactenus nemo; idque, quia dimidia pars, quæ remansit, sufficit ad perficiendum Sacrificium.

Ubi omnia quæ necessaria ad consecrationem deficiunt. Ad usum quorundam Parochorum Respondeo, esse abusum. Sicuti dum hæc scribo, refertur à viro fide digno, quemdam Parochum, cùm in festo Paschatis non inveniret formulas consecratas, sufficientes pro Communione adventantium, secretò extra Sacrificium novas consecrasse. Num propterea hoc erit licitum, & aliis Pastoribus imitandum? Non puto.

Sumptio hostiæ consecratæ. His itaque maturè expensis, videtur probabiliùs quòd sumptio Eucharistiæ, de qua hactenus egimus, pertineat ex institutione Christi ad integritatem Sacrificii novæ legis, & (si ita placeat loqui, quia quæstio est de nomine) ad substantiam; ita tamen quòd posità consecratione, sit posita substantia Sacrificii, adveniente verò sumptione ponatur adhuc aliqua pars substantiæ.

Sumptio hostiæ. Sicuti quando Sacerdos sumit mediam partem hostiæ, sumit substantiam Sacramenti; sic tamen quòd sumptio alterius partis sit etiam aliquid substantiale, pertinens ad sumptionem ejusdem moraliter Sacramenti. Nonne homo est substantialiter perfectus sine manibus? Et tamen manus sunt pars aliqua substantiæ.

Sumptio hostiæ. Si objicias: ergo in sola sumptione salvatur tota Sacrificatio, sicut in sola consecratione. Respondeo, non esse partes eodem modo; enimverò consecratio est prima pars & principalis, quæ potest reperiri sine sumptione, non ita sumptio sine consecratione. Unde sumptio celebrantis non dicitur simpliciter Sacrificium, sed consummatio Sacrificii; quemadmodum combustio victimæ in veteri lege solùm erat consummatio Sacrificii anteà oblati, utpote tantùm tendens ad maiorem destructionem: & sicuti per augmentationem hominis v.g. vel equi, non producitur homo, vel equus, sed augetur, licèt pars, quæ advenit, habeat eandem essentiam; idque quia supponit jam essentiam anteà productam.

Sumptio non est sicut consecratio. An fortè bene sequitur; corpus & caput & pes sunt partes hominis: ergo sicut sine pede conservatur essentia hominis, ita etiam sine corpore, vel sine capite?

Sumptio. Instabis: fieri potest quòd sumptio sit prima & unica

& unica destructio victimæ; v. g. si in triduo mortis fuisset consecratum.

Responsio. Respondeo; quidquid sit de valore istius consecrationis, de qua alibi disputavimus, ex hypothesi quòd fuisset valida, haud dubito quin præcessisset alia immutatio & destructio, in primis mystica mactatio per separatam positionem ex vi verborum Corporis & Sanguinis Christi. Deinde destructio humana, ut sic loquar, quatenus Corpus & Sanguis Christi, quæ non erant cibus & potus, per consecrationem illam fuissent facta cibus & potus.

Componitur ergo Sacrificium novæ legis, Primò ex duplici consecratione. Secundò ex consecratione, & sumptione. Tertiò ex ipsis partibus singularum specierum, quæ consecrantur, vel sumuntur: attamen cum hac differentia, quòd ante sumptionem omnium partium, Sacrificium sit etiam integraliter completum (sicuti homo antequam augeatur, est homo integer, licèt per ipsum augmentum acquirat aliquam partem novam & homogeneam cum præcedentibns) secùs ante consecrationem utriusque speciei, vel sumptionem saltem alicuius partis utriusque speciei.

Sacrificium novæ legis variè componitur.

86. Objectio. Si objiciatur; per sumptionem ad summum destruuntur species. Respondeo, nullatenus requiritur, quòd destruantur omnes partes rei oblatæ, satis est destrui totum, ut patet in cruce, ubi nec corpus, nec anima fuerunt destructa, & tamen fuerunt oblata. Et ita impræsentiarùm per sumptionem destruitur panis cælestis, constans ex Corpore & speciebus, per hoc quod eximitur usibus humanis, quibus anteà erat aptus.

Responsio.

Instabis rursum; in hoc Sacrificio principalis offerens est Christus, ut inferiùs dicetur: ipse autem non manducat, sed solus Sacerdos.

Instantia.

Respondeo, etiam in cruce fuit offerens, & tamen seipsum non occidit, sed permisit occidi; in Sacrificio autem incruento non solùm permittit se manducari, sed etiam præcipit. Liquet profectò Sacerdotes apud Gentiles non semper manu propriâ hostias occidisse.

Solvitur.

87. Cur Eccle. sa ordinaverit commemorationem defunctorum post consecrationem. Ex quibus omnibus patet, non frustra Ecclesiam ordinasse commemorationem defunctorum post consecrationem; quia quamdiu durat consummatio illius Sacrificii, potest adhuc iterum atque iterum applicari, saltem impetratoriè, & pro majori & majori applicatione potest extendi ad plures effectus, saltem fallibiliter, & ex opere operantis; fortè etiam illud *Memento*, uti & alia, quæ ante sumptionem fiunt sub Sacrificio, proderunt ex opere operato: sed hoc non est necessarium. Certè nemo negare potest, quin orationes, quæ in illa commemoratione à Sacerdote pro defunctis funduntur, æquè aut magis ipsis prodesse possint, quàm aliæ quæ dicuntur post Communionem.

Ultima objectio sit: Si sumptio est pars integralis; ergo hostia, quam Laicus sumit, nondum est sacrificata. 88.

Ad rationem Sacrificii sufficit alicuius partis consumptio. Respondeo Negando Consequentiam; quia sufficit, quòd aliqua pars Sacrificii sit consumpta: sicut olim ut totum vinum diceretur sacrificatum, satis erat, quòd aliqua pars vini effunderetur, maximè cùm in qualibet hostia totus Christus sit essentialiter sacrificatus.

Adhuc aliquis dubitat de veritate Conclusionis? Scio quòd omnes illam admittent tamquam probabilem, atque ut talis proponitur, & ex ea deducitur

CONCLUSIO IV.

Perfici debet Sacrificium, minimè refici, quando unius speciei consecratio defuit.

Perfici debet Sacrificium, ubi defuit consecratio unius speciei, non refici. 89. Ita docet Scotus 4. dist. 8. q. 3. n. 7. ibi: *Alio modo potest responderi* (loquitur de Sacerdote, qui percipiens liquorem de calice advertit esse aquam) *quòd satis bene cavere potest à scandalo, si caute fiat, nam vadens ad cornu altaris, quasi pro vino recipiendo post communionem, infuso vino & aquâ, vel iam remanente aquâ, quia non totam sumpsit, vel aqua de novo posita, poterit redire ad medium altaris, & satis in brevi tempore ab illo loco:* Simili modo postquam cœnatum est, accipiens hunc calicem *continuare poterit usque ibi:* Hæc quotiescumque; *vel usque ibi:* Unde & memores: *Et illis verbis prolatis cum debita reverentia susciperet illud tamquam sanguinem verum. Nec totum istud percipietur, nec tantum tempus occupabit, quòd populus habeat etiam occasionem accepti scandali.* Huc usque Doctor Subtilis.

quòd cum Doctore Subtili plerique tenent Recentiores, *Diana.* 90. Ipsum sequuntur plerique Recentiores, teste Dianâ parte 2. Tract. de Celeb. Miss. resol. 70. ubi bene notat, hanc sententiam approbatam fuisse in Missali jussu Clementis VIII. edito hisce verbis Tit. de Defect. cap. 4. n. 5. *Si hoc advertat* (scilicet vinum non fuisse positum, sed aquam) *post sumptionem Corporis, vel huiusmodi aquæ; apponat aliam hostiam iterum consecrandam, & vinum cum aqua in calice, offerat utrumque, consecret, & sumat, quamvis non sit ieiunus. Vel si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum, poterit apponere vinum cum aqua, & factâ oblatione ut suprà, consecrare, ac statim sumere, & prosequi cætera.*

etiam seclusō omni scandalo,

Porrò per hoc quòd dicitur: *Ad evitandum scandalum*, non volunt significare Rubricæ, quòd sit illicitum, quando abest scandalum (hoc enim nullâ ratione probatur, sed potiùs oppositum, ut mox ostendam) verùm quòd scandalum natum communiter oriri, quando celebratur in loco publico, sit justissima causa sic operandi.

Cæte-

91. Probatur ex ratione.

Cæterùm nullam esse obligationem in tali eventu, etiam secluso scandalo, iterum consecrandi aliam hostiam, probo hâc ratione; quia in Sacrificio non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum, argumento cap. 1. de Sacramentis non iterandis. Ubi Innocentius III. consultus, an permitti debeat ministrare, qui sine impositione manuum fuerit ad Ordinem Subdiaconatûs assumptus. Et si Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui per errorem fuit non Chrismate, sed oleo delinitus; Respondet: *Quod in talibus non est aliquid iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat prætermissum.*

Cùm ergo una species, ut supponitur, v. g. hostia fuerit verè consecrata & consumpta, non debet nova iterum consecrari, sed sola species vini, cujus consecratio incautè fuerat prætermissa. Alioquin non perficitur Sacrificium inchoatum, sed magis novum & integrum offertur, priori imperfecto relicto.

Non conficitur una species sine altera.

Et licèt hostia fuerit à Sacerdote consumpta, quamdiu tamen non consumitur calix, adhuc actio sacrificandi & substantia Sacrificii moraliter durat. Unde quamvis consumpto Corpore solus calix postea consecretur, non censetur una species confici sine altera; nam subsequens consecratio Sanguinis moraliter cum priori consecratione hostiæ conjungitur, & sic ex utraque conficitur una actio moralis & unum morale Sacrificium. Ita Diana suprà; qui ad Rubricas Missalis respondet, esse doctrinales, & non inducere præceptum, sed tantùm instruere, & consilium præbere.

Diana. Respon. ad Rubricas.

92. Objectio.

Dices: ceremoniæ inter consecrationem & communionem, sunt illegitimè factæ; reverà enim sanguis non est elevatus, &c.

Solutio.

Respondeo; nec elevabitur, nec aliæ fient ceremoniæ, estò secundùm aliam sententiam, nova consecretur hostia, illa siquidem iteratio ceremoniarum nullibi præscribitur. Quinimò in istis accidentalibus nihil esse iterandum satis clarè exprimitur in Rubricis Tit. de Defect. cap. 4. n. 5. ibi: *Poterit apponere vinum cum aqua: & factâ oblatione consecrare, ac statim sumere.*

Rubr. Miss. Ceremoniæ non sunt iterandæ.

Idem præscribitur cap. 3. n. 6. quando post sumptionem Sanguinis advertitur corruptio, aut alius substantialis defectus hostiæ: *Apponi* (inquiunt Rubricæ) *debet rursus novus panis, & vinum cum aquâ, & factâ prius oblatione, Sacerdos consecret, ac statim sumat utrumque & prosequatur Missam; ne Sacramentum maneat imperfectum, & ut debitus servetur ordo.* Num fortè aliquis dixerit, si hostia consecrata dilabatur in calicem, ita ut tota fuerit madefacta, novam esse consecrandam, ut suppleantur ceremoniæ?

93. Instantia.

Instabis ex Rubricis ultimo loco allegatis: estò possit sola species vini consecrari post sumptionem Corporis; equidem ut ibi præscribitur, post sumptionem Sanguinis, si defuit consecratio Corporis, non potest consecrari sola species panis; sed rursus debet consecrari utraque species, ut servetur debitus ordo in consecratione & sumptione.

Respondeo: sic quidem Rubricæ loquuntur, & ideo nova consecratio utriusque speciei licita est; imò debita secundùm sententiam Divi Thomæ 3. parte q. 83. art. 6. ad 4. etiam quando defuit consecratio solius Sanguinis; Hæc sunt verba Doctoris Angelici: *Si verò hoc perceperit* (scilicet loco vini fuisse positam aquam) *post sumptionem Corporis, aliam hostiam apponere debet iterum consecrandam simul cum Sanguine.*

Nova consecratio utriusque speciei licita.

Rationem adjungit: *Quia si diceret sola verba consecrationis Sanguinis, non servaretur debitus ordo consecrandi; & sicut dicitur in prædicto capite* (primo vel secundo) *Concilii Toletani* (septimi) *perfecta videri non possunt Sacrificia, nisi perfecta* (aliàs perfectionis) *ordine compleantur. Si verò inciperet à consecratione sanguinis, & repeteret omnia verba consequentia, non competeret, nisi adesset hostia consecrata, cùm in illis verbis operarent quædam licenda & fienda, non solùm circa Sanguinem, sed etiam circa Corpus.* Hæc ille.

Ratio adjuncta.

Sed interrogo, quæ necessitas repetendi verba sequentia? Certè nullâ, ut mox ostendimus ex Rubricis: incipiat ergo à consecratione Sanguinis ab illis verbis: *Simili modo.* Et ecce servatur debitus ordo, adeoque perfectum videri potest illud Sacrificium, utpote perfectionis ordine completum.

94. Sed licet hæc de hostiæ non sanctificatione dicta sint.

Omitto Toletanum ibi non agere de præsenti casu, sed de eventu ægritudinis: *Si ægritudinis,* inquit, *accidit qualibet eventus, quo cæptum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum Episcopo vel Presbytero alteri consecrationem exequi officij cæpti. Non enim aliud ad supplementum initiatis mysteriis competit, quàm aut incipientia aut subsequentia completa benedictio Sacerdotij, quia nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur.* Quæ verba, ut patet, in nullo præjudicant sententiæ Doctoris Subtilis.

Sententia Doct. Subtilis.

Et verò peto iterum: in quo consistit debitus ordo consecrandi? Nonne in consecratione unius speciei ante aliam; v. g. speciei panis ante speciem vini? Pono ergo casum, quòd Sacerdos, statim post consecrationem sanguinis, advertat corruptam fuisse hostiam: num ut servetur debitus ordo consecrandi, post consecrationem alterius hostiæ, rursus erit consecrandum novum vinum? Non arbitror quempiam, etiam Thomistam, id concessurum.

Igitur quod ad præscriptum Rubricarum spectat, qui eas composuerunt, Thomistæ fuerunt, & ideo secuti sententiam Divi Thomæ, quæ licèt adhuc practicari possit secluso scandalo; attamen quòd non debeat, satis probat communis praxis in contrarium.

Sententia Auctoris hujus.

95. Objectio.

Si autem ulteriùs objicias: haud satis perfectè repræsentatur mors Christi, nisi utraque species

species consecrata simul existat; Responsio patet: quòd quando Christus in ultima cœna Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, Discipulis tradidit sumendum Corpus sub speciebus panis, priusquam vinum consecrasset: & tamen quis ambigat Sacrificium illud incruentum perfectissimè repræsentasse cruentum?

Quidni repræsentasset, cùm fuerit institutum in memoriam passionis Christi? *Nam* (inquit Tridentinum sess. 22. cap. 1.) *celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitûs de Ægypto multitudo Filiorum Israël immolabat, novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitûs sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitq; de potestate tenebrarum, & in regnum suum transtulit.* Trident.

Ex hactenus dictis de essentia Sacrificii novæ Legis, festinè cognoscitur, quæ sit ejus hostia, puta,

CONCLUSIO V.

Principalis hostia Sacrificii incruenti novæ Legis est Corpus & Sanguis Christi: hostia secundaria panis & vinum.

96. Corpus & Sanguis Christi est hostia principalis,

PRima pars est indubitata ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 1. ibi: *Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit.* Et infrà: *Novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis sensibilibus immolandum.* Et verò quid aliud est hostia Sacrificii, quàm res, quæ offertur seu immolatur Deo?

docente id Tridentino,

Idem docet in principio cap. 2. dicens: *Et quoniam in divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit.* Et post pauca: *Una enim eademq; est hostia* (Sacrificii incruenti, & cruenti) *solâ offerendi ratione diversa.* Can. autem 2. definit Christum ordinasse, ut Apostoli, aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum, utique sub speciebus panis & vini, ut patet ex aliis locis mox commemoratis.

Andreas Apost.

Ego (inquit Andreas Apostolus ad Ægeam Proconsulem) *omnipotenti Deo, qui unus & verus est, immolo quotidie, non taurorum carnes, vel hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in altari.* Similiter loquuntur sancti Patres, quorum verbis referendis supersedeo, quia obvia & clarissima, ita ut à nemine sanæ mentis hæc veritas possit negari.

97. & D. Augustino,

Vnum adduco Augustinum lib. 17. de Civit. cap. 20. ubi sic ait: *Nam & in alio libro, qui vocatur Ecclesiastes ubi ait:* Non est bonum homini, nisi quod manducabit & bibet: *quid credibilius dicere intelligitur, quàm quòd ad participationem mensæ hujus pertinet, quam Sacerdos ipse mediator Testamenti novi exhibet secundùm ordinem Melchisedech de Corpore & Sanguine suo? Id enim Sacrificium successit omnibus illis Sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri ..... quia pro illis omnibus Sacrificiis & oblationibus Corpus ejus offertur, & participantibus ministratur.*

Profectò nisi Corpus & Sanguis Christi forent hostia principalis, nequaquam hoc Sacrificium præcelleret Sacrificia veteris Legis, nam in his offerebantur viva animalia, quæ procul dubio præstant pani & vino.

98. Panis & vinum sunt hostia secundaria,

Cæterùm quòd etiam panis & vinum sint hostia, sive res oblata, probatur ex modo loquendi Ecclesiæ: quippe in Offertorio Missæ appellatur panis, *Hostia immaculata*, ibi: *Suscipe Sancte Pater hanc immaculatam hostiam:* Et vinum, *Calix salutaris*, ibi: *Offerimus tibi Domne Calicem salutaris.* Ergo aliquo modo spectant ad materiam Sacrificii.

id attestante Ecclesiâ,

Confirmatur ex prima Antiphona in Vesperis Festi Corporis Christi, quæ sic sonat: *Sacerdos in æternum Christus Dominus secundùm ordinem Melchisedech panem & vinum obtulit.* Hinc Concilium Carthaginense III. can. 24. *Ut in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini, nihil amplius offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aquâ mixtum. Nec amplius in Sacrificiis offeratur, quàm de uvis & frumentis.* Carthag. III.

99. cujus loquendi modum imitantur Sancti Patres.

Hunc modum loquendi imitantur Sancti Patres, Irenæus, Cyprianus, & alii; quidni propriè intelligendi? Enimverò per actionem externam panis & vinum immutantur in protestationem summi Dominii Dei. Immutantur, inquam, per destructionem physicam totius substantiæ, ut docet fides Catholica, de qua alibi egimus.

Probatur à simili.

Sicuti ergo olim animalia, quæ occidebantur, & destruebantur solùm quoad formam, erant vera hostia, imò principalis; quoniam animal vivum præstat animali mortuo sive cadaveri: quidni similiter panis & vinum, quæ secundùm totam suam substantiam destruuntur, sint vera hostia? Licèt minùs principalis; quia per illam destructionem Christus (& per consequens Ecclesia) non intendit principaliter Deum honorare, sed magìs per productionem novæ ac sanctioris hostiæ, id est, per positionem Corporis & Sanguinis Christi, seu ipsius Christi sub speciebus panis & vini.

Dico, *seu ipsius Christi*; quia sicut totus Christus in cruce fuit cruentè oblatus, ita quoque in Missa offertur incruentè juxta Tridentinum suprà cap. 2. quamquam non incongruè dici posset, formaliter & ex vi verborum sub speciebus panis immolari Corpus, & sub speciebus vini Sanguinem; quoniam formaliter & ex vi verborum sub singulis speciebus non ponitur totus Christus. Nihilominus sicut totus realiter ponitur, saltem per concomitantiam, sic & totus sub singulis speciebus realiter immolatur.

100. Ex hac doctrina non sequitur quòd sit duplex Sacrificium,

Igitur hostia principalis Christus, secundaria, tamquam materia ex qua, seu terminus à quo panis & vinum. Num ideo duplex Sacrificium? Minimè (estò unus aut alter sic loquatur) etenim eâdem actione consecrativâ, in qua consistit essentialiter Sacrificium, destruitur panis, & sub speciebus remanentibus ponitur Christus; adeoque concurrunt illæ duæ res, ut termini à quo, & ad quem ejusdem sacrificationis, quâ panis convertitur in Corpus Christi.

Unde Ecclesia Dominicâ 7. post Pentecosten secretam Orationem Missæ sic incipit: *Deus qui legalium differentiam hostiarum unius Sacrificii perfectione sanxisti.* Quod etiam satìs clarè significat Tridentinum sess. 22. in procœmio, vocans, *Sacrificium singulare.* *Trident.*

eò quòd unum alteri sit subordinatum.

Sanè ubi unum est propter aliud, ibi, ut communiter dicitur, tantùm est unum: indubiè autem panis & vinum sacrificantur propter Corpus & Sanguinem Christi.

101. An species consecratæ sint pars Victimæ?

Sed quid dicam de speciebus consecratis? Numquid & illæ sunt pars Victimæ? Existimo planè ad eam aliquo modo pertinere, vel tamquam aliquid tenens se ex parte termini ad quem, si Sacrificium consistat essentialiter in consecratione (quod putamus) vel

Affirmatur, ut pars rei sacrificatæ, si consistat in sumptione; vel etiam ut pars intrinseca hostiæ secundariæ: nam desinit compositum ex substantia panis & speciebus, & exurgit suo modo compositum ex speciebus & Corpore; & simul species cum Corpore consumuntur in sumptione.

& modus explicatur.

Explico: Christus non obtulit seipsum, nec à Sacerdotibus sacrificatur, ut existens in propria specie; sed ut existens sub speciebus sacramentalibus panis & vini, ut manifestè constat ex Tridentino sess. 22. cap. 1. verba textûs vide in principio hujus Conclusionis: ergo species panis & vini sunt medium, sub quo Victima immolatur.

S. August.

Secundò, sunt pars Victimæ juxta illud Divi Augustini in libro Sententiarum Prosperi, ut refertur de Consec. dist. 2. cap. 48. *Hoc est quod dicimus, hoc modis omnibus approbare contendimus, Sacrificium scilicet Ecclesiæ, duobus consici, duobus constare, visibili elementorum specie, & invisibili Domini Nostri Iesu Christi carne & Sanguine, Sacramento & re Sacramenti, id est, Corpore Christi, sicut Christi persona constat & conficitur Deo & homine.*

Et ratio est; quia Sacrificium novæ Legis est visibile, ut docet Tridentinum sess. 22. cap. 1. ibi: *Vt dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium.* Ergo Victima debet esse sensibilis: ergo quod Victimam sensibilem facit, est pars. Quid illud nisi verba consecrationis & species? 102. Ratio infer. Trident.

An etiam verba consecrationis sint pars?

Si inferas: ergo etiam verba consecrationis sunt pars. Respondeo Negando Consequentiam: quia hostia Sacrificii novæ Legis est quid permanens; verba autem transeunt.

103. Sed instas; colores & accidentia sensibilia faciebant in cruce Christum sensibilem, & tamen non erant pars Victimæ. Instabis.

Respondeo; tantùm erant accidentia naturalia, quæ sine prævia institutione & sui immutatione reddebant Christum sensibilem: at verò species in Sacrificio id non habent, nisi quatenus ex speciali Dei institutione immutantur per legitimum Ministrum, id est, abstrahuntur à proprio subjecto, & transeunt ad Corpus & Sanguinem Christi. Quid ergo mirum, si species consecratæ sint pars Victimæ, secùs autem accidentia sensibilia in cruce? Nihilo.

104. Species consecratæ sunt pars Sacramenti.

Profectò nemo negare potest, quin species consecratæ sint pars aliqua Sacramenti Eucharistiæ. Et verò ipsa Eucharistia, nonne dicitur Sacrificium? Utique tamquam res oblata seu Victima. Et Victima hujus Sacrificii, nonne cedit in cibum? Et quomodo cedit in cibum nisi quà Sacramentum, adeoque quà includit species?

Cæterùm sicut species sacramentales simul cum Christo conjunguntur, & simul cum illo unum constituunt Sacramentum, ita & unum Sacrificium.

105. An multa vera partialia Sacramenta?

An autem sicut species panis & vini cum Corpore & Sanguine Christi constituunt plura partialia Sacramenta, ita quoque constituant plura partialia Sacrificia, quid si affirmem? Favet Ecclesia in Oratione secreta plurium Missarum. Duas tantùm adduco; ipso Festo Paschatis sic orat: *Suscipe quæsumus Domine preces populi tui cum oblationibus hostiarum.* Et feriâ 4. post Pascha: *Sacrificia, Domine, paschalibus gaudiis immolamus* &c.

Enimverò si consecratio unius speciei tantùm est verum & proprium Sacrificium, ut Conclusione 3. probavimus, & si formaliter, ut in hac Conclusione indicavimus, sub speciebus panis immolatur solum Corpus, & sub speciebus vini solus Sanguis: ergo formaliter duæ sacrificationes, & duo Sacrificia, sicut duæ hostiæ tam principales, quàm secundariæ.

Dices:

106. Objectio ex Trident.

Dices: secundùm Tridentinum sess. 22. cap. 2. eadem est hostia Sacrificii cruenti, & incruenti; sed in cruce non fuit hostia panis, aut vinum, neque species, & unicum solum fuit Sacrificium, etiam unitate indivisibilitatis, tam realiter, quàm formaliter: ergo &c.

Replicatur Conc.

Respondeo; Tridentinum satìs verificari de identitate hostiæ magìs principalis: nam cap. 1. docet ad nostrum Sacrificium spectare symbola sensibilia, seu species, cùm dicit Christum seipsum obtulisse sub speciebus panis & vini; quæ tamen rectè supponit argumentum non spectare ad Sacrificium cruentum.

Atque in eo, quod cap. 2. agnoscit offerendi rationem diversam, dicens: *Una enim eademq; est hostia . . . . . solâ offerendi ratione diversa*; in hoc, inquam, planè denotat plura partialia Sacrificia incruenta, utique propter diversam rationem offerendi; cùm enim in cruce unicâ actione occisivâ Christus fuerit immolatus, sanè duplici actione consecrativâ immolatur incruentè, unâ sub speciebus panis, alterâ sub speciebus vini, unâ formaliter ex vi verborum secundùm Corpus tantùm, alterâ secundùm solum Sanguinem.

& offendi-tur, qualiter sint unum

Interim tamen, quia sub utraque specie idem & totus Christus realiter sacrificatur, & quia utraque consecratio partialis ordinatur ad perfectam repræsentationem ejusdem & unici Sacrificii cruenti, hinc meritò dicitur unicum Sacrificium incruentum, non tam unitate indivisibilitatis, quàm integritatis: sicuti utraque species consecrata est Sacramentum specie unum unitate integritatis, non indivisibilitatis, ut latè probavimus sect. 1. præcedentis disputationis conclus. 6.

& multiplex Sacrificium.

107. Objectio.

Dices; differentia est inter Sacramentum & Sacrificium, quòd illud sit institutum ad modum nutrimenti spiritualis; solus autem cibus, licèt non sit integrum & completum nutrimentum absque potu, nutrit tamen. At verò Sacrificium institutum est ad repræsentandum expressè mortem Christi per separationem Corporis à Sanguine, quod non competit consecrationi alterius speciei seorsum.

Responsio.

Respondeo; indè tantùm sequitur, quòd consecratio unius speciei seorsum non sit integrum & completum Sacrificium, sicuti una species seorsum non est integrum & completum Sacramentum, quod Christus instituit per modum convivii.

Atque hæc sufficiant de principiis intrinsecis Sacrificii novæ legis. Veniamus ad causam ejus efficientem, pro qua erit

SECTIO SECVNDA.

De Ministro Sacrificii novæ Legis.

1. Quis sit Sacrificii legitimus minister sive offerens.

OMnis ille & solus est legitimus minister Sacrificii novæ legis, qui est legitimus minister consecrationis Corporis & Sanguinis Christi. Patet ex dictis Sectione præcedenti; quia Sacrificium novæ legis consistit essentialiter in consecratione Corporis & Sanguinis Christi.

Florent.

Et quoniam Sacerdos consecrat in persona Christi juxta illud Florentini in decreto Eugenii: *Sacerdos in persona Christi loquens, hoc conficit Sacramentum*, liquet profectò duplicem esse ministrum hujus Sacrificii, utì etiam Sacramenti: unum principalem, alterum verò proximum & immediatum. Quæris à me quis sit minister principalis? Respondeo:

CONCLUSIO I.

In omni Sacrificio Missæ Christus est principalis offerens.

2. Principalis est Christus.

ITa communiter Doctores, & colligitur ex capite *Firmiter* de summa Trinitate ibi: *Una verò est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. In qua idem ipse Sacerdos est Sacrificium Iesus Christus, cuius Corpus & Sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continentur.*

Cap. Firmiter de Summa Trinit.

Clariùs Concilium Florentinum suprà, & Tridentinum sess. 22. cap. 2. ibi: *Idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversa*, quia nunc incruentè sub speciebus panis & vini; tunc autem cruentè per physicam & realem separationem animæ à corpore.

secundùm Florent. & Trident.

Idem passim docent Sancti Patres. Cyprianus Epistolâ 63. ibi: *Sacerdos in altari vice Christi fungitur, & Sacrificium Deo Patri offert.* Divus Ambrosius in Psal. 38. *Ipse offerre manifestatur in nobis, cuius sermo sanctificat Sacrificium, quod offertur.* Divus Augustinus lib. 10. de Civit. cap. 20 ibi: *Per hoc & Sacerdos est* (Christus) *ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesia Sacrificium, cùm ipsius Corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerri.*

3. & Sanctos Patres, Cyprianum, Ambrosium, Augustinum,

Accedat Divus Chrysost. Homiliâ 83. in Matt. ubi sic ait: *Non sunt humanæ virtutis opera, hæc quæ proponuntur: qui tunc ipsa fecit in illa Cœna,*

Chrysostomum,

idem ea nunc quoque facit. Nos ministrorum tenemus locum: qui verò sanctificat ea, & immutat, ipse est. Et infrà: *Verùm & tu laice, cùm Sacerdotem videris offerentem, ne ut Sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum invisibiliter extensam.*

4. Quâ ratione Christus nunc offerat,

Ex quibus testimoniis luculenter patet, quâ ratione Christus etiam nunc offerat, & quidem principaliter; videlicet non solùm quia instituit hoc Sacrificium, & voluit ut merita sua per illud applicarentur: verùm etiam quia ipse Sacerdotes instituit suos ministros & Vicarios, qui nomine & in persona ejus hoc Sacrificium offerrent.

videlicet moraliter,

Quæ quidem institutio non retractata, sufficit ut jugitet Sacerdos consecrans sustineat personam Christi, ipsaque oblatio sit moraliter actio Christi, sicut actio Legati quâ talis, est moraliter actio Regis; & contractus factus per procuratorem quâ talem, est moraliter contractus illius, qui procuratorem instituit, estò quando procurator contrahit, principalis nihil minus cogitet, quàm de contractu.

ad instar Regis agentis per suum Legatum

Unde sicuti Rex, qui per Legatum suum osculatur pedes Pontificis, dicitur actu præstare reverentiam Pontifici, estò tunc temporis dormiat: ita quoque Christus Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, actu sacrificat & præstat reverentiam Deo, atque in finem usque sæculi sacrificabit, & reverentiam actu præstabit Deo cum ipso Sacerdote, ut cum ministro & Legato suo, estò per impossibile non attenderet ad ejus oblationem; ratione scilicet prioris voluntatis, quam habuit, instituendo hoc Sacramentum & Sacrificium, & designando eorum ministros; quæ voluntas adhuc moraliter perseverat, ac sufficiens videtur, ut omnem oblationem, etiam ex parte ministri immediati peccaminosam, efficere possit bonam & sanctam ac immaculatam: veluti oratio Sacerdotis dicitur oratio Ecclesiæ, & bona ab illa voluntate, quâ Ecclesia hunc ministrum deputavit ad orandum publicè nomine suo.

5. Ex quo non sequitur Christum de facto mereri aut satisfacere. Eccli. 14.

Nec tamen indè sequitur, Christum de facto mereri, vel satisfacere per illam oblationem. Quæris rationem? Quia non est in statu merendi, vel satisfaciendi. Quare? Quia non est viator, sed comprehensor. *Ante obitum tuum operare justitiam* (inquit Ecclesiasticus cap. 14. v. 13.) *quoniam non est apud inferos*, id est, post obitum tuum, *invenire cibum*, id est, opera meritoria aut satisfactoria. *Nam motum aliquem bonum*, (verba sunt Scoti 4. dist. 21. q. 1. n. 10. in fine) *per quem tamquam per dispositionem, vel meritum de congruo, vel condigno, deleatur veniale, ponere in anima post mortem, non videtur doctrinæ Theologicæ consonum, quæ ponit statum illum ab illis immunem.*

Scotus.

An autem oret vel impetret,

Porrò an Christus debeat dici orare, vel impetrare, quæstio est de nomine. *Christus Iesus* (inquit Apostolus Rom. 8. v. 34.) *qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*, id est, intimat suam voluntatem de aliquo objecto creato habendo, quæ intimatio sit efficax ad illud objectum obtinendum.

quæstio est de nomine. Rom. 8.

Unde Apostolus Joannes Epistolæ primæ cap. 2. v. 1. & 2. *Sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Non tantùm sufficiens, sed etiam efficax, impetrando, id est, obtinendo in patria, remissionem peccatorum nostrorum, quam suâ sanctissimâ passione in via promeruit.

1. Joan. 2.

6. Aliter explicatur oblatio ex parte Christi.

Cæterùm putant nonnulli Sacrificium omne fieri à Christo, etiam pro nunc, quatenus ad singula attendit, eaque offert Patri, quatenus ipsa immutatio panis & vini subjacet ejus potestati, & ad prolationem verborum consecrationis seipsum sub speciebus panis ac vini voluntariè ponit ad protestandum summum Dei Dominium in vitam & mortem. Sed quamquam id fieri posset, tamen non est necesse ad rationem Sacrificii novæ legis, nec id probatur ex auctoritatibus.

7. Objicitur.

Dices; hoc est necesse, ut ostendatur quomodo hodierna sacrificatio sit actio infinita, si videlicet consideretur immutatio hostiæ, quatenus procedens de facto ab ipsa voluntate Christi tamquam opus externum.

Solvitur.

Respondeo; nulla apparet necessitas, ut sacrificatio sit aliter Christi, quàm moraliter, quatenus videlicet informata à volitione Christi, quâ instituit non solùm Sacrificium fieri, sed etiam fieri suo nomine & in persona ipsius: hæc autem volitio est infinita, sive infiniti valoris, eo modo, quo cæteræ actiones Christi sunt infinitæ. Et si illa non sufficiat ad hoc, ut sequentia Sacrificia, ab ea quasi informata, sint infinita, parùm refert; neque enim id est necesse, ut patebit ex his, quæ statim subjicio.

Profecto si illa physica voluntas Christi esset necessaria, ut Christus diceretur actu offerre seu sacrificare cum Sacerdotibus; jam fortè aliquibus videretur, quòd non solùm esset principalis offerens, sed etiam proximus & immediatus, imò magis immediatus, quàm ipse Sacerdos: jam autem communiter docent Theologi tam antiquiores, quàm moderni, quòd

CONCLUSIO II.

In Sacrificio Missæ proximus offerens est Sacerdos.

Probatur Concil. ex Conc. Trid. sess.

SAcerdotem offerre, docet Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 1. ibi: *Ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit;*

&

& eisdem eorumq; in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem.

Et contrarium errorem damnat can. 2. dicens: *Si quis dixerit illis verbis*: Hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinasse ut ipsi aliiq; Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum; anathema sit.*

Sacerdos est verus sacrificans.

Hinc Sacerdos non est merus Christi sacrificantis executor, sed etiam verus sacrificans; utpote qui tamquam publicus minister ex certa intentione procedere debeat; adeò ut non sit satis Christum ante annos 1600. intendisse, nisi in præsenti Sacerdos intendat offerre & sacrificare in protestationē summi Dominii Dei.

9. Quod proximus, probatur ex Florent.

Quòd autem Concilium intelligendū sit de proximo offerente, probo ex Concilio Florentino in decreto Eugenii ibi: *Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum*: ergo in persona Christi offert hoc Sacrificium. Atqui Christus in ultima Cœna, utì etiam in Cruce erat proximus offerens; ergo &c.

An humanitas Christi physicè concurrat ad immutationem speciem?

Et sanè quis alius esset? Siquidem Sacrificium novæ legis consistit in actu externo & sensibili, ad illum autem Christus non concurrit immediatè, ut manifestum est, etiam dato, non concesso, quòd humanitas ejus physicè concurreret ad immutationem specierum.

Dico, *non concesso*; quia gratis asseritur talis causalitas, utì etiam causalitas physica gratiæ sanctificantis, quæ datur per Sacramenta. Quis ergo physicè immutat species? Respondeo, solus Deus; sicuti ipse solus est causa physica gratiæ in Sacramentis, de quo egimus disputatione primâ de Sacramentis in genere sect. 4. conclusione 2.

Etsi concurreret, non ideo Christus foret proximus offerens.

Atque ut esset humanitas causa physica immutationis, adhuc, sicut dixi, minimè sequitur, quòd Christus sit proximus offerens; quia Sacrificium consistit in actione externa & sensibili, per quam res aliqua immutatur ad protestandum summum Dominium Dei in vitam & mortem. Quæ autem illa actio, nisi prolatio verborum consecrationis? Et hæc prolatio, nonne physicè causatur ab humanitate Christi? Contrarium lippis notum est atque tonsoribus.

10. Probatur ex auctoritate Patrum Christum non offerre proximè.

Præterea auctoritates Sanctorum Patrum, Conclusione præcedenti relatæ, quid aliud clamant, quàm Christum offerre per Sacerdotem? Quod autem quis facit per alterum, non facit per se immediatè. An fortè Rex proximè & immediatè osculatur pedes Pontificis, quando id facit per suum Legatum? Numquid qui dat eleëmosynam per famulum, censetur id facere per seipsum immediatè? Aut Rex, qui absolvit, vel condemnat reum per judicem delegatum, per seipsum immediatè absolvere, aut condemnare? Quamvis sint causæ principales, attamen remotæ & mediatæ. Ergo similiter Christus, qui quotidie offert ministerio Sacerdotum, estò sit causa principalis Sacrificii, minimè tamen immediata.

11. Quod etiam docet Scotus,

Nec aliud voluit Scotus Quodlib. 20. n. 23. ubi sic discurrit: *Ex istis patet, quòd sicut Eucharistia non præcisè ratione rei contentæ plenè acceptatur: sed oportet quòd sit oblata, sic nec plenè acceptatur oblata, nisi ratione bonæ voluntatis alicujus offerentis: non autem præcisè ratione ipsius voluntatis celebrantis: quia hoc pertinet ad meritum personale, non ad virtutem Sacrificii, non immediatè* (nota bene) *ratione voluntatis ipsius Christi offerentis; quia Christus e si hic offeratur ut contentus in Sacrificio, non tamen hic immediatè offert Sacrificium: iuxta illud Heb. 9. v. 25.* Neque ut sæpè offerat semetipsum. *Et ibidem* v. 28. Christus semel oblatus est, *supple à seipso offerente. Alioquin videretur quòd unius Missæ celebratio æquivaleret passioni Christi: si idem esset offerens immediatè & oblatus. Certum est autem, quòd Missa non æquivaleat passioni Christi, licèt specialiùs valeat, pro quanto ibi est spectatior commemoratio oblationis, quam Christus obtulit in Cruce.*

& probat ex Apost. Hebr. 9.

Et post pauca: *Sic ergo patet quòd Eucharistiæ oblata* (id est, consecratio Eucharistiæ) *acceptatur non ratione voluntatis Christi ut immediatè offerentis: ratione ergo voluntatis Ecclesiæ generalis: illa autem habet rationem meriti finitam. Et estò quòd acceptaretur ratione voluntatis Christi ut offerentis, hoc est, instituentis oblationem, & dantis sibi valorem & acceptationem*, per hoc, quòd voluit Sacerdotes suo nomine, & in sua persona offerre, *tamen non æquivaleret, nec acceptaretur sicut passio Christi, & ita esset meritum finitum, cui correspondet bonum debitum virtute Sacrificii.* Hæc ille; quæ dederunt Suario occasionem citandi Scotum contra præcedentem Conclusionem, quasi negasset Christum propriè in hoc Sacrificio offerre.

Citatur Scotus à Suario contra præcedentem Concluſ.

12. sed falsò ex Trident.

Sed absit ut hoc suspicemur de tanto Doctore, qui ut illam suspicionem à se propulsaret, non semel aut iterum, sed tertiò & quartò inculcavit suis Lectoribus ly *Immediatè*, tacitè innuens, Christum offerre mediatè, utique *Sacerdotum ministerio*, ut loquitur Tridentinum sess. 22. cap. 2.

ut ex ejus verbis ostenditur.

Imò satis expressè hoc significat, quando dicit: *Et estò quòd acceptaretur* &c. Quid enim aliud est offerre mediatè, quàm instituere Sacrificium suo nomine offerendum, & dare sibi valorem & acceptationem? Ad hoc autem sufficit voluntas Christi, quam habuit in ultima Cœna, quæ hodie moraliter perseverat, utpote non retractata.

Enimverò qui principaliter offert, licèt solùm mediatè, verè & simpliciter dicitur offerre, verè & simpliciter dicitur Sacerdos, verè & simpliciter ipsi imputatur effectus & valor oblationis. Patet in similibus suprà allegatis; qui v. g. contrahit Matrimonium per procuratorem, verè & simpliciter dicitur contrahere, verè & simpliciter dicitur conjux, verè &

simpliciter ipsi imputatur effectus & valor contractûs, estò dormiat, quando procurator nomine ipsius contrahit, Quæ ergo necessitas istius particularis intentionis Christi?

13. An sit æqualis dignitas & honestas Sacrificii hodierni & in ultima Cœna.

Æqualis, inquis, dignitas & honestas Sacrificii, quod jam offertur, cum dignitate & honestate Sacrificii, quod Christus obtulit in ultima Cœna. Sed quæ necessitas istius æqualitatis? Certum enim est, ut ait Scotus suprà, quòd Missa non æquivaleat passioni Christi.

Certum planè, reponit aliquis; sed in ratione meriti tantùm: nec id mirum; quia jam Christus non est in statu merendi, ut dictum est Conclusione præcedenti; sed applicat meritum passionis: alioquin cur non posset æquivalere in ratione actûs honesti? Nonne Christus nunc in cœlo plures actus bonos liberè exercet cum infinita quodammodò dignitate & excellentia, licèt non cum merito?

Non est necesse quòd Christus particulariter offerat cum singulis Sacerdotibus.

Haud dubium quin sic fiat. Sed quid indè? Ergo necesse est quòd Christus particulariter offerat cum singulis Sacerdotibus: negatur Consequentia. Etenim ut merita Christi applicentur per hoc Sacrificium, sufficit voluntas universalis, quâ voluit merita passionis suæ applicari in tempore per voluntatem Sacerdotis, immediatè offerentis, vel potiùs (quia voluntas illa Sacerdotis potest esse mala) per voluntatem Ecclesiæ generalis, ut loquitur Scotus suprà, quæ semper bona est & honesta; ac proinde sufficiens, ut dixi Conclusione præcedenti, omnem oblationem, etiam ex parte ministri immediati, peccaminosam, efficere bonam & sanctam ac immaculatam. Quippe *Christus*, ut loquitur Apostolus ad Ephes. 5. v. 25. & sequentibus, *dilexit Ecclesiam & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ ut exhiberet ipse sibi gloriosam sponsam suam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Quæ proinde Deo Patri displicere non poterit.

Ephes. 5.

14. Sacerdos offert Sacrificium etiã in persona Ecclesiæ;

Herculè quòd Sacerdos hoc Sacrificium offerat, etiam in persona Ecclesiæ, non obscurè colligitur ex officio Missæ, in quo Sacerdos sæpiùs loquitur in plurali, & persona communitatis: *Offerimus*, inquit, *tibi* &c. *Te igitur clementissime Pater ..... supplices rogamus* &c. *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ* &c. *Unde & memores Domine nos servi tui, sed & plebs tua sancta* &c. Ergo oblatio illa fit nomine corporis Ecclesiæ.

S. August.

Unde scitè dixit Divus Augustinus lib. 10. de Civit. Dei cap. 20. *Quotidianum esse voluit Ecclesiæ Sacrificium, cùm ipsius corporis ipse (Christus) sit caput, & ipsius capitis ipsa (Ecclesia) sit corpus tam ipsa per ipsum, quàm ipse per ipsam suetus offerri.* Sic lego in editione Parisiensi; in Plantiniana autem: *Quotidianum esse voluit Ecclesiæ Sacrificium, quæ cùm ipsius capitis corpus sit, seipsam per ipsum discit offerre.* Cùm autem Ecclesia per se immediatè non offerat, sequitur quòd id faciat per Sacerdotes, tamquam ministros suos, quos ad id muneris per manus Episcoporum specialiter consecravit.

15. explicatio actus proprii & personalis, sed generalis.

Sicuti ergo Ecclesia facit unum corpus politicum & mysticum Christi, ita habere potest intentionem non propriam & personalem, quæ competit tantùm singulari personæ seu supposito; sed generalem, quæ competit collectioni: hæc autem habitualis est, in quantum competit corpori ut abstrahit à membro, videlicet Sacerdote; actualis verò, ut includit Sacerdotem ministrum publicum deputatum ad Sacrificium, in quantum ille loquitur & offert in persona Ecclesiæ.

Sacerdotis actus generalis & particularis.

Unde actualis intentio Sacerdotis est generalis & particularis: generalis ut substituitur nomine Ecclesiæ; particularis ut elicitivè ab ipso Sacerdote concipitur. Priori modo sumpta semper acceptatur, quia sancta est intuitu Ecclesiæ: secundo modo non semper; quia dependet à statu particulari Sacerdotis, qui potest esse malus, ac proinde offerendo sibi demereri.

16. Objectio.

Dices; Sacerdos est minister Christi, juxta illud Apostoli 1. Cor. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi*, & offert, ut jam sæpè diximus, in persona Christi: ergo non in persona Ecclesiæ.

Responsio.

Respondeo esse ministrum tam Christi, quàm Ecclesiæ, & offerre in persona utriusque; quæ enim in hoc repugnantia? Certè Christus caput est Ecclesiæ, & ipse est, qui Ecclesiæ dedit potestatem consecrandi ministros altaris, & instituit Sacramentum Ordinationis, voluitque ut Sacerdotes Sacramentum Eucharistiæ conficerent, ac per consequens sacrificarent in sua persona, id est, voluit ut in confectione Sacramenti uterentur eisdem verbis, quibus ipse utebatur in ultima Cœna; eisdem, inquam, non tantùm materialiter, sed etiam formaliter, id est, secundùm eandem significationem, de qua egimus disputatione præcedenti sect. 3. concluf. 3. & sequentibus.

Verbis enunciativis utitur in persona Christi.

Explico; Christus baptizaverit illis verbis: *Ego te baptizo*, quibus etiam hodie utitur Ecclesia, num ideo Ecclesia baptizat in persona Christi? Minimè; quoniam non utitur verbis Christi formaliter, id est secundùm eandem significationem; nam ly *Ego* prolatum à Christo, denotabat Christum; prolatum autem à Petro v. g. hodie baptizante denotat ipsum Petrum, & non Christum.

Exemplum verbis in quo dicto.

Quæris quomodo ergo verum sit, quod ait Divus Augustinus Tract. 5. in Joan. *Petrus baptizet, hic est, qui baptizat: Paulus baptizet, hic est, qui baptizat* &c?

Respondeo; quia Christus Baptismum instituit, & ipse solus est qui omni baptismo, juxta institutionem suam conferendo, vim tribuit sanctificandi, ideo non frustrandam aut minuendam ob conditionem ministri.

Adhuc

17. Scotus nunquam dubitavit an Sacerdos offerret sacrificium in persona Christi.

Adhuc dubitas, an Sacerdos quà talis, sit minister Christi, offerens in persona Christi Sacrificium? Noli ampliùs dubitare, nec puto Doctorem Subtilem unquam de hac re sic explicatâ dubitasse. Quid ergo? Dico (salvo meliori) quòd Sacerdos etiam sit & verè dici possit (estò secundariò & minùs principaliter) minister Ecclesiæ; quatenus videlicet per Sacramentum Ordinationis consecratur Deo, ut in Ecclesia, & pro Ecclesia, id est, nomine Ecclesiæ offerat Sacrificium Deo, quod ipsa, considerata ut est corpus aliquod politicum, per se non potest offerre.

Meritum Sacrificii hodierni est finitum.

Porrò an Sacrificium acceptetur ratione voluntatis Christi, an magis ratione voluntatis Ecclesiæ generalis, de quo ibi disputat Scotus, quidquid dicatur, constat meritum Sacrificii, quod quotidie offertur, tam in persona Christi, quàm nomine Ecclesiæ non esse infinitum, ut infrà latiùs examinabimus.

Modò inquiro, an solus Sacerdos sit minister hujus Sacrificii. Pro responsione erit

CONCLUSIO III.

Solus Sacerdos est validus minister Sacrificii novæ Legis. Laici in vero sensu, licèt minùs propriè, dicuntur offerre Sacrificium.

18. Probatio prima partis.

RAtio primæ partis est manifesta; quia solus Sacerdos est validus minister consecrationis Corporis & Sanguinis Christi, in qua consecratione, & quidem solâ, juxta superiùs dicta, essentialiter consistit Sacrificium.

Idem est minister Sacramenti & Sacrificii.

Idem ergo est minister Sacramenti & Sacrificii, scilicet Sacerdos ritè ordinatus, de quo ad propositum nostrum Doctor Subtilis 4. dist. 13. q. 2. n. 3. *Conficere*, inquit, *Eucharistiam ut principalis causa, nulli potest competere nisi soli Deo: licèt ut causa instrumentalis, vel, ut magis propriè dicam, ut minister potest competere alicui homini: quia sic Deus ordinavit, quòd in quibuscumque Sacramentis minister ponit esse homo.*

Scotus.

Dupliciter autem potest intelligi, ministrum posse conficere. *Uno modo absolutè, ita scilicet, quòd si attentet facere, facit quod intendit alio modo de posse ordinatè facere. Et hæc distinctio generalis est in omnibus Sacramentis: quia plus requirit ordinatè ministrare in eis, quàm simpliciter ministrare.*

19. Quid requiratur ad posse validè consecrare.

Conclusio loquitur de ministro validè sive de posse simpliciter consecrare, & per consequens sacrificare; ad quam potentiam, teste Scoto suprà, *Nihil requiritur ultra materiam debitam, nisi minister debitus, ad quem requiruntur tres conditiones, scilicet quòd sit Sacerdos: quòd ponit proferre verba consecrationis; & ponit habere intentionem debitam faciendi, scilicet quod intendit Ecclesia facere.*

Scotus.

Secunda conditio, & tertia sunt communes hìc, & in ministrante alia Sacramenta: propter defectum secundæ non potest mutus conficere, propter defectum tertiæ carens usu rationis non potest conficere: & eodem modo de baptizando, & conferendo quæcumque alia Sacramenta (excepto Matrimonio, quod potest confici à muto; quia non requirit formam verbalem propriè dictam) *sed prima conditio est hic propria, scilicet quòd solus Sacerdos potest, & quilibet potest, cui possunt competere illæ duæ conditiones, scilicet prolatio, & intentio.* Solus, inquam, Sacerdos, & quilibet. Videamus si utraque pars sit vera.

20. Hæretici affirmant omnes Christianos esse Sacerdotes.

Prima est contra quosdam Hæreticos, qui asserunt omnes Christianos esse Sacerdotes, & habere hanc potestatem, tametsi eâ uti non debeant, nisi à communitate fuerint deputati.

Contrarium definitum est in Concilio Lateran.

Sed contrarium definitum est in Concilio Lateranensi, & refertur cap. *Firmiter* de summa Trinitate ibi: *Et hoc Sacramentum* (loquitur de Sacramento Eucharistiæ) *nemo potest conficere nisi Sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus secundùm claves Ecclesiæ, quas ipse concessit Apostolis, eorumq; successoribus Iesus Christus.*

Fundamentum assignat Scotus.

Sed unde accipit Ecclesia fundamentum istius sententiæ interrogat Scotus suprà n. 4. Respondet autem; *Ex illo verbo Christi: Hæc quotiescumque feceritis &c. Vbi loquitur Apostolis, vel ad minus non nisi Discipulis, quibus in Ecclesia ad minus non succedunt nisi Sacerdotes. Apostolis succedunt Episcopi: Discipulis Presbyteri, ut habetur distinctione 21.* In novo Testamento. *Habetur idem etiam ex illa sententia Pauli 1. ad Cor. cap. 10.* Panis quem frangimus, nonne communicatio Corporis Domini est? *Quem frangimus nos, inquit, scilicet Apostoli & Discipuli eius. Si enim quilibet fidelis posset conficere, non oporteret aliquem alium alys frangere; sed quilibet posset de suo Sacrificio communicare.*

21. Eandem veritatem docet Trident.

Eandem veritatem non uno, sed pluribus locis docet Concilium Tridentinum. Imprimis sess. 22. cap. 1. & can 2. verba textûs vide suprà concluf. 2. in principio. Deinde sess. 23. cap. 1. ibi: *Hoc autem* (Sacerdotium novæ Legis) *ab eodem Domino Salvatore nostro institutum esse, atque Apostolis eorumque successoribus in Sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi &c. sacræ litteræ ostendunt, & Catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit.*

Eâdem sessione cap. 4. sic ait: *Quòd si quis omnes Christianos promiscuè novi Testamenti Sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet; nihil aliud facere videtur, quàm Ecclesiasticam hierarchiam, quæ est ut castrorum acies ordinata, confundere.* Et infrà: *Quin potiùs decernit eos, qui tantummodo à populo aut seculari potestate ac Magistratu vocati & instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt, & qui ea propriâ auctò-*

auctoritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures & latrones, per ostium non ingressos habendos esse. Errores contrarios damnat can. 1. 6. & 7.

22. & communis traditio ac praxis Ecclesiæ.

His accedit communis traditio Sanctorum Patrum & perpetua consuetudo Ecclesiæ. Certè nullum potest proferri ex tota antiquitate exemplum, quo probetur Diaconum, multò minùs Laicum consecrasse Eucharistiam in quacumque etiam necessitate.

Quin imò Diaconos non habere potestatem consecrandi, in antiquissimo Concilio, scilicet Nicæno primo expressè deciditur can. 14. aliàs 18. his verbis: *Pervenit ad sanctum Concilium quòd in locis quibusdam & civitatibus, Presbyteris Sacramenta Diaconi porrigant. Hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, ut hi qui offerendi Sacrificii non habent potestatem, his qui offerunt Corpus Christi porrigant.*

Confirmatur ex Apostolo ad Hebræos 5.

Liceat hìc nobis usurpare dictum Apostoli Heb. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur* &c. Assumptus, inquam, sed à quo? *Nec quisquam*, ait v. 4. *sumit sibi honorem; sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron.* Numquid in veteri Lege Deus omnes promiscuè vocavit ad Sacerdotium? Quòd si vetus Sacerdotium non omnibus erat commune, quantò minùs Sacerdotium novæ Legis, longè excellentius, debuit esse omnibus commune?

23. Ratio à priori.

Ratio ergo à priori Catholicæ veritatis est voluntas Christi, qui non legitur omnibus indifferenter dedisse potestatem (utique supernaturalem) consecrandi, sed iis tantùm, quibus dixit Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et qui illi, nisi Apostoli, eorumque in Sacerdotio successores?

Luc. 22.

Ita semper, teste Tridentino sess. 22. cap. 1. hæc verba Catholica Ecclesia intellexit, ut liquidò demonstrat collatio Ordinis Sacerdotalis, ab ipsis Apostolorum temporibus usitata, non ad alium sanè finem, nisi ut in Ecclesia jugiter permaneret potestas consecrandi & offerendi Corpus & Sanguinem Christi.

Dionys. Areopag.

Nam, ut rectè notat Dionysius Areopagita cap. 5. Eccles. Hierarchiæ parte 1. *Nec ipse Sacerdos erit, nisi Pontificalibus officiis ad hoc fuerit promotus.* Et Clemens Romanus lib. 2. Apost. Constit. cap. 31. *Laicus omnis sine Sacerdote perficiens aliquid, frustra facit.* Loquitur autem apertè de Sacrificii oblatione.

Clemens Roman.

24. Concluditur verbis Clementis Rom.

Concludo hunc discursum verbis ejusdem Clementis lib. 8. cap. ultimo circa finem: *Non enim vel nobis, vel Episcopis adversantur huiusmodi homines* (arripientes scilicet ea, quæ sibi commissa non fuerunt) *sed omnium Episcopo & Pontifici Iesu Christo Domino nostro. A Moyse enim Deo charissimo Pontifices instituti sunt, Sacerdotes, Levitæ; à Salvatore nostro nos tredecim Apostoli, ab Apostolis ego Iacobus, & ego Clemens, & nobis cum alii, ne iterum omnes numeremus. Communiter ab omnibus nobis, Presbyteri, Diaconi, Hypodiaconi, Lectores. Primus igitur naturâ Pontifex est unigenitus Christus, qui non sibi ipsi honorem arripuit, sed constitutus est à Patre, qui propter nos factus homo, & spirituale Sacrificium offerens Deo & Patri suo, ante passionem nobis solis præcepit hoc facere: quamquam præsentes nobiscum essent alii, qui in ipsum crediderant, sed non omninò omnis, qui credit, continuò Sacerdos est, & Pontificium consequitur honorem. Post autem assumptionem ipsius, nos oblato secundùm eius ordinationem Sacrificio puro, & incruento, constituimus Episcopos, Presbyteros, & Diaconos numero septem, è quorum numero unus erat Stephanus Beatus martyr, qui in amore erga Deum nobis non erat inferior, quique adeò fide suâ pietatem, charitatemq; erga Dominum nostrum Iesum Christum ostendit, ut pro ipso animam tradiderit, à Iudæis domini intersectoribus, saxis percussus. Sed tamen talis ac tantus vir, qui spiritu fervens erat, & vidit Christum à dextris Dei, & cœli portas apertas, nusquam apparet iis officiis, quæ Diaconiæ non conveniunt esse usus, vel Sacrificium obtulisse, vel manus alicui imposuisse, sed usque ad finem Diaconiæ ordinem servasse. Ita enim erat decus, ut Christi martyr ordinis dispositionem servaret.*

Hæc ideo latiùs volui referre, ut antiquitate obstruantur ora Hæreticorum, qui cum Coritis & Ozia Rege præter fas præterque Dei voluntatem, Sacerdotium invaserunt, digni profectò ut cum Coritis igne interficiantur, & cum Osia facies eorum leprâ aspergantur.

Si autem à me quæritur, quod sit fundamentum Hæreticorum? Respondeo, Scriptura malè intellecta. 1. Pet. 2. v. 5. *Et ipsi tamquam lapides vivi superædificamini, domus spiritualis Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum.* Et v. 9. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta* &c. Item Apoc. 5. v. 10. *Et fecisti nos Deo nostro regnum & Sacerdotes: & regnabimus super terram.* Denique Apoc. 20. v. 6. *Sed erunt Sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt cum illo mille annis.* Columnæ solidæ quasi æreæ fusæ!

Quas utique confringo & everto unico verbo Magni Patris Augustini lib. 20. de Civit. cap. 10. ubi commentans locum Apocalypsis 20. sic inquit: *Non utique de solis Episcopis & Presbyteris dictum est, qui propriè iam vocantur in Ecclesia Sacerdotes; sed sicut omnes Christianos dicimus propter mysticum Chrismæ: sic omnes Sacerdotes, quoniam membra sunt unius Sacerdotis. De quibus Apostolus Petrus: Plebs, inquit, sancta, regale Sacerdotium.* Quid clariùs dici potest?

Ergo sicuti non omnes fideles sunt Reges, nisi respectu suarum passionum, ita nec omnes sunt Sacerdotes, nisi latè & impropriè in quantum sunt membra Christi, qui est verus & unicus Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech; & in quantum omnia opera bona subinde vocantur Sacrificia, de quo egimus sect. 1. in principio.

Dices

26. Objicitur primo. Luc. 22.

Dices primò; illa verba Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem* Apostolus 1. Cor. 11. refert ad sumptionem Sacramenti dicens v. 25. *Hoc facite, quotiescumque bibetis in meam commemorationem.*

Solvitur. Trident.

Quidni referret? Nam Christus, teste Tridentino sess. 13. c. 2. *In illius* Sacramenti *sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamq; annuntiare mortem.* Quibus verbis, nisi illis? Ergo solùm hoc præcepit: qualis Consequentia?

Certè Catholica Ecclesia semper intellexit illis verbis etiam præcepisse Apostolis, & eorum in Sacerdotio successoribus, ut offerrent sive consecrarent, ut patet ex dictis: aliàs nullus esset locus in Scriptura, in quo aut consecratio Eucharistiæ nobis præciperetur, aut eam consecrandi daretur facultas: quod maximè urget contra Hæreticos, qui nullum cultum divinum, aut Sacramentum admittunt, quod nobis non sit præceptum in Scripturis.

Explicantur verba Christi: *Hoc facite* &c.

Utrumque ergo præcepit Christus illis verbis; principaliter quidem Sacerdotibus, ut consecrarent & offerrent in ipsius memoriam: secundariò autem sive accessoriè laicis, ut sumerent. Et quoniam Apostolus ibi instruit totam Ecclesiam in his, quæ spectant ad dignam susceptionem hujus Sacramenti, ideo potiùs illa verba refert ad sumptionem, quàm consecrationem. At verò Divus Lucas volens præcisè & absolutè referre verba Christi, nullam facit mentionem manducationis aut bibitionis, quod mirum esset, si hæc sola ibi præciperetur.

27. Objectio 2. Matth. ult.

Dices secundò; pari modo dictum est Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem,* & *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti*, Matth. ult. v. 19. atqui Apostoli non soli baptizant: ergo nec soli consecrant aut sacrificant.

Ad eandem responsio.

Respondeo Negando Majorem: nam in posterioribus verbis nudum continetur præceptum, non autem institutio aliqua in ministros, quæ anteà facta erat, dum adhuc essent laici; constat siquidem Apostolos baptizasse, antequam Christus illa verba ad ipsos loqueretur: at verò certum est non consecrasse, nisi postquam dixit eis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ratio autem disparitatis est, summa necessitas Baptismi, & maxima dignitas hujus Sacramenti & Sacrificii, quæ ministros digniores requirit.

28. Laici aliquo sensu dicuntur offerre Sacrificium, ut ostenditur ex Mill. Ibidem.

Nihilominus in bono sensu, quamvis minùs proprio, etiam laici dicuntur offerre Sacrificiū, ut patet ex variis locutionibus Missæ. Nam primò dicitur: *Orate fratres, ut meum ac vestrum Sacrificium.* Secundò in Canone: *Omnium circumstantium, pro quibus* (circumstantibus) *tibi offerimus, vel qui* (circumstantes) *tibi offerunt.* Item: *Hanc oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ.*

Ibidem.

Teste autem Tridentino sess. 22. cap. 4. *Ecclesia Catholica, ut dignè reverenterq; offerretur* Sacrificium Missæ, *ac perciperetur, sacrum Canonem multis ante sæculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maximè sanctitatem ac pietatem quandam redoleat, mentesq; offerentium in Deum erigat. Is enim constat cùm ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum pijs institutionibus.*

Contrarium asserentes damnat ibidem can. 6. hisce verbis: *Si quis dixerit Canonem Missæ errores continere, ideoq; abrogandum esse; anathema sit.* Ergo in aliquo vero sensu laici, offerunt hoc Sacrificium, quæ est secunda pars Conclusionis.

29. Quis sit ille sensus? D. Augustinus

Quæris, quis sit ille sensus? Respondeo primò cum D. Augustino (vel quisquis est Auctor) lib qq. veteris Testamenti q. 46. *Ipse semper dicitur offerre, cujus oblationes sunt, quæ super altare imponit Sacerdos, & Saul obtulit hoc utique genere, id est, per Sacerdotem, sicut & nunc offertur: & David obtulit, & Salomon obtulit, & cæteri similiter obtulerunt, numquid omnes vicem Sacerdotis egerunt? Quamvis enim proprio Sacerdos fungatur officio, ille tamen offerre dicitur, cujus nomine agit Sacerdos; ipse enim imputatur, cujus munera offeruntur:* juxta illud Exod. 5. v. 1. *Dimitte populum meum ut sacrificet mihi in deserto.* Num. 28. v. 3. *Hæc sunt Sacrificia, quæ offerre debetis.* Levit. 23. v. 27. *Offeretis holocaustum Domino:* ubi sermo est ad ipsam plebem. Exodi 5. Num. 28. Levit. 23.

Qui laici specialiter offerant Sacrificium cum Sacerdote.

Et verò cujus nomine nunc agit Sacerdos, & cujus munera offeruntur? Respondeo, illius specialiter, qui petit Sacrificium pro se offerri, qui ministrat eidem, assistit, & affectu interno se conjungit Sacerdoti celebranti.

Quidni etiam illius, qui procurat panem & vinum ad sacrificandum? Opus profectò pium & antiquitùs à populo frequentatum: utinam & hodie frequentaretur. *Quicumque potum dederit*, ait Christus Matt. 10. v. 42. *uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine Discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Quantò minùs qui dederit calicem vini Sacerdoti in persona Christi? Non dubito quin eâ ratione particulariter concurrat cum Sacerdote ad Sacrificium, quod ex illo vino offertur. Matth. 10.

30. An audientes missam

Sanè quòd audientes Missam, ratione quâdam magis peculiari offerant Sacrificium, quàm illi, qui non sunt præsentes, satis apertè significat Leo Papa Epistolâ 81. cap. 2. præcipiens, *Ut quùm solemnior festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta multitudo convenerit, quam recipere basilica simul una non possit, Sacrificij oblatio indubitanter iteretur.* Leo Papa.

Rationem attexit: *Ne his tantùm admissis ad hanc devotionem qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum confluxerint, non recepti, quùm plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties basilicam in qua agitur, præsentia novæ plebis impleverit, toties Sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem, ut quædam pars populi suâ devotione privetur, si unius tantùm Missæ more servato, Sacrificium*

offerre non possint, nisi qui primâ diei parte convenerint. Hactenus Pontifex.

Profectò qui audit Missam, non solùm vult corporaliter videre, vel audire, ut patet in surdo & cæco; nec etiam vult tantùm corporaliter adesse, quia potest sic adesse, & non audire. Vult ergo cum Sacerdote illud Sacrificium offerre. Nec enim sufficit, quòd Sacerdos velit pro me offerre, quoniam tametsi positivè me excluderet, adhuc verè audivissem Sacrum.

31. Quâdam ratione omnes fideles offerunt,

Cæterùm generalissimâ ratione omnibus fidelibus attribuitur denominatio offerentium, quatenus sunt membra Ecclesiæ, cujus nomine Sacerdos offert. *Siquidem illæ quoque Missæ* (in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat) *verè communes censeri debent; partim quòd in eis populus spiritualiter communicet; partim verò quòd à publico Ecclesiæ ministro non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur.* Ita Tridentinum sess. 22. cap. 6.

deducitur ex Tridentino,

& convenienti ratione.

Planè conveniens erat, ut Sacrificium, utpote cultus publicus & solemnis, quodammodò naturalis, in omni lege ab omnibus posset offerri per se, vel per manus Sacerdotis, propriè vel impropriè; per se & propriè à Sacerdotibus, per manus autem Sacerdotis, & impropriè à laicis: hi enim nullam faciunt actionem Sacrificio essentialem, ut liquidò constat ex antedictis. Et aliàs sine causa Tridentinum sess. 22. cap. 1. & alibi specialiter diceret Sacerdotes à Christo institutos ad sacrificandum sive offerendum, si æquè propriè laici offerrent.

Sed numquid omnis Sacerdos, bonus juxta ac malus, excommunicatus, præcisus &c. validè consecrat & offert?

CONCLVSIO IV.

Omnis Sacerdos bonus juxta ac malus, schismaticus, hæreticus, excommunicatus, suspensus aut degradatus validè consecrat & offert Sacrificium.

32. Probatur Conclus. ex communi sensu Ecclesiæ, *Scotus.*

ESt communis sensus Ecclesiæ: nuspiam enim legitur aliquis Sacerdos veniens ab hæresi vel schismate, vel ob quodcumque aliud impedimentum fuisse reordinatus.

S. Aug.

Probatur apud Scotum 4. dist. 13. q. 2. n. 2. *Nulla ostenditur causa, cur ille qui ipsum Baptismum amittere non potest, ius dandi amittere possit* (1. q. 1. cap. 97. quod desumptum est ex Divo Augustino lib. 7. contra Epistolam Parmeniani cap. 13.) *Ergo à simili, qui Ordinem Sacerdotalem*

fundato in

amittere non potest, nec ius conficiendi amittere potest; sed nullus Sacerdos potest amittere potestatem sacerdotalem, quia character est indelebilis; ergo &c.

Indelebilitate characteris sui potentiis sacerdotalis.

Sanè characterem Sacerdotii indelebilem esse, nimis apertè definit Tridentinum sess. 7. de Sacramentis in genere can. 9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit.* Tridem.

Et specialiter Sacerdotem non posse amittere suam potestatem clarissimè docet sess. 23. cap. 4. dicens: *Quoniam verò in Sacramento Ordinis, sicut & in Baptismo, & in Confirmatione character imprimitur, qui nec deleri nec auferi potest: meritò sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodò potestatem habere; & semel rite ordinatos, iterum laicos effici posse, si verbi Dei ministerium non exerceant.*

Hinc can. 4. *Si quis dixerit, per sacram Ordinationem ..... non imprimi characterem, vel eum, qui Sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.*

Quid ergo miramur, si quilibet Sacerdos semper validè consecret, suppositâ legitimâ materiâ & formâ ac debitâ intentione? Certè si hoc non posset, non esset Sacerdos, sed laicus: nam principalis potestas Sacerdotis, per quam à laico distinguitur, est potestas consecrandi Corpus & Sanguinem Christi. 33. Supponit semper debitam materiam, formam & intentionem.

Si dixeris; poterit retinere potestatem absolvendi à peccatis, per quam sufficienter distinguitur à laico. Respondeo, potestatem talem in Corpus Christi mysticum, essentialiter præsupponere potestatem in Corpus Christi verum, de quo suo loco. Objectio. Solutio.

Nec obstat, inquit Scotus suprà n. 4. *si instetur de degradato, quia sit non Sacerdos: si enim hoc verum est, non est instantia ista de aliquo Sacerdote: dicitur tamen non esse verum, quia characterem non potest aliquis degradans delere. Nec conceditur, quòd si quis potest ministerialiter aliquid conferre, quòd sic possit ministerialiter auferre; quia Deus non sic eum instituit ministrum in amotione, sicut in collatione.* 34. Instantia solvitur.

Et tunc illa regula: Faciliùs est destruere, quàm construere, *non conceditur de ministerialiter agente in Sacramentis. Pro quo adducit illud Pauli 2. Cor. cap. ultimo: Non dedit Deus nobis potestatem in destructionem, sed in ædificationem.* Hæc ille. 2. Cor. 13.

Cui si rursus objicias: Degradatus non manet Sacerdos; quia spoliatur privilegio Clericali, & traditur Curiæ sæculari. Respondet n. 5. *Non est essentiale Ordini habere illud privilegium concomitans: quod satis persuadetur; quia illud privilegium videtur concessum ab Imperatore Constan-* Ob. Alia resp. ejusdem Scoti.

Constantino: Ordo non. Aliquando etiam Sacerdos erat sine tali privilegio, scilicet ante concessionem.

Parùm autem refert, an illa concessio primùm facta fuerit à Constantino, an verò ante Constantinum ab ipsa Ecclesia, prout videtur colligi ex Epistola Alexandri primi ad omnes orthodoxos, Epistolâ secundâ Marcellini ad universos Episcopos Orientales. Primus sedit anno 109. alii duo tertio sæculo. Unde signanter dixit Scotus: *Videtur concessum ab Imperatore Constantino*; quia ipse primus Principum hoc privilegium admisit (ut aliquibus placet) in Concilio Nicæno, quando pronuntiavit Episcopos à solo Deo judicandos. Sed de his alibi.

36. Quod autem ibidem addit Doctor (ne faveat Juristis, ut in margine dicitur) *Si Papa exuit aliquem privilegio Ecclesiastico, commendans eum Curiæ sæculari, iudex sæcularis est minister, vel executor iudicis Ecclesiastici: nullus autem alius à iudice Ecclesiastico potest eum committere iudici sæculari: ergo non est possibile, quòd committatur sibi, nisi sicut ministro iudicis Ecclesiastici: & per consequens non spoliatur privilegio, quia dum manet privilegium, potest aliquis sæcularis in eum esse minister iudicis Ecclesiastici.*

Verba Scoti ulterius examinantur

Id, inquam, non videtur bene convenire cum eo, quod legimus in fine cap. *Degradatio.* 2. de Pœnis in 6. *In ablatione ultimi* (scribit Bonif. VIII. Bitteren. Episcopo) *quod in collatione Ordinum fuit primum, infrascripto, vel alio simili modo pronuntiet sive dicat: Auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, ac nostrâ, tibi auferimus habitum clericalem & deponimus, degradamus, spoliamus, & exuimus te omni Ordine, Beneficio, & Privilegio Clericali.* Numquid aliud Pontifex nuntiat, aliud Scotus clamat? An simul spoliari potest privilegio clericali, & non spoliari?

Bonifa VIII.

37. Clericus per degradationem realem spoliatur omni suo privilegio;

Quid ergo? Existimo planè Clericum per realem degradationem simpliciter spoliari & exui omni suo privilegio, idque in perpetuum absque ulla spe illius consequendi. Ita Doctores communiter. Nec Scotus contradicit, si vim rationis ejus expendimus; nam quod dicit: *Iudex sæcularis est minister vel executor iudicis Ecclesiastici*, in rigore est falsum; & tantùm verum, quatenus judex sæcularis non potest Clericum punire, antequam à judice Ecclesiastico fuerit ipsi commissus.

adeoque Iudex sæcularis non est merus executor sententiæ Iudicis Ecclesiastici,

Cæterùm commissione factâ judex sæcularis eandem potestatem eodem modo exercet in illum Clericum, ac si Clericus non esset. Unde posset reum absolvere, posset condemnare ad mortem vel aliam pœnam secundùm mensuram delicti nullo habito respectu ad sententiam judicis Ecclesiastici; adeoque non est merus executor seu minister instar Lictoris, qui suspendit furem ex commissione Magistratûs, sed est verus principalis judex.

Sicuti si Rex Hispaniæ aliquem ex suis subditis traderet Regi Franciæ pro qualitate delicti puniendum: quis diceret Regem Franciæ solùm esse ministrum & executorem sententiæ Regis Hispaniæ? Sic ergo Ecclesia, quæ per supremam suam potestatem Clericos exemit à judicio Regum & Principum sæcularium, eosdem aliquando propter certa delicta jurisdictioni ipsorum restituit, ut liberè de talibus agant ac si numquam exempti fuissent.

38. ut declaratur in simili.

Unde notat Bonacina disp. 4. de Degradatione n. 2. quòd non omnis realiter degradatus tradendus sit brachio sæculari (quidquid nonnulli contradicant) cùm fieri possit, ut spoliatio privilegii Clericalis sit pœna proportionata delicto jam commisso. Peccet ergo rursùm talis Clericus degradatus, quis prudenter timeat, ne judex sæcularis ipsum possit punire, tamquam legitimus & proprius ejus Superior? Certè punire poterit eodem modo, quo potuisset antequam esset Clericus, vel antequam Clerici essent per Ecclesiam à judicibus sæcularibus exempti.

Non omnis realiter degradatus tradendus est brachio sæculari.

Sed revertamur ad Conclusionem principalem, contra quam præterea objicitur de hæretico, & schismatico, quod non conficiat; *Quia*, inquit Scotus n. 6. *Sacerdos non offert in persona propria, sed in persona Ecclesiæ, cuius est minister; hic tamen est præcisus ab ea. Probatur antecedens per hoc quod dicit Sacerdos*, Offerimus tibi &c. *non dicit, Offero.*

39. Objectio contrà Conclusionem principalem. Scoti.

Respondet Doctor: *Quòd oblatio non pertinet ad rationem consecrationis, nec necessariò requiritur, quod offeratur.*

Responsio Scoti.

Contrà; saltem oblatio pertinet ad rationem Sacrificii. Et ideo Scotus communiter citatur, quasi docuisset, hæreticum, aut excommunicatum, estò validè consecret, nullatenus tamen sacrificare. Sed perperàm; jam enim diffusiùs suprà expendimus Doctorem Subtilem non constituisse essentialem rationem Sacrificii novæ Legis in oblatione vocali, antecedente vel consequente consecrationem. Vide ibi dicta.

Atque ut verum esset, quod Adversarii Scoto falsò imponunt, scilicet Sacrificium non esse in consecratione, sed in vocali oblatione: ergo juxta Scotum hæreticus non sacrificat; nego Consequentiam. Attende & appende: *Esto etiam*, inquit Doctor suprà, *quòd verum sit, quòd oportet quemlibet conficientem conficere in fide Ecclesiæ, bene potest non solùm schismaticus; sed etiam hæreticus, quod plus est: pone quòd sit hæreticus, potest circa Eucharistiam habere intentionem Ecclesiæ in conficiendo, & hanc intentionem in universali, intendendo scilicet facere, quod Christus instituit faciendum, & quod Ecclesia facit, licèt non intendat in speciali, quia credit Eucharistiam nihil valere.* Ubi occurritur alteri objectioni de intentione debita, de qua satìs fusè egimus in disput. 1. de Sacramentis in genere.

40. Scotus nusquam docuit hæreticum non sacrificare.

Probatur ex ejus verbis.

Porrò impræsentiarum ex illis verbis sic argumentor: Ecclesia non minùs prohibet hæretico, schismatico &c. conficere Sacramentum, quàm offerre Sacrificium: & tamen in conficiendo habet intentionem Ecclesiæ, id est, vult facere quod facit Ecclesia, & per consequens Ecclesia vult facere quod ipse facit, estò prohibeat ipsi hoc facere: ergo similiter in offerendo habebit intentionem Ecclesiæ, scilicet offerre, quod Christus instituit offerendum, & quod Ecclesia per suos ministros vult offerre: quid ni ergo offerat nomine Ecclesiæ?

Hæreticus potest offerre nomine Ecclesiæ,

Non quasi Ecclesia approbet in particulari oblationem hæretici, schismatici &c. supponitur enim Ecclesiæ prohibitio; sed quoniam oblatio ex se munda est, *Quæ* (ut docet Tridentinum sess. 22. cap. 1.) *nullâ indignitate aut malitiâ offerentium inquinari potest.* Et cùm aliunde secundùm Scotum Quodl. 20. n. 24. Sacrificium acceptetur ratione voluntatis Ecclesiæ generalis, de qua superiùs actum fuit, nescio quare Ecclesia, suppositâ malitiâ hominum, non vellet tribuere illi Sacrificio omnem rationem meriti, quam potest.

Trident.

41. sive ejus vocetur membrum, sive non,

Dices; quia Sacerdos non est membrum Ecclesiæ. Respondeo; pro majori parte est quæstio de nomine. Enimverò quòd talis Sacerdos sit plenè subjectus jurisdictioni Ecclesiæ, nemo dubitat; vocetur membrum, vel non vocetur, parùm refert ad hoc, ut Ecclesia, si velit, possit per illum, tamquam suum ministrum ratione characteris, offerre Sacrificium. Et quamvis id ipsi prohibeat, imò ipsum incapacem reddat participationis fructûs generalis cum cæteris membris Ecclesiæ (ex quo sufficienter dicitur præcisus) equidem nihil obstat quò minùs Ecclesia possit velle, imò de facto velit, ut fructus generalis hujusmodi Sacrificii obveniat cæteris membris, adeoque hujusmodi Sacrificium cæteris membris valeat quantùm valere possit.

Atque hæc occasione verborum Scoti, ex quibus nihil certi habere possumus de ejus mente circa essentiam Sacrificii, cùm de hac expressè ibi non agat.

42. Respondetur ad auctoritates Patrum.

Ad alias auctoritates Patrum aut Pontificum, qui dicunt consecrationes hæreticorum, schismaticorum &c. esse vanas & irritas; Respondeo, tantùm velle, quòd reprobentur ab Ecclesia, tamquam illicitæ & sacrilegæ; nisi fortè intelligantur de illis hæreticis, vel schismaticis, qui non sunt legitimè consecrati.

Deus non maledicit hostiæ quæ offertur à malo Sacerdote,

Neque Deus maledicit propriè ipsi hostiæ, quæ sibi offertur à malo Sacerdote, sed ipsi Sacerdoti, qui offerendo mortaliter peccat.

Ut bene Scotus,

Ad primum, inquit Scotus 4. dist. 13. q. 2. n. 19. *potest exponi illa Glossa illius verbi Malachiæ* (2. v. 2. *Maledicam benedictionibus vestris*) Maledicam quidquid à vobis benedicitur, *supple*, *in quantùm mali estis*, *quia mali in quantùm hujusmodi adulando benedicunt malis*; *quibus Deus veraciter maledicit*: *sed in Eucharistia Sacerdos non benedicit in quantùm malus*; *sed in quantùm habet in benedicendo & consecrando intentionem Ecclesiæ.*

& D. Augustinus.

Unde præclarè Divus Augustinus lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 13. *Constat* sanctitatem Sacramentorum *in perversis & sceleratis hominibus*, *sive in eis*, *qui intùs sunt*, *sive in eis qui foris sunt*, *impollutam atque inviolabilem permanere*, *& quia dicuntur ea mali polluere*, *quantùm in ipsis est dicuntur*, *cùm illa impolluta permaneant.* Plura ad hoc propositum vide disp. 1. de Sacramentis in genere sect. 7. concl. 2.

43. Illatio in Scotum.

Ergo, infert Scotus 4. dist. 13. q. 2. n. 2. *quicumque Sacerdos*, *quantumcumque malus potest habere sanctitatem Sacramentorum eandem cum bono:* quidni etiam sanctitatem Sacrificii? Non renuo, sive dixeris Sacrificium consistere in oblatione, sive in consecratione, intelligendo sanctitatem ex opere operato aut quasi.

Annisi melioris devotionis &c. melius.

Si oblatio Sacramenti (inquit Scotus 4. d. 13. q. 2. n. 19.) *in quantum oblatio Sacramenti habeat efficaciam pro illo*, *pro quo offertur*, *necesse est concedere*, *quòd oblatio facta à malo æqualem habeat efficaciam*, *sicut illa*, *quæ est facta à bono. Sed si multa alia concurrentia in Missa per modum orationis multùm faciant ad efficaciam Missæ* (*quod videtur probabile*, *quia devotio in una alia oratione*, *non multò minùs distat apud Deum à devotione*, *in quibusdam pertinentibus ad Missam*, *& devotio acceptatur secundùm merita illius cuius est devotio*) *sequitur quòd Missa melioris erit melior*, *& tamen Sacramentum utrobique est æquale.* Hæc ille.

A quo si quæras, quid simpliciter tenendum? Respondet: *Nullum bonum recompensat Deus secundùm iustitiam retributivam* (ergo loquitur de sanctitate ex opere operantis) *nisi propter aliquod meritum*, *cui correspondet illud bonum*: *istud meritum*, *quod dicitur esse in celebratione Missæ*, *ut Missa est*, *non potest esse meritum abstractum*, *sicut idea Platonis*: *ergo oportet quòd sit realiter aliquod meritum. Vel ergo totius Ecclesiæ*, *vel alicuius membri*: *non est autem totius Ecclesiæ*, *nisi quia alicuius partis*; *non est autem partis malæ & mortuæ in toto*, *sicut esset partis vivæ*, *id est existentis & operantis in charitate* (quod requiritur ad sanctitatem ex opere operantis) *ergo in Missa non est tantum meritum cuiuscumque*, *quando est mali*, *sicut quando est boni*; *& per consequens*, *Deus secundùm iustitiam retributivam non habet alicui in Ecclesia*, *nec toti Ecclesiæ recompensare tantum bonum pro ista*, *sicut pro illa.*

44. Contrarium non est ita certum.

Cæterùm cùm oblatio in Lege novâ, seu consecratio non sit actus jurisdictionis respiciens subditos, sed tantùm Ordinis respiciens materiam consecrandam, quid mirum si Sacerdos quantumcumque malus validè offerat & consecret? Etenim, ut dictum est suprà, character Ordinis numquam amittitur. *Vtrumque* (Baptismus & Ordinatio) *Sacramentum est*, *& quâdam consecratione utrumque hominis datur*, *illud cùm baptizatur*, *istud cùm ordinatur*, *ideoque in*

s. dis.

in Ecclesia Catholica utrumque non licet iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes etiam Præpositi pro bono pacis correcto schismatis errore susceptí sunt: & si visum est, opus esse, ut eadem officia gererent, quæ gerebant, non sunt rursus ordinandi: sed sicut Baptismus in eis, ita Ordinatio mansit integra, quia in præcisione fuerat vitium, quod unitatis pace correctum est, non in Sacramentis, quæ ubicumque sunt, vera sunt. Hæc Divus Augustinus suprà, de quibus nefas est dubitare.

45. De veritate Conclus. vi-sus est du-bitasse Ma-gister,

Equidem dubitasse videtur Magister 4. dist. 13. de veritate nostræ Conclusionis dicens: *Illi qui excommunicati sunt, vel de hæresi manifestè notati, non videntur hoc Sacramentum* (Eucharistiam intelligit) *posse conficere, licet Sacerdotes sint.*

Sed non est audiendus, ut manifestum arbitror ex jam dictis, si per ly *Posse conficere*, intelligat confectionem validam; secùs si licitam tantùm. Constat profectò nimìs multa requiri ad consecrationem licitam, quæ non sunt necessaria ad consecrationem validam.

46. Requisita ad licitè consecran-dum, redu-cuntur ad tria.

Rogas, quænam illa sint? Respondeo cum Scoto suprà n. 7. *Omnia possunt reduci ad tria, loquendo de illis, quæ non requiruntur ad simpliciter posse: quia vel ista requiruntur ex parte Ministri, vel loci, vel temporis ..... Ex parte ministri sunt in duplici differentia, quædam sunt amotiones impedimentorum & quædam appositiones conveníentium seu idoneorum.*

Porrò impedimenta sunt, vel culpa tantùm, vel pœna tantùm, vel nec culpa, nec pœna. De impedimento culpæ, quomodo scilicet existens in peccato mortali non potest ordinatè conficere, dictum est disp. 1. de Sacramentis in genere sect. 7. concluf. 11. de impedimento autem quod nec est culpa, nec pœna, scilicet cùm quis non est jejunus jenunio naturæ, egimus disp. 4. sect. 11. concluf. 2. & sequentibus.

47. Quid pœna canonica? Scotus.

Restat ergo hìc præcisè videre de impedimento, quod est pœna canonica quæ secundùm Scotum, *est aliqua prohibitio actus exercendi, vel gradus recipiendi qui alias competeret non prohibito. Huiusmodi autem pœnæ* (prosequitur Doctor) *multæ sunt non fundatæ super aliquam pœnam vel defectum naturalem ut degradatio, irregularitas, excommunicatio maior, suspensio ab executione eorum, quæ sunt Ordinis, simonia, infamia, & quædam alia huiusmodi ad ista reducibilia, ut sub infamia potest contineri esse publicum peccatorem, quod continet multa, scilicet publicum formicarium, publicum usurarium & huiusmodi.*

Quædam non fun-dantur su-per defe-ctus natu-rales;

Aliquæ autem pœnæ canonicæ fundantur super defectus naturales: non enim voluit Ecclesia quascumque personas defectuosas ministrare in altari: & merito, quia in veteri Lege Levit. 21. ponitur lex homini, qui habuerit maculam, quod non offerret Deo suo panem, nec accedat ad ministerium eius.

Quædam fundantur,

Licita o-mittenda, ne oriatur

Isti autem defectus sunt, in quibus esset scandalum pusillorum, si taliter defectuosus in naturalibus ministraret; & rationabiliter; quia quidquid sine peccato mortali potest dimitti, vitandum est, si ex exercitio eius oriatur scandalum pusillorum: tale scandalum oriretur si notabiliter defectuosi in naturalibus, ut mutilati, vel horribili infirmitate infirmi, ut lepra & huiusmodi, ministrent in altari.

Scandalum pusillorum.

Ideo Ecclesia rationabiliter talibus defectibus naturalibus adiunxit pœnas canonicas, scilicet prohibitiones ministrandi propter reverentiam Sacramenti & ad vitandum scandalum pusillorum. Et istæ prohibitiones patent in canone dist. 25. & extra de corpore vitiato.

Concludit Scotus suprà n. 8. *Requiritur ergo in ordinate conficiente* (Eucharistiam) *ablatio omnium horum impedimentorum: quia habens quodcumque istorum si conficit, facit contra prohibitionem Ecclesiæ, & per consequens non ordinatè.*

48. Requiritur appositio conveníentium orna-mentorum.

Secundum requisitum ex parte ministri (prosequitur Doctor n. 9.) *est appositio conveníentium, scilicet ornamentorum, ut habetur de Consec. dist. 1. cap. Vestimenta. dicitur ibi quòd vestimenta Ecclesiæ quibus Deo ministratur, debent esse sacrata, & honesta, quibus in aliis usibus non debent uti, quàm in Ecclesiasticis, & Deo dignis officiis.*

Quæ sint illa.

Quæ autem sint hæc indumenta, exponit Innocentius de Officio Missæ parte 1. cap. 10. Sunt, inquit, sex indumenta communia Episcopis, & Presbyteris, scilicet amictus, alba, cingulum, stola, manipulus, & planeta. Sed de his plura in sequentibus, ubi de celebratione Missæ; prout etiam de requisitis ex parte loci vel temporis.

Solùm hìc quæro, an licitè plures Sacerdotes simul consecrent eandem hostiam, & Respondeo:

CONCLUSIO V.

Semper validè, sæpè etiam licitè, plures Sacerdotes simul consecrant eandem hostiam.

49. Validè con-secratur eadem hostia à pluribus;

DE prima parte vide dicta disp. 2 de Baptismo sect. 5. concl. 5. Nam quod attinet ad valorē Sacramenti, quæ plurium simul eundem baptizantium, eadem est ratio plurium simul consecrantium eandem hostiam; quippe cur minùs valeat plurium consecratio, quando simul absolvunt verba consecrationis, quam plurium baptizatio quando simul absolvunt materiam & formam Baptismi? Certè nulla est ratio disparitatis.

Sed quoniam rarissimè evenit, plures simul absolvere verba consecrationis, ideo vix unquam validè plures simul consecrant eandem hostiam. Unde quando dicit Conclusio: *Semper validè*, intellige quando simul eodem tempore, vel instanti temporis absolvunt verba consecrationis.

si simul ab-solvant ver-ba conse-crationis;

Quæ cùm ita sint; quì fieri potest, ut sæpè liceat pluribus simul consecrare eandem hostiam? Siquidem videntur se exponere manifesto periculo non consecrandi. Quod sanè periculum est ratio sufficiens, quare plerumque non liceat pluribus simul eundem baptizare, ut diximus loco statim citato.

50. Sæpè etiam licitè, ut patet ex praxi Ecclesiæ,

Nihilominus ex communi praxi Ecclesiæ patet contrarium in hoc Sacramento. Sed quæ illa praxis? Ut Presbyteri, quando ordinantur, consecrent omnes simul cum Episcopo eandem materiam. Dicere porrò illam consuetudinem esse illicitam, vel saltem abolendam, non caret temeritate, inquit Lugo disp. 11. n. 162. quandoquidem præcipiatur observari in novo Pontificali, edito jussu Clementis VIII. ibi: *Suscipe Sancte Pater &c. & omnia alia de Missa, prout dicit Pontifex; qui tamen bene advertat, quòd secretas morosè dicat, & aliquantulum aliè, ita, ut ordinati Sacerdotes possint secum omnia dicere, & præsertim verba consecrationis, quæ dici debent eodem momento per ordinatos, quo dicuntur per Pontificem.*

Lugo.

quæ non modicam patitur difficultatem,

Interim Illustrissimus Mechlinensis piæ memoriæ Jacobus Boonen illam consuetudinem aliquando non observavit, credo propter non modicam difficultatem, quæ in illa celebratione reperitur. Certum quippe moraliter est, aliquos prolaturos verba consecrationis super materiam jam consecratam, siquidem moraliter impossibile est, ut omnes simul absolvant: qui autem prior absolverit, hic verè solus consecraverit. Deinde sæpiùs contingere potest, ut ex recenter ordinatis Sacerdotibus, aliquis ex inadvertentia absolvat verba consecrationis ante Episcopum, & per consequens Episcopus, qui est principaliter celebrans non consecrabit; adeòque non celebrabit. Denique solus Episcopus perficit Sacrificium, cùm ipse solus sumat utramque speciem.

51. ob quam quidam dixerunt recenter ordinatos verè non consecrare,

Propter hæc aliqui dixerunt, recenter ordinatos verè non consecrare, sed tantùm recitativè & materialiter proferre verba consecrationis; sicut proferunt hæc verba: *Calicem salutaris accipiam &c. Sanguis Domini nostri Iesu Christi custodiat &c.*

quæ sententia rejicitur à Lugone propter tres rationes.

Hæc sententia, inquit Cardinalis n. 163. nullo modo defendi potest: Primò; quia in novo Pontificali sæpè sæpiùs dicitur illos Presbyteros celebrare, seu concelebrare cum Pontifice: deinde quia seriò monentur ibi, ut curent omninò simul absolvere verba consecrationis cum Episcopo. Denique quia in consecratione Episcopi eadem consuetudo servatur, ut Episcopus recens consecratus, celebret cum Episcopo consecrante & consecret eandem materiam.

52. Respondetur ad tertiam.

Responderi posset ad ultimum. Primò Episcopum recens consecratum non tantùm consecrare utramque speciem, sed etiam sumere; sic enim dicitur in Pontificali: *Deinde postquam Consecrator Corpus Domini sumpserit, non totum Sanguinem sumit; sed solùm partem eius cum particula hostiæ in Calicem missa. Et priusquam digitos abluat, communicat consecratum ante se in eodem cornu capite inclinato stantem & non genuflectentem, prius de Corpore, tum de Sanguine.* Præterea faciliùs est, ut duo simul absolvant verba consecrationis, quàm decem, aut viginti. Denique eadem aut certè similis videtur esse ratio hujus atque illius concelebrationis.

Quòd autem sæpè sæpiùs in novo Pontificali dicatur, illos Presbyteros celebrare, seu concelebrare cum Pontifice, non invenio, nisi sæpè sæpiùs idem apud Eminentissimum significet, quod semel. Perlegi siquidem omnes Rubricas, & unicam reperi, in qua sic dicitur: *Presbyteri ante communionem non dicunt confessionem, nec datur eis absolutio, quia concelebrant Pontifici*, id est, quia recitant, sive dicunt (ut loquitur alia Rubrica suprà allegata) omnia, quæ dicit Pontifex, etiam ipsa verba consecrationis, quæ monentur absolvere simul omnino cum Episcopo; quia sic ratio exigit, ut quantùm possibile est, se conforment principaliter celebranti, maximè in actione illa, in qua celebratio potissimùm consistit.

Cæterùm hæc simultanea prolatio, & absolutio verborum consecrationis videntur innuere mentem Ecclesiæ esse, ut recèns ordinati non solùm recitativè & materialiter proferant illa verba, sed etiam formaliter, id est, animo consecrandi; non quidem simpliciter & absolutè, sed conditionatè, si simul cum Episcopo absolvant, aliàs non.

Hâc sanè ratione, semper præcipuus celebrans, id est, Episcopus consecrabit utramque speciem, & similiter sumet, quod videtur sufficere ad veram & completam rationem Sacrificii, etiam ex parte aliorum concelebrantium, si fortè aliqui simul cum Episcopo absolverint. Vide dicta disputatione præcedenti sect. 4. concluf. 11.

Sed contrà primo; non licèt etiam conditionatè proferre formam super materiam incapacem. Deinde Ecclesia nusquam monet ordinandos de tali conditionata intentione.

Respondeo ad secundum, fortè Episcopos, & ejus ministros, sequi aliam sententiam; neque enim una est omnium sententia circa hanc materiam, ut videre poteris apud Lugonem suprà nu. 162. & sequentibus. Præterea supponunt Episcopi, quòd velint consecrare optimo modo, quo possunt, & debent. Enimverò eorum non interest scire, quis sit ille modus, quin imò tutiùs erit habere communem intentionem Ecclesiæ, quàm particularem etiam conditionatam.

Ad primum dicere quis posset, non esse de se illicitum proferre aliquam syllabam vel verbum super materiam consecratam: non enim censetur peccare, qui diutius, quàm necessarium

rium est, protrahit ultimam syllabam, vel ex aliquo scrupulo & anxietate secundò repetit ultimum verbum consecrationis.

quæ impugnatur.

Huic responsioni obstare videtur, quòd in ultimis casibus sit solùm unum signum practicum, idque verum; illa enim protractio, aut repetitio integrat unum signum sacramentale cum verbis præcedentibus, id est, unum signum sensibile practicum, estò non operetur secundùm omnes suas partes: in casu autem, de quo disputamus, erunt plura signa totalia distincta, unum verum, & sacramentale, scilicet verba Episcopi, alterum falsum, verba scilicet concelebrantis; falsum, inquam, practicum, quia nihil efficient, neque ex toto, neque ex parte; nisi cum aliquibus dixeris, quòd ex omnibus fiat unus minister, & una forma totalis ex pluribus partialibus; adeoque licèt alii aliis priùs absolvant, parùm referre, quia non fit conversio usque ad omnium prolationem: quod apparet minùs probabile; quia non est in potestate ministri suspendere effectum positâ sufficienti materiâ & formâ, ut alibi latiùs tractavimus.

Melior responsio Lugonis.

Ideo meliùs respondet Lugo n. 172. malitia, inquit, reiterationis formæ super materiam consecratam, stat in eo, quòd proferantur verba sacramentalia sine ulla spe sui effectûs, & cum intentione effectûs impossibilis: in nostro autem casu nemo profert verba sine aliqua spe consecrandi, nec Ecclesia jubet aliquem proferre, de quo non possit habere aliquam spem, quòd consecrabit, & per quem non possit intendi ille effectus: ergo ex hoc capite non est aliquod inconveniens, ratione cujus vitanda sit illa ceremonia.

56. Objectio.

Dices; saltem in communi verum est, imò moraliter certum, quòd non omnes absolvent simul, & quòd aliqui proferent verba consecrationis super materiam consecratam.

Solvitur.

Respondeo; ad excusandum illud inconveniens tale quale, sufficiunt motiva, ex quibus Ecclesia hanc ceremoniam instituit. Per illam enim intendit repræsentare mysteria conducentia ad cultum hujus Sacramenti, utpote æqualitatem potestatis cum Episcopo, quam habent Sacerdotes ex Ordinatione sua ad celebrandum; sicut etiam in signum potestatis acceptæ jubentur Diaconus, & Subdiaconus, cùm ordinantur, ministrare Episcopo in altari: item ad repræsentandam Cœnam Domini cum Discipulis, & alia mysteria, quæ licèt nos lateant, non tamen latuerunt Apostolos, à quibus forsitan descendit hæc consuetudo. Ita Cardinalis suprà.

Motiva propter quæ Ecclesia instituit hanc ceremoniam.

Sed ego non credo hanc consuetudinem ab Apostolis descendisse: alioquin non tam facilè ab aliquibus Episcopis omitteretur.

57. An qui non consecravit panem, possit velle consecrare vinum?

Petes; quid si aliquis recenter ordinatorum non consecraverit panem, puta, quia non absolvit simul cum Episcopo, poteritne velle consecrare calicem, sub conditione, si simul absolvat? Videtur respondendum negativè; quia consecratio utriusque speciei est de jure divino.

Sententia Dicastillonis.

Unde (inquit Dicastillo Tract. 4. disp. 3 n. 243.) omnes in forma calicis debent habere intentionem consecrandi cali.é cum Episcopo absolutè consecrante; sub duplici tamen conditione: primâ si consecraverunt in priori consecratione panem; secundâ si in eodem instanti absolvant cum Episcopo. Hæc ille.

Rejicitur.

Ego autem non video absolutam necessitatem prioris conditionis, nam facilè dici posset, præceptum divinum utramque speciem consecrandi, sicut & utramque sumendi, non esse pro omnibus, sed tantùm pro præcipuo celebrante, idque colligi ex ipso usu Ecclesiæ, quæ exponit illos Neomystas periculo non consecrandi utramque speciem, sed alterutram tantùm.

58. Objectio.

Sed contrà; in nostro casu non tantùm est periculum consecrandi unam speciem seorsùm; sicuti quando consecratur panis cum periculo non consecrandi vinum; sed est certitudo consecrandi solum vinum.

Solutio.

Respondeo; si Ecclesia potest dare licentiam consecrandi panem, cum periculo non consecrandi vinum, quidni etiam possit dare licentiam certò consecrandi solum vinum?

Quia, inquis, nulla est necessitas: neque enim ideo Sacrificium manebit imperfectum; sicuti quando Sacerdos moritur post consecrationem solius panis; tunc quippe succedens in locum defuncti consecrat solum vinum, ne alioquin Sacrificium inchoatum maneat imperfectum, quod constat non habere locum in nostro casu.

Constat planè: nihilominus causa sufficiens erit ut Neomysta ille concelebret & consacrificet, quantùm possibile est sine violatione præcepti divini.

Atque hæc impræsentiarùm sufficiant de ministro conficiente Sacramentum Eucharistiæ & offerente Sacrificium novæ Legis, offerente, inquam, pro vivis juxta ac defunctis: sed nunquid pro omnibus? Non puto. Erit itaque

SECTIO

SECTIO TERTIA.

De his pro quibus hoc Sacrificium offerri potest.

1. Sacrificium offertur pro vivis & defunctis,

SAcrificium novæ Legis offerri debere pro vivis & defunctis, nemo Catholicorum post Tridentinum sess. 22. cap. 2. & can. 3. potest dubitare. Nam cap. 2. sic inquit: *Quare* Sacrificium Missæ *non solum pro Fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus, sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite, iuxta Apostolorum traditionem, offertur.*

Probatur ex Conc. Tridentino,

Can. autem 3. contrarium errorem damnat his verbis: *Si quis dixerit Missæ Sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis &c. neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.*

& forma Sacerdotii:

Confirmatur ex forma Sacerdotii, quæ teste Florentino in decreto Eugenii talis est: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis, in nomine Patris* &c. Vel (ut lego in Pontificali Romano) *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasq; celebrare, tam pro vivis, quàm defunctis in nomine Domini Amen.*

Cùmque hæc verba formæ sint generalia, & aliunde, ut communiter loquuntur Theologi & Jurisperiti, ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debeamus, fortassis aliquibus videretur indifferenter pro omnibus vivis juxta ac defunctis hoc Sacrificium posse, & debere offerri; quod tamen nullatenus est admittendum, ut in sequentibus Conclusionibus luculenter ostendo. Exordior autem à vivis, & separando certa ab incertis, Dico Primò:

CONCLUSIO I.

Sacrificium Missæ potest offerri pro omnibus baptizatis vivis, qui non sunt præcisi ab Ecclesia.

2. Sacrificium offertur in commodum populi. *Hebr. 5.*

SAcrificium posse offerri pro alio, id est, in utilitatem & commodum alterius, apertissimis verbis docet Apostolus Hebr. 5. v. 1. *Omnis*, inquit, *Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus*, id est, in utilitatem hominum, *constituitur in iis, quæ sunt ad Deum.*

Quæris unde sciam ly *Pro hominibus*, idem esse, quod in utilitatem hominum? Respondeo; quia continuò subjungitur: *Vt offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Et v. 3. sic ait: *Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.* Debet ergo Sacerdos non tantùm pro seipso, id est, in propriam utilitatem, sed etiam pro populo, id est, in utilitatem populi offerre.

3. Quis sit populus.

Porrò quis sit iste populus, haud dubium quin in primis omnes fideles baptizati vivi, qui non sunt præcisi ab Ecclesia. Ita omnes Catholici cum Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. & can. 3. vide suprà. Et Colligitur ex Offertorio Missæ ibi: *Sed & pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis.* Et Canone ibi: *In primis quæ ibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica* &c. *Et omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus.* Quæ verba cùm sint generalia, sine ratione non est facienda exceptio.

Et verò quæ ratio excogitari potest excipiendi justos, vel peccatores, adultos, vel parvulos, amentes vel energumenos, cùm omnibus Sacrificium prodesse possit, ut patebit ex dicendis Sectione sequenti, & nulla extet de aliquibus prohibitio? Nam in Concilio Eliberitano, quod in contrarium adfertur, tantùm prohibetur, ne energumeni ministrent huic Sacrificio, & ne recitetur eorum nomen in Missa. Scenim loquitur cap. 29. *Energumenum, qui ab eratico spiritu exagitatur, huius nomen, neque ad altare cum oblatione esse recitandum, neque permittendum ut suâ manu in Ecclesia ministret.*

Conc. Eliberitanum.

4. Peccant qui eis quem licet baptizatum non communicant.

Cùm ergo Sacrificium sit quoddam bonum relictum Ecclesiæ, utique dispensandum membris ejus per legitimos ministros, liquet profectò pro omnibus fidelibus baptizatis vivis (saltem non præcisis) utpote membris Ecclesiæ, non solùm posse, sed etiam debere offerri: unde peccaret, qui aliquem expresè à Sacrificio excluderet; quia in Missa, ut suprà vidimus, expresè dicitur Sacrificium offerri pro omnibus, sive pro tota Ecclesia: Sacerdotes autem sacrificando tenentur servare ritum Ecclesiæ.

De hac ergo veritate satis constat inter Catholicos; dubitatur autem primò, an liceat sacrificare pro non baptizatis, puta Gentilibus, Judæis, Paganis & Catechumenis: secundò, an pro excommunicatis, aut aliter præcisis. Ad primum Respondeo:

CON-

CONCLUSIO II.

Sacrificium Missæ offerri potest pro Catechumenis, & aliis Infidelibus non baptizatis, prodestque illis per modum impetrationis.

5. Non baptizati sunt capaces impetrationis fallibilis,

ITa communiùs Doctores contra Vasquez, & paucos alios. Ratio à priori est, quia Catechumeni & alii infideles sunt capaces fructûs Sacrificii, si non satisfactionis aut propitiationis, certè impetrationis fallibilis, neque Ecclesia ullibi prohibuit illum infidelibus applicare.

secùs infallibilis.

Dico, *Impetrationis fallibilis*; quia si aliquis effectus per modum impetrationis infallibiliter concedatur, putamus eum non provenire infidelibus, id est, non baptizatis magis, quàm fructus propitiationis, vel satisfactionis: eadem enim est omnium ratio. Et quæ illa? Quia Baptismus est janua Sacramentorum, consequenter & hujus Sacrificii, quod Sacramentum involvit. Sicuti ergo iis, qui defectu Baptismi sunt extra Ecclesiam, non applicat Ecclesia Indulgentias & alia, quæ per se immediatè conferrent ipsis aliquem effectum; ita neque Sacrificium in quantum infallibiliter & immediatè collativum alicujus effectûs.

6. Objectio.

Si objicias: fructus redemptionis & passionis Domini etiam extenditur ad non baptizatos. Respondeo, ut à Christo immediatè procedit; secùs ut applicatur per Ecclesiam, & ejus ministros.

Solutio.

Instas; in Missa dicitur: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ.* Atqui Catechumeni fideles sunt de familia Dei: ergo &c.

Instantia.

Responsio.

Respondeo in promptu est; intelligi familiam visibilem, ad quam non pertinent Catechumeni; utpote cujus signaculum externum nondum acceperint. Et sanè quis credat extra Ecclesiam posse offerri Sacrificium, quod pro sola Ecclesia est institutum? Sacerdos non est Sacerdos Gentilium, sed solius Ecclesiæ. Ergo non possunt per eum offerre, qui sunt extra Ecclesiam.

Catechumeni non pertinent ad visibilem Christi familiam,

7. Ideoque pro ipsis non est institutum Sacrificium.

Contrà; si Catechumenus stipem daret Sacerdoti, quidni aliquo modo offerret? Respondeo, offerret affectivè, & mereretur, sicut per alia bona opera; attamen non offerret effectivè, nec haberet fructum satisfactionis, aut alium quemlibet ex opere operato; quoniam illud signum non est pro ipso institutum magis in ratione Sacrificii, quàm Sacramenti: ergo sicuti ex Sacramento bonâ fide susceptio nullum accipere fructum ex opere operato, quia illi non significaret ut Sacramentum; ita neque ex Sacrificio, quia prout ab ipso non significaret ut Sacrificium.

8.

Si urgeas; Sacrificium est cultus Dei: ergo omnes possunt illum exhibere.

Respondeo; etiam Sacramentum sive susceptio Eucharistiæ est cultus Dei, & tamen non omnibus licet, aut valet; sed illis tantùm qui per Baptismum ingressi sunt Ecclesiam, pro qua sola ille cultus est institutus.

ut colligitur ex Con. Tridentino.

Dubitas autem, an Christus Sacrificium reliquerit soli Ecclesiæ? Audi Tridentin. sess. 22. c. 1. *Is igitur Deus & Dominus noster .... in Cœna novissima, quâ nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium .... Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit.*

9. Quâ ratione pro Sanctis offeratur Sacrificium.

Sed interrogat aliquis: Quomodo ergo offertur pro Catechumenis sanctis, qui Martyrio interierunt? Respondeo; ut est laudis & gratiarum actionis, non autem quatenus est propitiatorium, aut satisfactorium, ut patet.

Unde nullus fructus applicatur Sanctis per illa Sacrificia; sed agimus gratias Deo pro beneficiis collatis in illos, ex quo indirectè redundat gloria & honor accidentalis in illos, qui posset dici fructus impetrationis, quem Catechumeno etiam vivo & non sancto nolumus negare, ut statim patebit.

10. Objectio.

Priùs objicio cum aliquibus: Baptizatus defunctus non est ampliùs ovis, sive membrum visibile Ecclesiæ militantis, & tamen illi prodest Sacrificium, etiam ex opere operato, ut inferiùs dicetur: ergo &c.

Solutio. Applicatio Sacrificii non est actus pascendi.

Respondeo, applicationem Sacrificii neutiquam esse in omni rigore actionem pascendi, quia sic nullus posset offerre, nisi Pastor, quod clarè constat esse falsum; sed est quasi actus Pastoris; quia hostia Sacrificii est verus pastus, & verus cibus, quo Christus Pastor Pastorum pascit oves suas, nolens quempiam ex eo edere, qui non est insignitus visibili charactere Baptismatis, imò qui non est membrum Ecclesiæ militantis.

11. Fructus Sacrificii applicatur nomine Christi

Cæterùm fructus Sacrificii applicatur per Sacerdotem nomine Christi, utpote in cujus persona, ut superiùs explicavimus, offert Sacrificium. Potens autem est Christus offerre, suamque satisfactionem applicare, tam vivis, quàm defunctis.

Immediatè & directè defunctis, sicut vivis,

Quare licèt Pontifex non possit defunctis dare Indulgentias sicut vivis, sed solùm indirectè, & per modum suffragii, ut suo loco videbimus; quia Pontifex non est superior mortuorum, sed vivorum: equidem Sacrificium Missæ immediatè & directè applicatur defunctis, sicut vivis, quia in eo Christus, qui principaliter offert, æquè potest utrisque suam satisfactionem applicare: Sacerdos verò tamquam minister Christi solùm determinat oblationem Christi ad hunc vel illum.

12. Obiectio solvitur.

Sed contrà: Christus potest applicare suam satisfactionem etiam Catechumeno. Potest planè; sed non ostenditur, quòd applicet, prout ostenditur ex communi sensu omnium fidelium, quòd applicet baptizato defuncto.

Ratio quare Christus non applicet suam satisfactionem catechumeno.

Et ratio aliqua congruentiæ esse potest: quia sicut Catechumeni non sunt membra Christi visibiliter & exteriùs, sed interiùs; sic Christus influit & communicat illis effectus interiores: porrò illos effectus, qui exteriùs conferuntur per signum aliquod visibile, quale est hoc Sacrificium, confert his, quibus, utpote etiam exteriùs & visibiliter ejus membra, convenit visibilis influxus. Et talia membra sunt animæ quoque defunctorum, siquidem, ut docuimus disp. 1. de Sacramentis in genere sect. 4 conclus. 7. Character de potentia ordinaria est indelebilis, etiam post mortem.

Animæ defunctorum sunt membra visibilia Christi.

13. Ecclesia solebat olim in Missis orare pro catechumenis,

Interim Christum voluisse aliquem fructum Sacrificii provenire Catechumenis, & aliis infidelibus; probatur primò, ex usu Ecclesiæ, quæ antiquitùs semper solebat in Missis orare pro Catechumenis, Regibus, & Principibus etnicis, ut de Catechumenis constat ex Clemente Romano lib. 8. Constitutionum Apostolicarum, apud Bovium cap. 5. 6. & 22. Et quidem cap. 5. sic lego: *Diaconus pro ipsis oret dicens: Pro Catechumenis omnes Deum oremus, ut bonus & benignus Dominus clementer exaudiat obsecrationes & preces ipsorum, & recipiens eorum supplicationes, tribuat eis auxilium* &c.

ut constat ex Clemente Rom.

Cap. autem 6. pro iisdem orat Episcopus dicens: *Da eis cor novum, & spiritum rectum innova in visceribus eorum ad cognoscendam, & faciendam voluntatem tuam in corde pleno & volenti animo, dignos fac eos sancto Baptismo* &c. Similiter cap. 22. (quod intitulatur, *Oratio post communionem*) *Catechumenos*, inquit, *instrue, & imitatione dignos redde.*

14. D. Chrysostomo,

Adstipulatur Divus Chrysostomus Homilia de Adam & Eva aliquantulum ante finem, ubi sic ait: *Cùm enim sanctæ plebis Sacerdotes per mandata sibimet data, legatione funguntur apud divinam clementiam, humani generis causam, totamq; secum Ecclesiam aggregantes, atque congemiscentes postulant & precantur, ut infidelibus donetur fides, ut ab idololatria & impiis erroribus liberentur, ut Iudæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant, ut schismatici spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, Catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis, cœlestis misericordiæ aula reseretur: hæc non inaniter à Domino peti, rerum ipsarum monstrat effectus.* Hactenus Chrysostomus.

& D. August.

Accedat Divus Augustinus Epistolâ 107. non longè à principio, ubi sic alloquitur Vitalem Carthaginensem pessimum Pelagianum: *Dic ergo apertissime; nos pro iis, quibus Euangelium prædicamus, non debere orare, ut credant, sed eis tantummodò prædicare. Exerce contra Ecclesiæ orationes disputationes tuas, & quando audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem, & pro Catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret, & pro fidelibus, ut in eo, quod esse cœperunt, eius munere perseverent; subsanna pias voces* &c.

Et verò quid aliud Sancti Patres docerent, quàm quod docuit Doctor Gentium Apostolus Paulus 1. ad Timotheum 2. v. 1. *Obsecro*, inquit, *primò omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus* (qui tunc erant infideles) *& omnibus, qui in sublimitate sunt.* Quod autem genus orationis magis efficax, quàm ipsum Sacrificium?

Idem dic. cap. 3. Idem D. Bas. lib. de Spir. Sanct. cap. 27.

Sanè hæc verba Apostoli intelligit Divus Augustinus Epistolâ 59. adquintam quæstionem de publicis orationibus inter Missarum solemnia fieri solitis, sive ante consecrationem, sive in ipsa consecratione, sive post communionem. Verba ejus sunt: *Multa hinc dici possunt, quæ improbanda non sint, sed eligo in his verbis* (Apostoli suprà) *hoc intelligere, quòd omnis, vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Dominicâ mensâ, incipiat benedici: orationes cùm benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia Dominicâ oratione concludit.*

Et paulò inferiùs: *Interpellationes autem sive ..... postulationes, fiunt cùm populus benedicitur. Tunc enim Antistites velut advocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt pietati. Quibus peractis & participato tanto Sacramento gratiarum actio cuncta concludat, quam in his etiam verbis ultimam commendavit Apostolus.*

Prosequitur Sanctus Doctor: *Hæc autem causa præcipua fuit ista dicendi, ut his breviter perstrictis atque significatis, non putaretur negligendum esse quod sequitur:* Pro omnibus hominibus, pro Regibus, & iis qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & charitate: *ne quisquam sicut se habet humanæ cogitationis infirmitas, existimaret non esse ista facienda* (id est, non esse sacrificandum) *pro his à quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cùm membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda.*

Hæc fusiùs, ut ostenderem antiquam Ecclesiam non tantùm orasse in Missa pro Catechumenis, & aliis infidelibus, ut respondet Vasquez disp. 227. num. 28. Sed etiam pro illis

Vasquez. illis Sacrificium directè obtuliſſe. Quid enim aliud ſunt orationes, cùm benedicitur & ſanctificatur menſa Domini, quàm ipſa verba conſecrationis? Et conſecratio, numquid Sacrificium? Iſta autem facienda ſunt, ut loquitur Divus Auguſtinus, pro his, à quibus tempore Apoſtoli, perſecutionem patiebatur Eccleſia.

teſte Tertulliano. Unde appoſitè Tertullianus lib. ad Scapulam cap. 2. n. 11. *Itaque ſacrificamus pro ſalute Imperatoris; ſed Deo noſtro, & ipſius.* Interpretandi porrò hæc verba de Sacrificio impropriè dicto, id eſt de Sacrificio ſolius orationis, prout facit Vaſquez n. 29. nulla eſt neceſſitas, eſtò proximè ſubjungat: *Sed quomodo præcepit Deus purâ prece.*

Vasquez. Etenim ly *Purâ*, non excludit Sacrificium novæ Legis, inquentum Agni immaculati, quod ſuprà Auguſtinus vocat orationem; ſed Sacrificia cruenta de ovibus, bobus &c. juxta ritum veteris Legis, & idololatrarum. Colligo, quia ſtatim attexit: *Non enim eget Deus conditor univerſitatis odoris, aut ſanguinis alicuius, hæc enim Dæmoniorum pabula ſunt.*

17. Objectio ſolvitur. Nec obſtat, quòd paucis interpoſitis dicat: *Ita nos magis oramus pro ſalute Imperatoris, ab eo eam poſtulantes, qui præſtare poteſt.* Intelligit enim cum Divo Auguſtino orationem ante conſecrationem, in conſecratione, & poſt conſecrationem.

Herculè Eccleſia numquam ferè explicat in actu ſignato ſe offerre pro impetranda hac vel illa re, ſed ſolùm orat pro illa re, dum Sacrificium celebrat; & hoc ipſum eſt in actu exercito offerre ad illam impetrandam. Nec hoc mirum videri debet, quia principalis finis Sacrificii non eſt impetratio, ſed proteſtatio ſummæ excellentiæ divinæ in vitam & mortem.

Quis ſit principalis finis Sacrificii.

18. *Videtur Eccleſia pro Catechumenis expliciter obtuliſſe Sacrificium.* Quamquam & explicitè Eccleſia olim obtuliſſe videatur Sacrificium pro Catechumenis, ut patet ex libro qui inſcribitur: *Ordo Romanus*, in cap. cui titulus eſt: *Incipit ordo vel denuntiatio ſcrutinii ad electos* &c. ubi in Miſſa, dum Catechumeni præparantur ad futurum Baptiſma, in Oratione infra Canonem ſic habetur: *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus Domine ut placatus accipias, quam tibi offerimus pro famulis & famulabus tuis, quos ad æternam vitam, & beatam gratiæ tuæ donum eligere atque vocare dignatus es.*

Ordo Rom.

Reiterata explicatio Vasquez. Neque hìc ſolùm offerri pro illis, qui infantes baptizandos adducebant, ut vult Vaſquez nu. 20. haud obſcurè colligitur ex iis, quæ ſubjiciuntur; nam recitatis nominibus Catechumenorum ſtatim proſequebatur Sacerdos: *Hos Domine fonte baptiſmatis innovandos Spiritûs tui munere ad Sacramentorum tuorum plenitudinem poſcimus præparari iubeas, dieſq; noſtros in tua pace diſponas* &c.

In quibus verbis petitur ipſis protectio & ſuſceptio Baptiſmi, purgatio etiam & excluſio Diaboli, quam hodie tot exorciſmis & orationibus Eccleſia ante Baptiſmum procurat. Unde in oratione poſt Communionem dicitur: *Adeſto quæſumus Domine noſtræ redemptionis effectibus, ut quos Sacramentis æternitatis inſtituis, eiſdem protegas dignanter aptando*; ubi per Sacrificium, quo redemptionis effectus confertur, petitur protectio baptizandis.

Accedat alia Oratio ſecreta ejuſdem Officii paulò inferiùs ſequentis tenoris: *Remedij ſempiterni munera, Domine lætantes offerimus, ſupplicter exorantes, ut eadem nos, & dignè venerari, & pro ſalvandis congruenter exhibere perſicias.* Ecce pro baptizandis offeruntur munera Sacrificii; nec aliis clarioribus verbis, aut magìs directis offert unquam Eccleſia pro baptizatis.

19. Objectio. Si autem objicias; in eodem Officio dicitur: *Ipſis expletis annuntiat Diaconus: Catechumeni recedant: Si quis Catechumenus eſt, recedat. Omnes Catechumeni exeant foràs.* Et infrà: *Ipſi verò infantes præ foribus expectent, donec conſumentur Miſſarum ſolemnia.*

Reſpondeo facilè; indecens eſſe, quòd adſint Sacrificio ii, qui illud cum Sacerdote offerre non poſſunt, quales ſunt Catechumeni, utpote nondum membra Eccleſiæ, cujus nomine Sacerdos offert Sacrificium. Ergo pro ipſis non poteſt offerri Sacrificium, qualis Conſequentia? Similis iſti: Equus non poteſt offerre Sacrificium: ergo non poteſt offerri Sacrificium ad impetrandam equo ſanitatem. Reſpondetur.

20. Vaſquez putat Eccleſiam quandoque in accidentalibus Sacramentorum ſecutam fuiſſe opinionem probabilem.

Unde Vaſquez n. 21. Cæterùm, inquit, reſpondere quis poſſet, quod attinet ad eſſentiam & ſubſtantiam Sacramentorum, Eccleſiam ſemper eam doctrinam dictis & factis probaſſe, quæ certa & indubitata eſt: at verò quod attinet ad alia accidentaria, non omnino indubitatam, ſed probabilem aliquando in praxi ſecutam aliquid feciſſe, tametſi non tamquam certum dogma fidei declaraverit, & hâc de cauſa tunc ex præſcripto Romani Pontificis Miſſam pro Catechumenis obtuliſſe; nunc autem non offerre, cùm neque publica oratio ulla pro illis permanſerit, niſi in die Paraſceves, quando nullum in Eccleſia Sacrificium offertur. Hæc ille.

Quare Eccleſia non ordinaverit ſpecialem Miſſam pro Catechumenis.

Sed ſi antiquitùs, ſecundùm probabilem opinionem, Eccleſia pro Catechumenis Miſſam celebraverit: quidni ſecundùm eamdem probabilem opinionem etiam hodie poſſim pro ipſis celebrare, eſtò ob certas rationes nulla oratio publica pro ipſis in Miſſali Romano permanſerit, niſi in die Paraſceves? Certè vel illa ipſa oratio in die Paraſceves ſatìs ſignificat, Catechumenos capaces eſſe fructûs impetrationis; ſi extra Sacrificium, cur non etiam in ipſo Sacrificio? Noluit autem Eccleſia ſpecialem pro ipſis Miſſam ordinare; quia

incapaces sunt primarii fructûs Sacrificii, scilicet propitiationis, & satisfactionis.

21. In communi Missa Rom. offertur calix pro totius mundi salute.

Et verò in communi Missa Romana nonne offerimus calicem *pro nostra & totius mundi salute?* Planè; sed eodem modo, inquit Vasquez n. 33. sicut pro Regionibus Germaniæ, & Galliæ, nempe pro fidei nostræ, & Evangelii propagatione; hæc enim est totius mundi salus; id autem licitum est, tametsi indè aliquid etiam commodi spiritualis gentilibus, & paganis proveniat, quod dici solet indirectè pro infidelibus offerri. Hæc ille.

Vasquez.

Quid sit directè offerre Missæ Sacrificium?

Ecce pervenimus ad quæstionem de nomine quid sit offerre directè, qui diceret idem esse, quod applicare omnem fructum Sacrificii, consequenter affirmare deberet cum Vasquez, Sacrificium non offerri directè pro infidelibus; qui autem assereret sufficere applicationem alicujus fructûs, consequenter deberet dicere, Ecclesiam, etiam hodie, directè offerre pro infidelibus. *Offerimus tibi Domine calicem salutaris* (inquit Sacerdos) *pro nostra & totius mundi salute*; pro nostra, inquam, quis dubitat, an directè? Ergo etiam directè pro totius mundi salute: ergo etiam directè pro salute gentilium & paganorum.

22. Quod offeratur directè pro infidelibus, probatur ex Innoc. III.

Confirmatur ex Innocentio III. cap. 2. de Presbytero non baptizato, ubi sic scribit Episcopo Cremonensi: *Inquisitioni tuæ taliter respondemus, Presbyterum, quem sine unda Baptismatis extremum diem clausisse significasti: quia in Sanctæ matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, & cælestis patriæ gaudium esse adeptum*, (id est, posse adipisci) *asserimus incunctanter. Lege super octavo libro* (aliàs super octavum librum) *Augustini de civitate Dei, ubi inter cætera legitur: Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus Religionis, sed terminus* (id est articulus) *necessitatis excludit. Librum etiam Beati Ambrosii de obitu Valentiniani idem asserentis revolve. Sopitis igitur quæstionibus Doctorum, & Patrum sententias teneas: & in Ecclesia tua iuges preces, hostiasq; Deo offerri iubeas pro Presbytero memorato.* Hæc Pontifex.

S. Ambros.

Et ante ipsum Divus Ambrosius, qui loco statim citato hortatur, rogat & obsecrat, ut pro anima Valentiniani adhuc Catechumeni, Sacrificia offerantur, dicens: *Date manibus sancta Mysteria; date Sacramenta cælestia, animam piam nostris oblationibus prosequamur.*

23. Responsio 1. Vasquez rejicitur?

Respondet Vasquez primò, Innocentium id jure præcepisse; quia non satis evidenter constare poterat, Presbyterum illum non fuisse baptizatum. Responsio omnino gratis conficta absque ullo fundamento in re, ut patet ex contextu.

Deinde, inquit Vasquez, dicere quis posset Innocentium sententiam probabilem secutum, quam etiam fortasse Ambrosius secutus est. Ego tamen censeo Innocentium & Ambrosium de oblationibus eleëmosynarum, & aliorum piorum operum intelligendos esse: nam eleëmosynæ Sacrificia non rarò dicuntur, ac proinde hostiæ vocari non immeritò possunt. Hæc ille. *Vasq. 1. 2. disp. 220.*

Possunt omnino, sed impropriè; verba autem propriè intelligenda sunt, nisi aliquid obstet. In tantum verò hìc nihil obstat, ut etiam aliqui ex istis verbis colligant, non solùm effectum impetrationis, sed etiam satisfactionis & propitiationis. Nec enim, inquiunt, est ratio limitandi de effectu secundario & fallibili; præsertim cùm plures putent orationes non prodesse defunctis, nisi quatenus satisfactiones sunt, aut eis impetrant. 24. Quidam tenent posse Sacrificium offerri fidelibus quod solum sufficiens ad propitiationis,

Respondeo; rationem suprà assignavimus. Et sanè si orationes prosunt defunctis quatenus eis impetrant; quidni etiam Sacrificium sic prodesse possit, etsi non per modum satisfactionis? Indubiè enim sic potuit Christus Sacrificium suum instituisse, ut non prodesset infidelibus, aut Catechumenis defunctis, *nisi* quatenus fallibiliter impetrat eis remissionem pœnarum Purgatorii, sicut aliis orationibus extra Sacrificium eam ipsis impetramus. sed hypothesis est tenendum.

Quòd autem sic fecerit, quamvis absolutè non possit convinci, tamen multùm verisimile redditur ex anteà dictis: præsertim ex communi sensu fidelium, qui non sunt soliciti offerre Sacrificia pro infidelibus vivis, aut Catechumenis defunctis. Et mirum foret, quòd Ecclesia nullam Missam pro his ordinasset, si judicasset eos capaces omnium fructuum Sacrificii eo modo, quo baptizati.

Unde quod quidam dicunt: Sacrificium incruentum imitatur cruentum, quod etiam non baptizatis profuit; hoc, inquam, nullam habet difficultatem. Quæro etenim, quomodo Sacrificium cruentum profuit non baptizatis? An fortè immediatè & infallibiliter contulit ipsis gratiam sanctificantem, aut remissionem pœnarum? Certum est quòd non. 25. Obiectio. Solvitur.

Quomodo ergo? Quatenus per Baptismum, & alia Sacramenta, nec non Sacrificium incruentum, illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum, applicatur. Igitur incruentum Sacrificium imitatur cruentum, quatenus virtus Sacrificii cruenti per incruentum applicatur omnibus Christi fidelibus baptizatis infallibiliter, infidelibus autem fallibiliter. Quomodo Sacrificium cruentum profuerit non baptizatis.

Nec plus probat hæc ratio aliquorum: Satisfactiones, inquiunt, proprias possumus Catechumenis applicare, cur ergo non satisfactiones Christi per Sacrificium? Respondeo; quia Christus noluit: siquidem reliquit visibile Sacrificium sponsæ suæ Ecclesiæ, ut docet Tridentinum sess. 22. cap. 1. 26. Non valet argumentum à satisfactionibus ad satisfactiones Christi.

Reliquit omnino, reponunt illi, ut in ea offeratur, ut principaliter pro ea, & per ejus ministros fructus dispensetur; non tamen sic ut

ut nequeat dispensari extraneis, aliàs neque prodesset quoad fructum impetratorium. Sicut parens relinquit filio thesaurum, præcipuè in ipsius utilitatem, cum potestate tamen etiam extraneis distribuendi.

27. Dari posse Catechumenis Indulgentias, quorumdam opinio,

Unde censent cum Suario probabile, Catechumenis posse dari Indulgentias, non quidem per modum absolutionis (cùm non subsint Ecclesiæ) sed per modum suffragii. Quin immo etiam concesso quòd Catechumeni non forent capaces Indulgentiarum; adhuc negant illam Consequentiam: Ergo non sunt capaces satisfactionis per Sacrificium.

Enimverò constat thesaurum Indulgentiarum esse à Christo relictum dispensandum fidelibus Extravag. *Vnigenitus.* de Pœnitentiis & Remissionibus ibi: *Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum Cœli clavigerum, eiusq; successores suos in terris Vicarios commisit fidelibus salubriter dispensandum* &c. Fidelium autem nomine simpliciter videntur intelligi baptizati; id verò non constat de Sacrificio incruento, solâ ratione offerendi diverso à Sacrificio Crucis; præsertim cùm id competat etiam satisfactionibus propriis. Ita illi, non improbabiliter, licèt minùs communiter.

& à fortiori posse applicari Sacrificium, etiam quoad fructum satisfactionis.

28. Horum argumenta labuntur.

Hinc quod attinet ad satisfactiones proprias, Respondeo, illas ex opere operato non prodesse Catechumenis, imò nec baptizatis; fructum autem ex opere operantis, nec his, nec illis negamus; utì etiam fructum Sacrificii ex opere operantis, ut disertè fatetur Vasquez n. 33. dicens: De fructu ex opere operantis, hoc est, ratione meriti ipsius offerentis, negari nequit prodesse illis (Catechumenis, & aliis infidelibus) posse & hoc modo ab ipso Sacerdote pro illis offerri, sicut quodcumque aliud ipsius bonum opus.

Datur discrimen inter Sacrificium & Indulgentias,

Neque eadem est ratio Sacrificii & Indulgentiarum; quia Sacrificium involvit Sacramentum, quod constat solis baptizatis ex opere operato prodesse.

29. & inter fructum impetratorium & satisfactorium de.

Porrò, quare Sacrificium magis prosit quoad fructum impetratorium, quàm satisfactorium, ratio est: quia hoc Sacrificium offertur Deo ad impetrandam sanitatem corporalem, pluviam, serenitatem, & pro quacumque alia re à Deo justè obtinenda.

Tridenti.

Patet ex Tridentino sess. 22. cap. 2. ibi: *Quare non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus, sed & pro defunctis* &c. *offertur.* Et can. 3. *Si quis dixerit Missæ Sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis* &c. *neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere, anathema sit.* Cur ergo non licebit petere spiritualem salutem animæ hominis non baptizati?

30. Impetratio immediatè

Enimverò impetratio non respicit immediatè personam, cui confertur beneficium; sed magis illum, qui beneficium postulat. Unde qui petit sanitatem equi, non dicitur offerre pro equo, sed potiùs pro seipso, ut impetret sibi illud beneficium: jam autem salus æterna proximi, qui est alter ego, non censetur minus beneficium offerentis, quàm sanitas equi. Itaque impetratio immediatè confertur offerenti, & non nisi mediatè illi, pro quo impetratur.

respicit postulantem,

mediatè illum, pro quo impetratur;

Et quidem si potest redundare in commodum animalis irrationalis, cur non æquè, aut magis in commodum hominis non baptizati? Quocirca postulans à Deo per Sacrificium conversionem infidelium, magis pro seipso offert, quàm pro infidelibus.

Aliud est de fructu propitiationis & satisfactionis, qui immediatè confertur illi, pro quo Sacrificium offertur; adeoque non nisi subjecto capaci per Baptismum. Simile sit in Sacramento Eucharistiæ, quod quidem à me susceptum pro salute Catechumeni; ipsi proderit ex opere operantis; tametsi immediatè Catechumeno applicatum, nullum ei conferat effectum ex opere operato.

fructus satisfactionis & propitiationis immediatè illum pro quo sacrificatur.

Ex his facilè respondetur ad ea, quæ pro sua sententia congerit Vasquez suprà cap. 3. Adfert autem primò Concilium Bracarense primum, quod sic loquitur cap. 35. aliàs 17. *Item placuit, ut Catechumenis, sine redemptione Baptismi defunctis, simili modo neque oblationis sanctæ commemoratio, neque psallendi impendatur officium: nam & hoc per ignorantiam usurpatum est.*

31. Respondetur ad fundamenta Vasq.

Concil. Bracarense videtur agere de Catechumenis in malo statu defunctis,

Sed, ut omittam, quòd sit tantùm Concilium Provinciale, videtur agere de Catechumenis defunctis in malo statu, qui peccaverunt per negligentiam Baptismi: quare etiam vetat pro ijs orare, seu ijs impendi psallendi officium, cujus indubiè capaces forent, si in gratia fuissent mortui. Et sanè, qui in gratia moritur, nonne sine redemptione Baptismi, in re, vel in voto? Nihil autem cogit per redemptionem Baptismi hìc intelligere realem susceptionem Baptismi.

Bracar.

Simili modo loquendi utitur idem Concilium cap. 16. aliàs 34. *Item placuit, ut hi qui sibi ipsis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur: multi enim sibi hoc per ignorantiam usurpaverunt.* Per ignorantiam utique mali status, id est peccati mortalis, adeoque æternæ damnationis, quam incurrunt hujusmodi in semetipsos crudeliores & sceleratiores homicidæ, ut eos vocat Divus Augustinus Tract. 5. in Joannem.

32. Alia explicatio Conc. Bracar.

Verumtamen, quia continuò attexitur: *Similiter de his placuit, qui pro suis sceleribus puniuntur*, quos constat sæpè sæpiùs discedere in bono statu; ac proinde capaces esse omnium

fructuum Sacrificii: hinc aliter responderi potest, & explicari Concilium, puta illam prohibitionem non fieri propter incapacitatem ad participandum fructum illarum orationum, aut Sacrificii; sed propter alias rationes, videlicet ad incutiendum aliis terrorem, quo retineantur ab hujusmodi sceleribus, & diligentiùs procurent suscipere Baptismum, ne se exponant periculo moriendi absque Baptismo, adeoque carendi Sacrificio Missæ, in quo publicè pro ipsis oretur, nec non sepulturâ Ecclesiasticâ cum consuetis ceremoniis. Cæterùm hæc prohibitio ampliùs non est in usu. Atque ut adhuc vigeret, non prohibet privatim pro ipsis in Missa orare, & Sacrificium offerre.

33. Obsciuntur verba D. Chrysostomi.

Majorem patiuntur difficultatem verba Divi Chrysostomi in Epistola ad Philippenses Serm. 3. in Exhortatione morali, quæ sunt hujusmodi: *Non frustra ab Apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum Mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Noverunt illis multùm hinc emolumenti fieri, multùm utilitatis. Stante siquidem universo populo, manus in cœlos extendente, cœtu item Sacerdotali, verendoq; posito* (id est incepto) *Sacrificio, quomodo Deum non placaremus pro istis orantes? Verùm istud quidem de illis dicimus, qui in fide abscesserunt. Catechumenos verò neque isto solatio dignamur; sed omni hujusmodi destituti sunt auxilio, uno quodam dempto. Quonam illo? Pauperibus illorum nomine dare licet, unde illis nonnihil refrigerij accedit.* Hæc Chrysostomus.

Qui loquitur de discedentibus in bono statu.

Loquitur autem de illis, qui hinc discesserunt in statu gratiæ, ut patet ex contextu. Erroneum quippe est (quamvis fortè non hæreticum) damnatorum pœnas, vel minimùm alleviari per preces & suffragia vivorum.

34. esto etiam ibi meminerit defunctorum in malo statu,

Fateor Divum Chrysostomum in principio illius exhortationis meminisse defunctorum in malo statu, ait enim: *Dic, quæso, quæ spes esse poterit illis, qui cum peccatis suis eò hinc abscedunt, ubi peccata exuere non licet? Donec enim erant in hoc sæculo, plurimùm fortè erat expectationis ac spei, immutandos illos, melioresq; fore; digressi verò in infernum, ubi nihil potest prodesse pœnitentia* (*In inferno siquidem, inquit, quis confitebitur tibi?*) *quomodo digni non sunt, qui deplorentur?*

Psal. 6. v. 6.

& numeret Catechumenos cum infidelibus.

Præterea numerat Catechumenos cum infidelibus dicens: *Defleto infideles, defleto eos, qui nihil ab infidelibus differunt, qui sine illustratione hinc abeunt, sine signaculo* (Baptismatis) *isti reverà digni sunt planctibus, digni lamentationibus; quippe qui extra regias cœlestes cum iudicio obnoxiis sunt, & condemnatis. Amen enim, inquit, dico vobis, nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cœlorum.*

Ioan. 3. v. 5.

Lugo.

Hæc tamen (inquit Lugo disp. 19. n. 181.) per quamdam exaggerationem, & ad incutiendum terrorem dicta videntur: nam post pauca, rigorem mitigans, dicit: *Defleamus istos, iuvemus eos pro viribus, procuremus illis aliquid auxilii, modici quidem: attamen iuvemus eos.* Ubi jam ostendit, aliquam posse esse spem de aliquibus eorum, & ideo posse, & debere juvari, modo tamen debito. Quis ille? *Precantes, inquit, adhortemur & alios, ut pro illis orent, pauperibusq; indesinenter pro illis eleëmosynas demus. Habet res ista nonnihil consolationis.*

35. Tempore Chrysost. erat publicum pro illis orare in Ecclesia pro Catechumenis. Sixtus Senensis lib. 6.

Ad summum ergo Chrysostomus voluit pro Catechumenis orationes publicas in Ecclesia non fieri; quia, ut dicit Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothecæ sacræ Annot. 331. tunc temporis illæ orationes prohibebantur ad coërcendam eorum negligentiam in recipiendo Baptismo.

Unde non dicit, Catechumenos esse incapaces omnis fructûs Sacrificii, aliarumque orationum; sed, inquit, *neque isto solatio dignamur*, propter scilicet prohibitionem Ecclesiæ pro isto tempore; sicuti etiam de facto non dignamur isto solatio excommunicatos, non quia incapaces sunt, sed quia Ecclesia prohibuit publicè pro illis offerre, vel orare, de quo Conclusione sequenti.

Quod ut clariùs ostenderet, addidit: *Pauperibus illorum nomine dare licet*; quasi diceret, tametsi non liceat propter prohibitionem Ecclesiæ publicè offerre vel orare pro Catechumenis, tamen minimè prohibitum est pro ipsis dare eleëmosynam. Hæc est communis explicatio Chrysostomi sufficiens planè ad præsentem controversiam.

36. Pellet illud D. Chrysost. locum de Catechumenis in malo statu defunctis.

Cæteroquin posset alicui videri Chrysostomus hìc loqui de Catechumenis mortuis in malo statu; loquitur namque de illis, quos anteà dixerat nihil ab infidelibus differre. Et sanè nihil differunt, si hinc abeunt sine illustratione gratiæ divinæ, sine signaculo Baptismatis, *de re*, vel in voto.

Interim permittit illorum nomine dare Pauperibus, si fortè indè non nihil refrigerii ipsis accedat, juxta illud Divi Augustini Ench. cap. 112. *Sed pœnas Damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari: etiam sic quippe intelligi potest manere in illis ira Dei, hoc est, ipsa damnatio.* S. Aug.

Quod videtur placuisse Glossæ in cap. *Cùm Marthæ* de Celebr. Miss. in fine verbo *Investiget*, ubi sic ait: *Vel melius dicas, quòd mediocriter mali dicuntur, qui mortalia commiserunt peccata, licèt levia, & in quibus non est necessaria inscriptura. ff. de Accus.* Levia, *& in quibus procurator constitui potest. ff. An per alium causæ apel. res. pos. L. 2. & secundùm hoc dicas, quòd si unus denarius aliquantam partem pœnæ tollat, sive tertiam, sive quartam, secundus tollat tantum; tantùm dico in proportione, sed non in quantitate: secundùm hoc etiamsi totus mundus effunderetur, semper aliquid remaneret.* Hactenus Glossa: sed contra torrentem Doctorum sine fundamento. Glossa in Cùm Marthæ.

37. Quòd Sacrificium altaris sive

Nam quantùm ad Divum Augustinum eodem libro cap. 110. expresè docet contrarium, ibi: *Cùm ergo Sacrificia, sive altaris, sive*

opera nihil prosunt ex mente D. August.

sive quarumcumque eleëmosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis (id est, beatis) *gratiarum actiones sunt, pro non valde malis* (id est, existentibus in Purgatorio) *propitiationes sunt, pro valde malis* (id est, pro damnatis) *etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt aut ad hoc prosunt ut sit plena remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio* Purgatorii. Et ejusdem sententiæ fuisse D. Chrysostomum non dubito.

Loquitur ergo primò de defunctis in malo statu, & horum damnationem dicit meritò deflendam. Deinde transgreditur ad divites, qui neglexerunt dum viverent de divitiis prospicere animæ suæ. *Deplorato*, inquit, *eos, qui in divitiis mortui sunt & nihil consolationis suis ipsorum animabus & divitiis suis procurarunt: eos, qui cùm potestatem abluendorum peccatorum habuissent, eleëmosynas elargiendo, Missas fundando &c. noluerunt.* Sed hi non ideo damnati, modò in gravi necessitate constitutis subvenerint, & similiter illis, quibus ex præcepto subvenire graviter erant obligati.

Itaque hi, qui peccata sua venialia aut pœnas temporales, eleëmosynis redimere neglexerunt, sunt lugendi, & juvandi. *Defleamus*, inquit, *istos, iuvemus eos pro viribus* &c. ubi ly *istos* refertur ad proximè præcedentes, id est, ad divites.

39. Eadem objectio.

Nec obstat, quòd inferiùs dicat, pro mortuis orandum, sicut pro vivis, ibi: *Nam ita, vult Deus, utnos invicem mutuò iuvemus. Quâ namque aliâ ratione pro mundi nos pace & incolumitate precari iussit? Quamobrem pro omnibus hominibus? Tametsi hic, ubi omnes dicit, & latrones, & sacrilegi sepulchrorum spoliatores, ac fures, innumerisq; malis aliis scatentes comprehendantur, nihilò tamen minùs pro omnibus oremus: erit forte aliqua illorum conversio. Quemadmodùm itaque pro vivis istis oramus, qui tamen nihilò differunt à mortuis, ita & pro mortuis orari potest.*

Solvitur.

Hæc, inquam comparatio non obstat; neque enim vult, quòd orari possit pro mortuis in peccatis, sed quòd, sicut pro omnibus vivis, orationis capacibus (quales sunt etiam peccatores) ita & pro mortuis, scilicet orationis capacibus, orari possit, etiam pro maximis peccatoribus, si non constet in peccatis discessisse.

Disparitas inter peccatores vivos & mortuos.

Sanè Peccatores vivos multùm differre ab illis, qui in peccatis suis discesserunt, his verbis satis indicat Sanctus Prosper Resp. ad object. 6. Vincent. *Hoc inter malos homines viventes distat & Dæmones, quòd hominibus etiam valde malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio? Dæmonibus autem nulla est in æternum servata conversio.* Quæ autem Dæmonum, eadem est ratio hominum damnatorum. Atque hæc sufficiant pro explicatione Divi Chrysostomi.

40. Objicitur.

Tertiò adfert Vasquez pro sua sententia auctoritatem Divi Augustini ex lib. 1. de Anima & ejus origine cap. 9. ubi referens errorem cujuspiam dicentis, animas infantium non baptizatorum posse, & debere juvari Sacrificiis Sacerdotum, ut æternam vitam consequantur, subdit hæc verba: *Ecce aliud, unde nunquam exiturus est, nisi eum dixisse pœniteat. Quis enim offerat Corpus Christi, nisi pro eis, qui membra sunt Christi?* auctoritas D. Augustini.

Explicans autem quæ sint membra Christi, subjungit: *Ex quo autem ab illo dictum est*: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest intrare regnum Dei. *Et alio loco*: Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam; *nemo sit membrum Christi, nisi aut Baptismate in Christo, aut morte pro Christo.*

Sensit igitur Augustinus pro non baptizato non posse offerri hoc Sacrificium, eò quòd non sit membrum Christi per Baptismum: quamvis igitur quis esset membrum per fidem & charitatem, si tamen non esset per Baptismum, ex sententia Augustini pro illo Sacrificium offerri non posset. Ita Vasquez suprà num. 93.

Ut aliquis fiat membrum Christi, sufficit Baptismus sanguinis?

Sed videtur non reflexisse ad ultimam particulam, scilicet, *aut morte pro Christo*. Ergo ex sententia Augustini, ut aliquis fiat membrum Christi, non requiritur Baptismus fluminis, sed sufficit Baptismus sanguinis.

41. an etiam sufficiat Baptismus flaminis?

Quidni etiam sufficiat Baptismus flaminis? Non dubito. Attende quod sequitur: *Unde*, infert Augustinus, *& Latro ille, non ante Crucem Domini sectator, sed in Cruce confessor, de quo nonnunquam præiudicium captatur, sive tentatur contra Baptismatis Sacramentum, à Cypriano sancto inter Martyres computatur, qui suo sanguine baptizatur, quod plerisque non baptizatis fervente persecutione evenit. Tanto namque pondere appensum est, tantumq; valuit apud eum, qui hæc novit appendere, quòd confessus est Dominum crucifixum, quantum si fusset pro Domino crucifixus.*

Exemplum in bono latrone.

Ecce Latro ille inter membra Christi numeratur, qui solo Baptismo flaminis fuit justificatus. Atqui pro membris Christi potest offerri Corpus Christi: ergo pro Catechumenis justis, viventibus juxta ac mortuis ex sententia Divi Augustini. Vides Vasquezi quemadmodum tibi securis in crura redit?

Explicatur D. Aug.

Loquitur ergo Augustinus de infantibus mortuis in peccato originali: pro his autem quis offerat Sacrificium? Cùm nec sint, nec amplius fieri possint membra Christi.

42. Objectio ex S. Aug.

Dices; etiam agit de aliis non baptizatis cujuslibet ætatis, nam cap. 11. sic incipit dicere: *Sed etiamsi hoc isti concedatur, quod salvâ fide Catholicâ, & Ecclesiasticâ regulâ nullâ ratione conceditur, ut pro non baptizatis cuiuslibet ætatis hominibus offeratur Sacrificium Corporis & Sanguinis, tamquam per huiusmodi pietatem suorum ad regnum Cœlorum, quo perveniant adiuventur: quid respondurus est de tot millibus infantium* &c.

Responsio.

Respondeo, necessariò intelligi debet de non

non baptizatis mortuis in peccato originali, vel mortali actuali, alioquin contradiceret fidei Catholicæ, & Ecclesiasticæ regulæ. Ipse enim Vasquez admittit nostram sententiam esse probabilem, & Ecclesiam antiquitùs fuisse illam secutam, offerendo pro Catechumenis vivis, fortè adhuc peccatoribus, ut gratiam Baptismi acciperent, quâ tandem pervenirent ad regnum cœlorum.

Et putas, quia erit contrarium fidei Catholicæ & Ecclesiasticæ regulæ, si offeratur pro Catechumenis vivis jam justificatis per Baptismum flaminis, vel in gratia defunctis? Nequit illa esse mens D. Augustini, maximè si agamus de fructu tantùm impetrationis; imò & de omni fructu, cùm salvâ fide Catholicâ plures id doceant.

43. Olim pro gentilibus offerebatur Sacrificium.

Igitur neque auctoritas, neque ratio cogit nos excludere à communibus suffragiis Ecclesiæ Catechumenos, aut alios infideles vivos, adeoque pro ipsis offerri potest Sacrificium Missæ, sicut olim pro Gentilibus oblatum legitur Sacrificium veteris Legis: Esdræ 1. cap. 6. pro Dario. 1. Machab. cap. 12. pro Spartiatis, & 2. Machab. 3. pro Heliodoro. Valeat quantùm valere potest, sive ex opere operantis, sive ex opere operato: haud enim invideo ipsis aliquem effectum, ne oculus meus nequam sit, quia Dominus bonus est.

Esdræ 1. c. 6. 1. Machab. c. 12. 2. Machab. c. 3.

Sed numquid quæ infidelium, id est, non baptizatorum, eadem est ratio excommunicatorum?

CONCLVSIO III.

Non licet offerre Sacrificium nomine Christi, vel Ecclesiæ pro excommunicatis non toleratis, nisi in generali pro totius mundi salute. Valet tamen quod aliter nomine Christi gestum fuerit: utì etiam valet & licet quod Sacerdos nomine suo facit.

44. Probatur 1. pars Concluſ. ex jure Canonico.

PRima pars probatur ex jure Canonico extrà de Sententia Excommunicationis cap. *A nobis* 28. ubi Innocentius III. interrogatus, utrùm si aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerunt pœnitentiæ manifesta, nec per eum steterit, quò minùs reconciliaretur Ecclesiasticæ unitati, non suscepto beneficio absolutionis discesserit, pro absoluto ab Ecclesia sit habendus: & utrùm pro tali recipienda sit eleëmosyna, & à fidelibus sit orandum?

cap. A nobis de Sentent. Excom.

Innoc. III.

Respondet: *Quantumcumque se quis juramento præstito, quòd Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curaverit, quantum cumque pœnitentiæ signa præcesserint, si tamen morte præventus absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus.* Igitur pro tali non est recipienda eleëmosyna, neque à fidelibus orandum.

Probatur Consequentia ex cap. *Sacris* 38. eodem titulo, ubi præfatus Pontifex Archiepiscopo Strigoniensi scribit in hæc verba: *Licet is, qui voluntarius excommunicatis illis communicaverat, qui cum omnibus fautoribus & participibus suis excommunicationis sententiæ sunt adstricti, ad eor redieus, de mandato Ecclesiæ excommunicatos, quos prius foverat, expugnaverit, non tamen priusquam absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus: nec si occumbat in hujusmodi bello, sunt absolutiones vel oblationes recipiendæ pro eo, vel orationes Domino porrigendæ, nisi cùm de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, & juxta tuam dam constitutionis nostræ tenorem defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur.*

cap. Sacris de Sentent. Excom.

45. Excommunicati ab Ecclesia prohibentur communicare fidelibus communibus. Quænam illa sint?

Ex quibus juribus probant communiter Doctores excommunicatum excommunicatione majori, de quo intelligitur Conclusio, ex intentione & voluntate Ecclesiæ omnibus suffragiis communibus privatum esse. Suffragia autem communia vocant orationes, quæ offeruntur nomine Ecclesiæ, Indulgentiæ, & Sacrificium, quod etiam nomine Ecclesiæ offertur, ut suprà cum Scoto diximus. Ergo illicitè offertur Sacrificium pro excommunicatis non toleratis nomine Christi, aut Ecclesiæ; quia contra prohibitionem Ecclesiæ.

Nihilominus *quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint obtinent roboris firmitatem*, cap. *Apostolicam* de Reg. valet quod nomine Christi gestum fuerit; quia quoad illam actionem, id est, validam applicationem Sacrificii, non dependet Sacerdos ab Ecclesia; sicut nec ad validè consecrandum, aut ungendum, de quo infrà uberiùs tractabimus.

Aliquis potest Sacrificium nomine Christi obtinere?

Cæterùm, quia Ecclesia expressè contradicit, & non vult ullum fructum ex parte sua excommunicato provenire, patet totum, quod nomine ejus fit, esse invalidum; secùs quod fit nomine Christi: quia Christus in quocumque Sacrificio, quantumcumque perverso ex parte Sacerdotis, semper est principalis offerens, neque potest esse verum Sacrificium, quod in persona ejus non offertur, ut enim superiùs ex Florentino dictum fuit, Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum: ergo etiam in persona Christi loquens hoc conficit Sacrificium: ergo sicuti non potest conficere Sacramentum, tametsi vellet, nisi in persona Christi; ita neque offerre Sacrificium, nisi in persona Christi, quia ipsa confectio Sacramenti, eaque sola, est Sacrificium.

An etiam quod offertur nomine Ecclesiæ

46. Si autem à me quæritur, unde sciam, quòd Ecclesiæ

Ecclesia prohibeat Sacerdoti offerre Sacrificium pro excommunicatis in persona Christi. Respondeo citiùs: quia etiam sub illa ratione est minister publicus, & dici potest minister Ecclesiæ, hoc respectu, quia est datus à Christo Ecclesiæ, ut Sacrificium pro illa offerat, & inter Deum & ipsam intercedat in persona Christi.

Ecclesia prohibet Sacrificium offerri pro excommunicatis in persona Christi.

Quomodo etiam Sacerdos absolvens dici potest minister Ecclesiæ, id est, datus à Christo Ecclesiæ ad illud munus, quod ad communem utilitatem pertinet, quamvis in eo exercendo non gerat personam Ecclesiæ, sed Christi. Sicut ergo Ecclesia prohibet Sacerdoti, ne absolvat excommunicatum, quamvis illud ministerium faciat in persona Christi, ita prohibet ne pro excommunicato offerat in persona Christi; quia hoc totum est publicum ministerium Ecclesiæ, ad quam pertinet disponere de omnibus, quæ spectant ad convenientem usum ejus.

Sacerdos absolvens potest dici minister Ecclesiæ.

47. Nec te turbet, quod nuper vidi aliquem turbare; nimirum hoc argumentum: Ecclesia non potest præcipere actus merè internos; ergo non potest prohibere oblationem Sacrificii nomine Christi pro excõmunicatis non toleratis.

Ecclesia prohibet actum externum substinentem intentionem meritoriam internæ. Clement. 1. de Statu Monach.

Non, inquam, hoc argumentum te turbet: haud enim difficilem habet solutionem; puta, Ecclesiam posse prohibere actum externum, ut substat huic vel illi intentioni, alioquin merè internæ. Patet; quia de facto Clement. I. de Statu Monach. excommunicat Monachum, qui sine licentia Superioris confert se ad Curiam Regiam intentione accusandi Superiorem, de quo plura Sectione ultimâ conclus. 6.

48. Licitum est privatim pro excommunicatis orare,

Supereſt tertia pars Concluſionis, quæ facillimè probatur ex communi praxi & conſuetudine planè conſentanea Eccleſiaſticæ pietati. Enimverò ſi licet privatim orare pro Ethnicis & Publicanis, & quibuſcumq; infidelibus, quidni etiam pro excommunicatis? Fraterna charitas id videtur exigere. Hinc licitum eſt Sacerdoti, ut privata perſona eſt, orare in Miſſa pro excommunicato, ſcilicet in illis partibus Miſſæ, in quibus vel mentaliter orat, ut in *Memento*, vel occultè & ſecretè.

etiam Sacerdoti in Miſſa.

Probatur.

Ratio eſt; quia Sacerdos licèt miniſterium publicum exerceat, haud ideo deſinit eſſe perſona privata; nec tenetur toto illo tempore ita gerere munus publicum, ut nequeat tamquam perſona privata operari vel ſucceſſivis morulis, vel ſimul diverſâ intentione: ſicut ergo poteſt pro amicis, vel aliis privatim orare, ita etiam pro excommunicatis, dummodo eos nominatim non exprimat in Canone vel aliis orationibus publicis.

Confirmatur.

Confirmatur: oratio privata non eſt propriè communicatio cum illo, pro quo oratur; ſed quoddam opus miſericordiæ, ſeu ſpiritualis eleëmoſynæ, quæ ex bonis propriis & privatis non oſtenditur aliquo jure prohibita, præſertim quando fit per actum internum vel occultum, ita ut neceſſe non ſit in alterius notitiam devenire.

Dices etiam in *Memento* orat Sacerdos, ut miniſter publicus Eccleſiæ; nam in fine illius orationis ſubjungit: *Pro quibus tibi offerimus, vel, qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis*; quæ verba referuntur ad omnes, pro quibus in *Memento* oraverat.

49. Objectio.

Reſpondeo, referri ad eos, qui ſunt capaces illius oblationis, vel pro quibus ipſe in perſona Eccleſiæ oraverat. Cum quo tamen bene ſtat, quòd oraverit etiam pro aliis tamquam perſona privata; in nullo enim actu ſic gerit perſonam publicam, quin ſimul retineat perſonam privatam, adeòque licitè poſſit totum pium opus dicendi Miſſam, ſacrificandi, orandi, &c. per quod habet ſuum meritũ, vel ſatisfactionẽ, vel impetrationem ex opere operantis, poſſit, inquam, offerre privatâ intentione pro excommunicato: quin immò eidẽ applicare propriam & particularem ſatisfactionem ex opere operato ſibi provenientem ex Sacrificio, vel etiam ex Sacramento, ſi hic fructus aliis poſſit communicari (de quo inferiùs diſputo) & niſi aliquid aliud obſtet præter cenſuram; etenim aliunde ex prava diſpoſitione excommunicati poſſet eſſe impedimentum, ſcilicet ſi in peccato mortali ſit, præſertim quoad fructum ſatisfactionis, ut ex infrà dicendis patebit.

Solutio.

In omni oratione Miſſæ Sacerdos retinet perſonam privatam.

50. Aliqui putant Sacerdotem poſſe pro eis orare etiam oratione publicâ;

Cæterùm aliqui eò proceſſerunt, inquit Dicaſtillo diſp. 2. n. 69. ut dixerint pro excommunicatis etiam non toleratis poſſe Sacerdotem orare oratione publicâ & nomine Eccleſiæ, Miſſaſq; offerre & ſuffragia, dummodo tantùm id faciat generaliter pro excommunicatis, aut Hæreticis, non nominando aliquem in particulari, nec orando pro illo in particulari. Ita Sylveſter verb. Excommunicatio 1. n. 2. & verb. Miſſa 1. q. 8. puncto 4. Hoſtienſis & Summa Confeſſorum, quos ipſe citat. Item Tabiena verb. Excommunicatio 1. §. 4. & Armilla n. 9. (alioſque refert Avila pro hac opinione; qui tamen id non dicunt) ſed cujuſcumque ſit, multis videtur, & meritò opinio improbabilis, utpote contra Pontificis definitionem cap. 91. *Si quis Epiſcopus* 11. q. 3. ubi dicitur non eſſe obediendum Epiſcopo præcipienti cantare Miſſas pro Hæreticis. Hucuſque Dicaſtillo.

Sylveſter. *Hoſtienſis.* *Tabiena.* *Armilla.*

ſed multis apparet hæc opinio improbabilis, *Dicaſtillo.*

Sed advertere debuiſſet, de quibus Hæreticis Papa loquatur. Numquid de vivis? Gratianus refert Decretum Eutychiani ſub hiſce verbis: *Si quis Epiſcopus aut Abbas Presbytero aut Monacho ſuo iuſſerit Miſſas pro Hæretico cantare, non licet, & non expedit obedire eis.* Cæteri Collectores ad ly *Hæretici*, addunt, *mortuis*, quam vocem hic Auctor Gloſſæ ſupplevit dicens: *Pro Hæreticis mortuis, quod non licet ſpeciali oratione ut* 13. q. 2. Non æſtimemus; *ſed pro vivis Hæreticis, & aliis malis etiam ſpeciali oratione licitum eſt orare, ut* 13. q. 2. Pro obeuntibus: *ſed generali oratione pro omnibus defunctis licitum eſt orare, ut de Pœnitentia diſt.* 2. Falſas, *&* 24. q. 3. *Corripiantur.* Hæc Gloſſa.

51. Explicatur Decretum Eutychiani Papæ.

Equidem Eccleſia non ſolet offerre pro vi-

vis Sacrificium, nominando aliquem in particulari, præter Pontificem & loci Ordinarium, Imperatores, Reges, & Principes. Et quid refert illa suppressio nominum in particulari, si alioquin excommunicati sint capaces totius fructûs Sacrificii tam ex parte Sacerdotis, quàm universalis Ecclesiæ? Frustra ergo videretur, vel certè parùm utilis illa privatio communium suffragiorum.

Objectio solvitur.

Si dixeris; Ecclesia orat pro Hæreticis in die Parasceves. Respondeo, Ecclesiam secum pro illa die dispensare: pro aliis diebus non constat.

§2. Dicastillo. Quid si constet de resipiscentia excommunicati?

Notat Dicastillo n. 77. cum aliis, quos citat, non videri improbabile, si constet de resipiscentia excommunicati, posse offerri Missam, vel communia suffragia pro illo, dummodo præcaveatur scandalum: quia præsumi, inquit, potest quòd pia mater Ecclesia (sicut neque ipse Deus) non punit in spiritualibus, nisi contumaces & impœnitentes.

Contrà; Ecclesia expressè declarat contrarium cap. *A nobis*, & cap. *Sacris* de Sent. excom. Vide suprà. Et certè quod aliàs periculum scandali, si illa est mens Ecclesiæ? Intellige, quando excommunicatio est publica, de hac enim jura loquuntur; alioquin quando est occulta, & non potest absque nota impetrari absolutio defuncti, non videtur Ecclesia velle ipsum privare communibus suffragiis.

Sed hæc satis de excommunicatis non toleratis; de toleratis autem dico:

CONCLUSIO IV.

Probabile est quòd liceat offerre Sacrificium nomine Ecclesiæ pro excommunicatis toleratis.

§3. Probatio Conclus. ex Cone. Basil. Lugo. Suarez.

ITa Cardinalis Lugo disp. 19. n. 187. cum aliis quos citat contra Suarium disp. 9. de Censuris sect. 2. num. 17. & sequentibus. Ratio Conclusionis desumitur ex Constitutione Concilii Basileensis sess. 20. ad finem, ubi sic legitur: *Ad vitanda scandala & multa pericula, subveniendumq; conscientijs timoratis, statuit etiam, quòd nemo deinceps à communione alicuius in Sacramentorum administratione vel receptione, aut alijs quibuscumque divinis, vel extra, prætextu cuiuscumque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine vel à iure generaliter promulgatæ teneatur abstinere vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio vel censura huiusmodi fuerit in vel contra personam, collegium, Vniversitatem, Ecclesiam, aut locum certum, aut certam à iudice publicata, vel denuntiata specialiter, & expressè, aut si aliquem ita notoriè excommunicationis sententiam constituerit incidisse, quòd nullâ possit tergiversatione celari, aut aliquo modo iuris suffragio excusari. Nam à communione illius abstineri vult iuxta Canonicas sanctiones. Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.* Hactenus Concilium.

Ex quo sic argumentor: Extravagans illa (postmodum per universalem Ecclesiam recepta) permittit communicationem cum ejusmodi excommunicatis in quibuscumque divinis vel extra: ergo permittit pro ipsis offerri Sacrificium.

§4. Responsio Adversarii. Extravagans non loquitur de communicatione externa.

Respondent Adversarii Negando Consequentiam; quia verba, inquiunt, Extravagantis juxta planum contextum intelligenda sunt de communicatione in divinis Officiis; ut in audienda Missa, & in Horis Canonicis publicè recitandis; nam ibi sermo est de hac communicatione externa, non autem de interna per Sacrificium Missæ aut publicas preces.

Probatur & confirmatur ex ejus fundamentali ratione.

Quod colligunt, & confirmant ex fundamentali ratione istius Constitutionis, scilicet *Ad vitanda scandala & multa pericula, subveniendumq; conscientijs timoratis:* nam ad hos fines neque necessarium, neque utile erat concedere hanc internam communicationem cum excommunicatis. Quia quatenus interior est, invisibilis est, quatenus verò fit per actiones exteriores, semper pendet ex interiori intentione & applicatione, quæ semper potest sine periculo & scandalo fieri pro membris Ecclesiæ ab ea non præcisis, & in particulari fieri potest pro quolibet, de quo non constat excommunicatum esse; vel si dubium sit, subintelligi potest & debet conditio, *si ab Ecclesia non sit præcisus*: quòd si certò constet illum esse excommunicatum, nihil periculi vel scandali esse potest in non applicandis illis suffragiis communibus per intentionem particularem. Nec pertinet per se loquendo ad favorem & utilitatem ministri offerentis, vel ad conscientiæ securitatem, ut id facere possit: ergo verosimile non est hoc fuisse in illa Extravagante concessum.

§5. Solvuntur illationes per vocem incivilem.

Quòd si in his suffragiis communibus consideremus exteriorem applicationem, quæ in particulari fieri solet, orando nominatim pro aliquo per orationem communem Ecclesiæ in Missa vel Officio publico, hoc etiam modo non pertinet ad scandala vitanda, ut id fieri possit pro quolibet excommunicato in ea Extravagante non excepto; quin potiùs esset scandalum publicum illo modo orare pro publico Hæretico, vel alio simili, etiamsi nominatim declaratus vel nominatus non sit per sententiam specialem.

Sed contrà primò; quæ major ratio scandali in Sacrificio pro excommunicato, quàm in sepultura, dummodo constet Ecclesiam utrum-

Prima. Suarez. utrumque permittere? Et tamen secundùm Suarium disp. 12. de Censuris sect. 4. n. 5. sepultura licet. Hæc autem nonne peragitur sine publicis precibus pro anima defuncti? Contrarium est evidens. Quòd si per accidens oriretur scandalum sive ex Sacrificio, sive ex sepultura, quis dubitat, per accidens utrumque fore illicitum?

Secunda. Secundò, ut fatentur Adversarii, licet cum hujusmodi excommunicatis communicare in audienda Missa & Horis Canonicis recitandis: ergo etiam publicè pro ipsis orare. Patet Consequentia; quia in Missa nomine Ecclesiæ oratur pro omnibus circumstantibus, tum in *Memento* in illis verbis: *Et omnium circumstantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium* &c. tum in aliis orationibus.

56. Tertiò. Scio responderi posset, orari pro omnibus circumstantibus, ab Ecclesia non præcisis, & ideo interrogo: quid si hujusmodi excommunicatus admitteretur ad cantandum Evangelium, putas, quia Sacerdos non posset orare & dicere: *Dominus sit in corde tuo & in labijs tuis* &c? Quid si daret ipsi Communionem, an omittere deberet illa verba: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam*?

Similiter dum recitat cum ipso divinum Officium, indubiè potest dicere: *Misereatur tui omnipotens Deus* &c. Sic etiam legendo cum ipso Litanias non dicit, *Ora pro me*, sed, *Ora pro nobis*; *libera nos Domine*; *Te rogamus audi nos*; in quibus verbis, sicut conjungimus orationem, sic etiam petimus quòd omnes audiamur, & impetremus. Ergo singuli orant pro sociis simul orantibus: ergo non potuit permitti communicatio cum excommunicatis in oratione, quæ tamen permittitur, quin concederetur orare pro illis.

Si autem orari potest nomine Ecclesiæ, & fructus, qui ex ejusdem Ecclesiæ voluntate provenit, ipsis applicari, quidni etiam nomine Ecclesiæ pro ipsis liceat sacrificare, & fructum, ex ejusdem Ecclesiæ voluntate provenientem, applicare? Certè non video disparitatem.

57. Proponitur sententia Propositi cum suo fundamento. Docet Propositus q. 2. de Excommunicatione n. 35. pro similibus licitè offerri Sacrificium; secùs communia Ecclesiæ suffragia. Fundatur; quia licèt Sacrificium dicatur, & sit commune bonum Ecclesiæ à Christo relictum: ita tamen relictum est, ut efficax applicatio fiat per ministrum offerentem in persona Christi, neque potest Ecclesia suâ prohibitione vel voluntate efficere, ut is fructum non percipiat, pro quo Sacerdos offert reipsâ, si non habeat aliunde impedimentum. Hæc ille.

Refutatur. Sed quid tum? Saltem potest prohibere. Potest, inquies, sed non censetur prohibuisse, quia ex concessione Ecclesiæ potest Sacerdos communicare cum tali excommunicato. Bene optimè! Quidni ergo nomine Ecclesiæ possit offerre? Quidni possit applicare fructum provenientem ex voluntate Ecclesiæ? Quidni possit offerre communia Ecclesiæ suffragia?

Quia, inquit Præpositus, Ecclesia nullum vult favorem præstare excommunicatis toleratis, ut patet ex postremis verbis Extravagantis: *Per hoc tamen* &c.

58. An Ecclesia per suam Extravag. faveat aliquo modo excommunicatis. Contrà; numquid favor est, quòd Sacerdos licitè possit applicare fructum Sacrificii ex persona Christi, quòd aliàs faceret illicitè? Quis dubitat? Quis enim volet offerre pro excommunicato, & peccare? Igitur Ecclesia licèt per suam constitutionem non intendat excommunicatis quomodolibet suffragari per se & directè, attamen indirectè & ex consequenti, hoc ipso, quo concedit aliis facultatem cum iis communicandi, debet his vicissim aliquam facultatem concedere. Nonne excommunicatus ad petitionem meam licitè administrat Sacramenta? Planè, & nemo ambigit, quin illa administratio seu facultas administrandi sit aliquis favor.

59. Tales excommunicati non possunt ultrò petere Missam, aut publicas preces. Cæterùm sicut non potest se ingerere administrationi Sacramentorum, ita nec publicis orationibus, aut Missæ Sacrificio, eidem assistendo, vel petendo, aut stipendium offerendo. Sin autem alii pro ipso petant, & stipendium offerant, nunquid poterit Sacerdos acceptare? Quæ ratio dubitandi, cùm in omnibus tam sacris, quàm profanis possit communicare cum illo, pro quo Sacrificium petitur? Acceptet ergo: ecce jam obligatur ad Sacrificium offerendum non tantùm exteriùs, sed etiam interiùs per applicationem fructûs, alioquin committeret deceptionem, à simplicitate Ecclesiæ omnino alienam, & sacris personis indignam.

Igitur ad evitanda scandala & pericula, & subveniendum timoratis conscientiis, necessarium & utile erat concedere hanc internam communicationem cum excommunicatis. Et ita responsum est ad principale argumentum contrariæ sententiæ.

60. An Conc. voluerit negare communicationem in casibus in quibus cessant scandala &c. Adde, etsi Concilium ad evitanda scandala & periculaCommunionem concedat, nullo tamen modo velle eam negare in casibus, in quibus fortè ea incommoda cessant: nam concessio est generalis, & favores sunt ampliandi, & aliàs non satisfecisset timoratis conscientiis, quæ semper fuissent solicitæ, an fortè in hoc vel illo casu, talia incommoda per se cessarent, atque ita communicatio esset licita.

Nonne sæpiùs aliquid prohibetur ad evitandum scandalum, quod communiter intervenit, & tamen cessante scandalo in casu particulari non ideo cessat lex? Ergo similiter, estò in casu particulari cessaret scandalum, quod natum est oriri ex tam generali prohibitione communicationis cum excommunicatis, adhuc minimè cessabit lex concedens illam comunicationem.

Dices; orare vel sacrificari pro ex communi- 61. Objectio.

nicato, non est communicare cum illo, sicuti orare cum excommunicato, vel coram illo; sed est effectus excommunicationis longè distinctus, pertinens ad privationē suffragiorum.

Responsio. Respondet Lugo disp. 19. n. 190. licèt strictè loquendo orare pro aliquo, vel offerre pro illo, non sit loqui cum illo, est tamen communicare cum illo, saltem in latiori significatione, sed verè Ecclesiasticâ. Sic enim loquitur Innocentius III. in cap. *A nobis* 28. de Sententia Excommunicationis; ubi propositæ sibi quæstioni, an excommunicatus, cum pœnitentiæ indiciis, sed absque absolutione mortuus, habendus sit pro absoluto, & pro eo offerenda sint suffragia? Respondet Pontifex, debere illum post mortem ritè absolvi à censura, & tunc offerenda pro ipso suffragia. *Nec obstat* (inquit) *quod legitur; non communicetur mortuo, cui non est communicatum & vivo: cùm etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset* &c.

Orare pro aliquo est communicare cum illo in latiori significatione.

Probatur à Lugone ex cap. *A nobis* de Sentent. Excom.

In quibus verbis apertè supponit illam oblationem pro mortuo & orationem publicâ esse quoddam genus communicationis; alioquin quorsum contra licentiâ offerendi suffragia objiceret, non licere communicare mortuis, quibus vivis communicare non licebat? Cui objectioni non respondit, negando illam esse communicationē, sed dicendo quòd licita erat, quia cōmunicandum illis fuisset, si viverent. Hæc Lugo.

62. Sed minùs efficaciter,

Sed (salvo meliori) non videtur hoc Pontifex objicere contra licentiam offerendi suffragia; sed magis contra beneficium absolutionis defuncto impendendum. Ostendo ex præcedentibus & sequentibus. Siquidem objectioni illi immediatè præmittitur: *Potest tamen & debet ei Ecclesiæ beneficio subveniri, ut si de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. Nec obstat quòd Ecclesiæ legitur attributa potestas ligandi atque solvendi homines super terram, tamquam non possit solvere & ligare sub terra sepultos: & quod legitur non communicetur mortuo* (scilicet per absolutionem) *cui non est communicatum & vivo: cùm etsi communicatum non fuerit, communicandum tamen illi fuisset* (per absolutionem) *quem non contemptus Religionis, sed necessitatis articulus impedivit, & in certis casibus à Canonibus denotatis, ligasse legatur Ecclesia mortuos & solvisse.* Et statim subjungitur: *Vt autem in uno pariter & eodem negotio, & servemus rigorem, & mansuetudinem ostendamus, statuimus ut illius mortui absolutio à Sede Apostolica requiratur, qui cùm viveret ab ea fuerat absolvendus.* Et verò quis dubitet absolutionem à censuris esse veram & propriè dictam communicationem?

ut & ipsismet verbis Canonis ostenditur;

63. Ideoque aliter probatur

Ideo additur alia probatio ex cap. *Sacris* 12. de Sepulturis. Ubi Innocentius III. scribens Archiepiscopo Nidrosiensi, sepulturam excommunicati vocat communicationem (licèt in rigore non sit) quia videtur significare unionem aliquam cum illo, cujus cadaver admittitur ad commune sepulchrum. *Sacris*, inquit Pontifex, *est Canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis, & ut careant Ecclesiasticâ sepulturâ, qui priùs erant ab Ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint.* ex cap. Sacris 12. de Sepulturis.

Ergo similiter nomine *communicationis*, quam Concilium permittit cum toleratis, possumus intelligere applicationem suffragiorum, quæ non minùs significat unionem nostram cum illis, quàm sepultura. Profectò ob hanc applicationem & participationem dicitur in Ecclesia esse communio Sanctorum.

64. In hac fi. multa conjungunt orare pro aliquo publicè & offerre oblationes ab eo pro eo.

Unde Ecclesia cap. *Sacris*, & cap. *A nobis* de Sententia excommunicationis hæc duo simul conjungit, scilicet pro aliquo publicè orare, & recipere oblationes ab eo, vel pro eo factas. Vide suprà. Et utrumque permittit, aut prohibet.

Etenim hoc ipso, quo Ecclesia recipit oblationes, significat se eum facere participem suorum suffragiorum, quod nullo modo convenit eam fictè facere: constat autem talem receptionem esse apertam quandam communicationem in divinis officiis: ergo cùm generatim omnis talis communicatio concedatur, etiam illa receptio conceditur, & consequenter ut oretur publicè pro talibus excommunicatis.

Hæc recepti. o eſt communicatio in divinis.

65. Oratio publica non consistit in solo actu interno.

Quæ certè oratio publica, etsi ut ritè fiat requirat actum internum, non tamen in eo solo consistit: siquidem est oblatio divini Officii vel Sacrificii, quæ in actu externo consistunt, & in quibus censentur omnes communicare, qui iis quâcumque ratione cooperantur.

Conferatur hic verbis D. Prosperi.

Et hæc quidem de suffragiis vivorum, quæ libet concludere verbis Divi Prosperi lib. 1. de Vocat. Gentium cap. 4. aliàs 12. *Præcepit Apostolus, imò per Apostolum Dominus, qui loquebatur in Apostolo*, fieri obsecrationes & postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, ac pro his, qui in sublimitate sunt. *Quam legem supplicationis ita omnium Sacerdotum, & omnium fidelium devotio concorditer tenet, ut nulla pars mundi sit, in qua hujusmodi orationes non celebrentur à populis Christianis. Supplicat ergo ubique Ecclesia Deo non solùm pro sanctis, & in Christo iam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus, & inimicis crucis Christi, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus, qui Christum in membris ipsius persequuntur, pro Iudæis quorum cæcitati lumen Euangelii non refulget, pro hæreticis & schismaticis, qui ab unitate fidei, & charitatis absunt. Quid autem pro istis petit, nisi ut relictis erroribus suis convertantur ad Deum, accipiant fidem, accipiant charitatem; & de ignorantia tenebris liberati, in agnitionem veniant veritatis?*

Sed nunquid eadem est ratio mortuorum? Mortui in triplici sunt differentiâ, nimirum Beati,

Beati, damnati, & inter illos medii existentes in Purgatorio. De Beatis erit

CONCLVSIO V.

Potest aliquo modo offerri Sacrificium pro Beatis.

66. Offertur Sacrificium pro Beatis, quatenus est gratiarum actio.

QVæris, quis sit ille modus? Respondeo, Sacrificium offerri potest pro Beatis, non quatenus est propitiatorium vel satisfactorium; sunt enim Beati expertes & omnino incapaces omnis culpæ & pœnæ; sed quatenus est gratiarum actio pro gloria ipsis à Deo concessa.

Probatur ex Tridentino.

Probatur ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 3. ibi: *Et quamvis in honorem & memoriam Sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis Sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit; unde nec Sacerdos dicere solet*, Offero tibi Sacrificium Petre, vel Paule, *sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat; ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam facimus in terris.*

67. Unde confestat D. Augustinus,

Unde graphicè Divus Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 10. *Nos* (inquit) *Martyribus nostris non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt Spiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus Martyribus, sed uni Deo, & Martyrum, & nostro Sacrificium immolamus: ad quod Sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione vicerunt, suo loco & ordine nominantur: non tamen à Sacerdote, qui sacrificat, invocantur* (scilicet ut auctores salutis) *Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamvis in memoria sacrificet eorum: quia Dei Sacerdos est, non illorum.* Similiter loquuntur alii Sancti Patres.

aliique Patres.

Ex quo profectò liquet impudens error Hæreticorum, causantium in hoc nos Idololatriæ genus committere.

68. Objectio solvitur.

Si dixeris; ille modus offerendi est improprius. Esto, equidem gratissimus Deo, & ipsis Sanctis: Sacrificium enim sanctum est & accomodatissimum ad agendum Deo gratias pro beneficiis ab illo acceptis, cùmque Sancti per se nequeant illud offerre, summè exoptant, ut ab aliis pro ipsis offeratur, id est, loco ipsorum.

69. Alio etiam modo pro ipsis sacrificatur,

Quamquam & alio modo Sacrificium pro Sanctis possit offerri, scilicet quatenus est impetratorium ipsis gloriæ & honoris accidentalis, juxta illa verba Missæ in oblatione, quam facimus immediatè post lotionem manuum: *Ut illis* (omnibus Sanctis) *proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem.* Additur: *Et illi pro nobis intercedere dignentur in cælis, quorum memoriam agimus in terris.*

ut patet ex verbis Missæ,

Hinc Concilium Tridentinum sess. 22. can. 5. *Si quis dixerit impostcrum esse Missas celebrare in honorem Sanctorum, & pro illorum intercessione apud Deum obtinendâ, sicut Ecclesia intendit, anathema sit.* Trident.

Hanc doctrinam disertis verbis tradidit Innocentius III. in cap. *Cùm Marthæ* de Celeb. Missarum. Ubi requisitus, quare fuerit mutatum; quod in Secreta B. Leonis secundùm antiquiores codices continetur, sic videlicet: *Annue nobis Domine; ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio*; cùm in modernis Sacramentariis habeatur: *Annue nobis quæsumus Domine, ut intercessione B. Leonis hæc nobis prosit oblatio.* 70. quem & tradidit Innocent. III. cap. *Cùm Marthæ*,

Respondet Pontifex: *Quod cùm Sacræ Scripturæ dicat auctoritas; quòd iniuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre: idem est ratione consimili de aliis Sanctis sentiendum; quia orationibus nostris non indigent, pro eo quòd cùm sint perfectè Beati, omnia eis ad vota succedunt. Sed nos potiùs orationibus eorum indigemus, quos* (cùm miseri simus) *undique mala nostra perturbant: unde quod in plerisque orationibus continetur:* Prosit vel proficiat huic Sancto vel illi talis oblatio ad gloriam & honorem, *ità debet intelligi, ut ad hoc prosit, quòd magis ac magis à fidelibus glorificetur in terris.*

Glorificatio SS. in terris est nostra utilitas.

Quod utique nostra est utilitas & commoditas, quamvis in Sanctorum gloriam redundet: sicut in Oratione Dominica petimus: *Sanctificetur nomen tuum; adveniat regnum tuum; fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra:* & possemus Sacrificium offerre ad hæc omnia impetranda, nec tamen propterea propriè diceremur orare, aut offerre Sacrificium pro Deo, sed pro nobis, ut glorificemus Deum.

71. Sanctorum gloria usque ad judicium augmentatur.

Interim continuò attexit Innocentius: *Licet plerique reputent non indignum, Sanctorum gloriam usque ad iudicium augmentari: & ideo Ecclesiam interim sanè posse augmentum glorificationis eorum optare.* Glorificationis, inquam, intrinsecæ ipsis Sanctis, quæ consistit in illuminationibus & gaudiis accidentalibus.

Ex quo alicui videri posset, etiam propriè omnino pro Sanctis posse offerri Sacrificium, scilicet ad impetrandam ipsis illam intrinsecam accidentalem gloriam.

Hoc augmentum secundùm Suarez indirectè petimus:

Dicendum est, inquit Suarez disput. 78. sect. 3. directè nos nunquam petere Sanctis hanc gloriam accidentalem, sed vel indirectè, quatenus ex nostris actibus redundare potest: tam hæc vicissitudo gloriæ accidentalis semper creditur oriri ex his, quæ in Ecclesia militante fiunt, ideoque solùm usque ad diem judicii esse duraturam: vel certè, si aliunde etiam oriri potest, habet in singulis Beatis suam certam legem, stabilem, & independentem ab orationibus nostris, & ideo ad nos non pertinet pro eis orare, quantùm ad augmentum hujus gloriæ: propriè igitur loquendo hoc Sacrificium non offertur pro San-

ctis, nisi in quantùm aliquo modo offertur pro nobis, ex quorum actibus honor aliquis aut accidentalis gloria in Sanctis redundat.

72. quidni etiam directè possit peti?

Verumenimverò si Sancti ipsi directè orant pro gloria corporum suorum, ut videtur Suarez admittere lib. 1. de Oratione in communi cap. 11. n. 11. quidni etiam & nos possimus orare? An fortè illa gloria habet in Beatis suam certam legem, stabilem & independentem ab orationibus nostris; dependentem autem ab orationibus proprijs? Gratis asseritur illa differentia.

Præterea eodem libro cap. 14. nu. 6. considerat Suarius quamdam differentiam inter extrinsecam gloriam Dei ex una parte, & Sanctorum ex altera; quia, inquit, Deo ex gloria extrinseca nihil intrinsecum accrescit, neque utilitas aliqua, nec commoditas, aut voluptas, sed sola extrinseca denominatio. At verò Sanctis, etiam Christi humanitati, ex gloria seu claritate extrinseca, semper nascitur aliqua intrinseca perfectio, saltem actuale gaudium actidentale.

Non potest propriè dici nos orare pro Deo,

Unde fit ut tota utilitas vel commoditas illius extrinsecæ gloriæ Dei, sit propria illorum hominum vel Angelorum, qui ipsum glorificant, ac propterea quando petimus, ut glorificetur Deus, propriè dicimur orare propter Deum, quia illa petitio tendit in ipsum ut in finem, vel ad summum ut in objectum illius gloriæ, non tamen dici potest cum proprietate nos orare pro Deo; quia propriè dicimur orare pro aliquo, quando per orationem illius commodum vel utilitatem quærimus.

secùs pro Sanctis.

Respectu verò Sanctorum non habet absurditatem illa locutio; quia ex illa gloria aliquid commodi in illos redundat. Præsertim quia non tantùm gloriam extrinsecam, sed etiam aliqua gaudia accidentalia per peculiares revelationes possumus illis postulare. Hæc Suarius. Ergo secundùm ipsum propriè possumus orare pro Sanctis: ergo etiam propriè sacrificare.

Interim bene monet hanc locutionem non esse extendendam, nec facilè apud vulgus promulgandam: nam nos indigemus suffragiis Sanctorum; illi verò non indigent nostris (ut superiùs audivimus ex Innocentio III. cap. *Cùm Marthæ* de Celebr. Missarum) nempe ad impetrandum eis liberationem à malis, vel alia bona, præter honorem & gloriam accidentalem.

73. Quod de Beatis, idem dicito de pueris baptizatis ante usum rationis mortuis.

Atque hæc dicta sint de illis, quos certò scimus esse Beatos, inter quos computantur pueri baptizati defuncti ante usum rationis; unde non potest sine peccato hujusmodi pueris Missa applicari, nec est oratio posita ab Ecclesia pro illis dicenda; sed debet dici Missa in gratiarum actionem, & in honorem eorum, & fructus principalis Missæ applicandus est animabus Purgatorii in communi, vel alicui in particulari, aut certè fidelibus vivis, aliquin thesauro Ecclesiæ adjungetur.

Ratio est manifesta; quia vel verè baptizati sunt, & sic nemo Catholicè potest dubitare de eorum beatitudine, tametsi propter aliquam incertitudinem Baptismi, & alias rationes publicè non colantur tamquam Sancti: vel Baptismus fuit invalidus, defectu fortè intentionis Ministri, aut debitæ materiæ vel formæ, & tunc eadem istorum puerorum est ratio, quæ damnatorum, de quibus nunc disputo, & dico:

CONCLUSIO VI.

Sacrificium nullo modo potest offerri pro Damnatis. Ritè offertur pro animabus in Purgatorio existentibus.

74. Pro damnatis nullo modo offertur Sacrificium, sive sit.

AD quid enim offerretur pro damnatis, cùm in inferno nulla sit redemptio, nulla satisfactio, nulla propitiatio? *Et egredientur* (inquit Dominus Isaiæ ultimo versu ultimo) *& videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Matth. 25. v. 41. *Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* Omitto innumeras alias Scripturas, quæ concorditer docent supplicium omnium damnatorum fore perpetuum.

Mark. 9. eò quòd eorum supplicium sit perpetuum.

75. ut definitum est in Concil. Lateranensi.

Quam proinde veritatem definivit Concilium Lateranense, ut refertur in cap. *Firmiter* de summa Trinitate his verbis: *Ascendit* (Christus) *pariter in utroque* (animâ, & corpore) *venturus in fine sæculi, judicaturus vivos & mortuos, & redditurus singulis secundùm opera sua, tam reprobis, quàm electis, qui omnes cum suis propriis resurgent corporibus, quæ nunc gestant, ut recipiant secundùm opera sua, sive bona fuerint sive mala: illi cum Diabolo pœnam perpetuam, & isti cum Christo gloriam sempiternam.*

& supponitur in Trid. decreto.

Eamque supponit Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 14. dum ait; pœnam æternam mortali debitam remitti in justificatione ibi: *Non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramenti, vel Sacramenti voto una cum culpa remittitur.* Ibidem can. 30. *Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis &c. anathema sit.*

76. Contrarium non docuit Origines, sed Augustinus in Hæresibus.

Contrarium errorem docuit Origines, ut testatur Divus Augustinus lib. de Hæresibus cap. 43. dicens: *Sunt & alia Originis dogmata, quæ Catholica Ecclesia omninò non recepit, in quibus nec ipsum falsò arguit, nec potest ab eius defensoribus excusari, maximè de purgatione & liberatione,*

tione, ac rursum post longum tempus ad eadem mala revolutione rationabilis universa creatura. Quis enim Catholicus Christianus, vel doctus vel indoctus non vehementer exhorreat, eam, quam dicit purgationem malorum, id est, etiam eos, qui hanc vitam in flagitiis & facinoribus, & sacrilegiis, atque impietatibus quàmlibet maximis finierunt: ipsum etiam postremò Diabolum, atque Angelos eius, quamvis post longissima tempora purgatos atque liberatos, regno Dei luciq; restitui, & rursus post longissima tempora omnes, qui liberati sunt, ad hæc mala denuò relabi, & reverti, & has vices alternantes beatitudinum, & miseriarum rationalis creatura semper fuisse, semper fore? De qua vanissima impietate adversùs Philosophos, à quibus ista didicit Origenes, in libris de Civitate Dei diligentissimè disputavi. Hactenus Augustinus, qui unus pro mille nobis semper erit. Vide ipsum lib. 21. de Civit. à cap. 17. usque ad finem.

77. qui alibi aliorum refert opiniones,

Et quidem cap. 17. refert opinionem dicentium, quòd omnes omnino homines mali, post pœnas aliquamdiu perpessas, forent salvandi. Cap. 18. refert aliquos sensisse, quòd in die judicii omnes homines forent salvandi intercessione Sanctorum. Cap. 19. ait aliquos spem liberationis solùm tribuisse iis, qui baptizati erant tam Hæreticis, quàm Catholicis. Cap. 20. ponit opinionem asserentium, omnes illos tandem esse salvandos, qui in Ecclesia Catholica baptizati sunt, etsi post prolabantur in hæresim vel idololatriam. Cap. 21. refert aliquos sensisse, omnes eos esse salvandos, qui in Ecclesia Catholica permanserint, quomodolibet vitam egerint. Cap. 22. exprimit opinionem dicentium, illos solos esse damnandos, qui pro peccatis suis eleëmosynas facere negligunt, illos autem, qui eas fecerint, quantumlibet in peccatis suis perseveraverint, tandem esse salvandos. Contra has omnes hæreses disputat à Cap. 23. usque ad finem libri.

contra quas disputat.

78. Nobis sufficiat Scriptura Matth. 25. & Apoc. 20.

Nobis sufficiat Scriptura Sacra Matth. 25. suprà allegata, & alia Apoc. 20. v. 9. & 10. *Et descendit ignis à Deo de cælo & devoravit eos: & Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, ubi & bestia & pseudopropheta cruciabuntur die & nocte in sæcula sæculorum.*

Quem locum exponens Divus Augustinus suprà cap. 23. inquit: *Quod ibi* (Matth. 25.) *dictum est æternum, hic dictum est in sæcula sæculorum. Quibus verbis nihil Scriptura divina significare consuevit, nisi quòd finem non habet temporis.*

79. Quidam Catholici putant quosdam damnatos extraordinariè liberari,

Interim non desunt Catholici, qui contendunt quosdam damnatos per extraordinariam Dei misericordiam ab inferno liberari, eos videlicet, qui in peccato mortali defuncti, & proinde jam damnati, postea à mortuis miraculosè suscitati sunt, & salvati.

Pro exemplo autem adducunt, quod Sanctus Gregorius lib. 5. Dialog. capite ultimo scribit, quemdam à Sancto Severo Presbytero suscitatum, qui jam à valde tetris hominibus, ut inquit, & ignem spirantibus (id est, à Dæmonibus) ducebatur. Sic etiam filius Sempronii Præfecti, qui Sanctam Agnetem violare tentarat, illiusque orationibus fuit suscitatus (ut Sanctus Maximus narrat Serm. 2. de Sancta Agnete) procul dubio fuerat in inferno.

allegantes quædam exempla relata à Gregorio;

Accedat historia de salvatione Traiani Imperatoris per preces Sancti Gregorii: sed eam ut falsissimam hodie omnes Docti respuunt, & inter cæteros Baronius agens de Sancto Gregorio in suis Annalibus.

Damasceno,

Adduci etiam posset exemplum Falconillæ ethnicæ fœminæ, quæ apud Damascenum (ubi etiam invenitur historia Traiani) dicitur per Sanctam Teclam virginem ab inferno esse liberatam: quamquam & hoc exemplum modò à plerisque rejiciatur.

80. & Augustino.

Refert quoque Augustinus lib. 3. de Origine animæ cap. 9. Sanctam Perpetuam fratri suo Dinocrati, in infidelitate mortuo, impetrasse salutem. Refert, inquam, equidem non agnoscens veritatem historiæ; sed magis fidem ejus elevans, dum ad argumentum de eo sibi ab Adversario objectum respondet: *Dinocrates* (inquit) *septennis puer, in quibus annis pueri cùm baptizantur, iam symbolum reddunt, & pro se ipsi ad interrogata respondent, cur non tibi visus fuerit baptizatus, potuisse ab impio Patre ad Gentilium sacrilegia revocari, & ob hoc fuisse in pœnis, de quibus, sorore orante, liberatus est, nescio. Neque enim & ipsum vel nunquam fuisse Christianum, vel Catechumenum defunctum fuisse legisti: quamquam ipsa lectio* (totius historiæ) *non sit in eo canone Scripturarum, unde in huiusmodi quæstionibus testimonia proferenda sunt.*

Quid vobis videtur? Nonne eisdem verbis, & meritò, responderi posset ad cæteras historias? *Ipsa lectio non est in eo canone Scripturarum, unde in huiusmodi quæstionibus testimonia proferenda sunt.*

81. Discursus Caramuelis de veritate exemplorum.

Caramuel Theologiæ fundamentalis (primæ editionis) n. 1619. postquam retulisset duo exempla, quibus Diana nititur probare, Horas canonicas privatim esse legendas statis temporibus per diem; sic inquit: Multa occurrunt, quæ respondere possem, sed antequam meum sensum exprimam, licebit mihi recensere quæ Salmanticæ audivimus à viro doctissimo & gravi, cujus nomen proferre videbitur supervacaneum, cùm Salmanticenses hâc expressione non indigeant, nec illa cæteris prodesse possit.

Jussus fuerat quadragesimalibus Dominicis post prandium juxta piam loci consuetudinem bina exempla, alterum ad commendationem virtutis, alterum ad vitii oppositi execrationem declamare. Fortè erat in altiore dignitate, quàm illi, qui annis elapsis proposuerant exempla. Quid scio? Ipse autem aut ex impatientia, aut ex sinceritate in Quinquagesima

ante

ante initium concionis sic dixit: *In nostro templo diebus Dominicis concionabitur talis: feria 4. & 6. talis, & talis. Et Ego hora 2. post meridiem illa mendaciola, quæ vocamus exempla. Dignentur universi confluere, sum enim inventurus & declamaturus pulcherrima.*

Risu leporem celebravimus, censuimusque excessisse quoad modum, non tamen quoad substantiam omnino. Multa enim interdum leguntur omnino impossibilia, & cætera tantam habent auctoritatem, quantam sunt ab Auctoribus suis nactæ, qui nunquam, aut rarò dicunt: *Ego vidi*; sed *à Monialì, à Clerico, aut à Sacristâ audivi*: & bene scimus quanta fides aurito testimonio debeatur.

Legatur Surius, legatur Cæsarius, aliique, & notetur multas revelationes contradictorias circumferri (Sancta Brigitta dicitur didicisse à Deo Virginem esse sine culpa conceptam, Sanctamque Catharinam Senensem assertionem contrariam) cùm tamen certum sit à Deo non posse asserta contraria revelari.

cujus judicio non est Theologia revelationibus, sed illæ huic sunt accomodandæ.

Hinc patere videtur, non debere Theologiam Christianam resolutiones suas mutare aut alterare ob privatas, incertasque revelationes; sed istas potiùs fore ad resolutiones Theologicas, ut ad lydium lapidem examinandas. Hucusque Caramuel.

82. Sententia priùs allegata censetur erronea,

Quidquid ergo sit de historia Traiani, & aliis suprà commemoratis, licèt hæc sententia non videatur esse hæretica, tamen vix dubito, quin erronea sit, nisi commodè explicetur, & apertè ei contradicit Divus Augustinus suprà cap. ultimo, ibi: *Verum ista liberatio, quæ fit* (post hanc vitam) *sive suis quibusque orationibus, sive intercedentibus Sanctis, id agit ut in ignem quisque non mittatur æternum: non ut cùm fuerit missus, post quantumcumque tempus inde eruatur.*

nisi commodè explicetur.

Alioquin nemo damnatorum planè certus erit de æternitate suæ damnationis, & proinde nemo verè erit damnatus, cùm præcipua damnatorum pœna sit ipsa certitudo æternæ damnationis.

83. Objectio.

Nec dixeris, eos, qui post liberati sunt, scivisse se esse liberandos, alios autem scire se non esse liberandos; nam indè consequens foret, eos, qui de post liberati fuerunt, non verè fuisse in inferno, sed magìs in Purgatorio; quoniam Purgatorium in hoc essentialiter differt ab inferno, quod illic sit certa spes liberationis, hìc certa desperatio.

Solutio.

Alia objectio.

Nec dicat rursus quis, eos qui postea liberati sunt fuisse dubios de sua liberatione, quippe eo ipso, quo vidissent se non esse certos de æterna damnatione, scivissent se non esse verè damnatos, cùm alios omnes damnatos viderent de æternitate suæ damnationis certos, ideoque immenso odio Dei flagrantes.

Solvitur.

84. Respondetur ad historias.

Quid igitur ad historias in contrarium adductas? Dico tales resuscitandos nondum pœnis inferni fuisse addictos, Deo eorum judicium per extraordinariam providentiam differente; eosque solùm per imaginem quamdam, & non per veritatem cœpisse sentire statum & pœnas vitæ futuræ. Et quamvis erroneum non sit eos sensisse ignem infernalem ad eum modum quo ii, qui in Purgatorio sunt, eum sentiunt; tamen hoc nullatenus est credibile, sed planè putandum est, eorum animas in corpore, estò sine unione, vel juxta illud fuisse conservatas. Nec credo illas animas habuisse ullam intellectionem verè spiritualem, qualem habent aliæ animæ, quæ jam à corpore omnino recesserunt.

Idemque judico de animabus, quæ narrantur in statu bono hinc discessisse, & revocatæ dicuntur ad vitam, cùm jam inciperent frui felicitate vitæ futuræ, scilicet eas reverà non fuisse fruitas Deo, sed solùm fuisse, vel potiùs visas sibi fuisse in loco aliquo amœno. Si *Eccles. 11. cecident lignum* (inquit Ecclesiastes cap. 11. v. 3.) *ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*, id est, manebit.

Sed fortè dicet aliquis: estò nemo possit 85. sperare remissionem æterni supplicii; adeòque pro illa orare, aut Sacrificium offerre, quidni speret, & per consequens oret, aut sacrificet pro remissione pœnæ temporalis, quæ debetur peccato veniali etiam in inferno?

An possit offerri Sacrificium pro pœna debita peccato veniali in inferno?

Siquidem pœnam debitam veniali finiendam in inferno docet Scotus 4. dist. 21. q. 1. n. 6. ibi: *Dico ergo quòd peccato veniali sive hic sumendo, sive in inferno, sive alibi, non debetur nisi pœna temporalis, nec per se, nec per accidens: quia secundum se est talis offensa, quæ secundum se punitur per temporalem sufficientem.*

Nec est inconveniens pœnam debitam veniali habere terminum in inferno: quia & verè pœnitens primò, & partem pœnitentiæ impositæ expleus, & ante totam expletam recidivans in mortale, & in illo mortali decedens pro parte pœnitentiæ residua explenda solvet pœnam in inferno; sed non nisi temporalem, quia ex quo in remissione peccatorum primi commutabatur debitum pœnæ æternæ in debitum pœnæ temporalis, nunquam iste est debitor pro illis nisi pœnæ temporalis, & per consequens pœnâ totali solutâ, erit liber ab istis. Ita subtiliter, ut solet, Doctor Subtilis.

Et vellem videre, qui contrarium convinceret, etiam ex illis Auctoribus, qui hanc opinionem vocant omnino falsam. Sed de illa non est propositi nostri hìc disputare.

Suppono autem esse veram, & nihilominus 86. Respondeo pro remissione illius pœnæ temporalis nullatenus esse orandum aut sacrificandum. Ratio; quia damnati sunt indigni omni beneficio gratiæ aut remissionis: in inferno enim nulla est redemptio, sed judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.

In quibus casibus pœna temporalis remittatur.

Quod Christus, loquens in parabolis, expressit Matth. 5. v. 25. & 26. his verbis: *Esto con-*

Matth. 5. *consentiens adversario tuo citò dum es in via cum eo: ne forte tradat te adversarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies indè donec reddas novissimum quadrantem.*

Item 18. Similiter Matth. 18. v. 34. dicens: *Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus quoadusque redderet universum debitum.* Sequitur v. 35. *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

Ideoque nullus locus gratiæ pro damnatis; Ergo nullus est locus gratiæ pro damnatis, sed in propria persona & in eo loco, & per illa instrumenta solvere debent omnes pœnas, tam pro peccatis mortalibus, quàm venialibus. Et quoniam pœna peccati mortalis æterna, ideo in æternum non est solvenda: quia verò pœna peccati venialis temporalis, ut docet Scotus suprà, ideo in tempore solvitur.

87. Sanè haud inconveniens est, quòd quantum ad aliquid accidentale pœnæ inferni minuantur usque in diem judicii, sicuti accidentalis gloria Sanctorum augetur. Attamen diverso modo; nam quòd gloria Sanctorum augeatur nostris orationibus & Sacrificiis, opus est divinæ misericordiæ & liberalitatis; quòd verò pœnæ inferni minuantur, postulat rigor justitiæ: qui enim solvit quod debet, quid ampliùs justè ab eo potest exigi?

Quamquam de rigore justitiæ solvatur pœna temporalis, Fateor, potuisset Deus majorem pœnam infligere pro peccatis venialibus, quàm de facto infligit, ut proinde interveniat aliqua gratia ex meritis Christi in taxatione pœnæ; veruntamen in solutione pœnæ taxatæ nulla redemptio, nulla remissio, nulla misericordia vel liberalitas; sed traditur damnatus tortoribus quoadusque reddat universum debitum. Frustranea ergo est oratio, supervacaneum Sacrificium.

Et modò taxata, 88. Si autem à me quæritur, quomodo ergo oret Ecclesia in Missis defunctorum dicens: *Domine Iesu Christe Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu; libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum* &c.

Quomodo intelligendum Offertorium Missæ defunctorum. Prima explicatio. Respondeti potest primò, quòd Ecclesia oret pro animabus omnium fidelium defunctorum tamquam defunctorum, ut liberentur à Purgatorio, quod vocat nomine *tartari*, &, *oris leonis, profundi lacus, pœnarum inferni*, & *obscuri lacus*: sicuti Christus dicitur descendisse ad inferos, & ab inferis liberasse & eduxisse animas Sanctorum Patrum; cùm tamen illi non essent in inferno damnatorum, sed in loco etiam minùs profundo (utì multi docent) quàm illi, qui adhuc pœnas Purgatorii luebant.

Petit ergo Ecclesia ut animæ fidelium defunctorum liberentur ab eo carcere, ne absorbeat eas tartarus, & ne cadant in obscurum tenebrarum, id est, ne post oblationem hujus Sacrificii detineantur in illis locis tenebrosis.

Similiter explico quod dicitur in alia oratione: *Quia in te speravit, & credidit, non pœnas inferni sustineat, sed gaudia æterna possideat*, id est, non pœnas Purgatorii sustineat, quæ dicuntur inferni; tum quia ejusdem speciei cum pœnis inferni; tum quia in æternum duraturæ, id est, usque ad diem judicii: quemadmodum Christus dicitur Sacerdos in æternum, sumptâ æternitate pro duratione usque ad diem judicii, juxta illud Apostoli 1. Cor. 11. v. 26. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*, id est, usque ad diem judicii. 89. Quâ ratione pœnæ Purgatorii dicantur pœnæ inferni.

Alii sic explicant, ut Ecclesia oret Deum educere animas à Purgatorio, & ad cœlum transferre, ut in die universalis judicii evadant sententiam divinæ ultionis, & pœnæ æternæ à damnatis sustinendæ, gaudiaque æterna cum Beatis possideant. Unde ista oratio Ecclesiæ: *Absolve quæsumus Domine animas famulorum, famularumq; tuarum, & omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter Sanctos & electos tuos resuscitati respirent.* 90. Secunda explicatio.

Atque hæc erit secunda responsio ad verba Offertorii: *Domine Iesu Christe* &c. intelligendo infernum damnatorum, videlicet illam orationem deservire ad tempus univetsalis judicii.

Tertiò responderi posset; Ecclesiam considerare animas quasi egredientes de corpore, & quæ necdum sententiam mansionis suæ, aut loci, ad quem ire debent, acceperint; sic autem eas considerando, precatur ut liberentur de pœnis inferni damnatorum, ut liberentur de ore leonis, id est, ne tradantur ministris justitiæ & vindictæ divinæ, deducendæ ad locum pœnarum, sed absque eo, quòd in tenebrosis & pœnalibus Purgatorii locis patiantur diuturniorem remoram, *Signifer Sanctus Michaël repræsentet eas in lucem sanctam.* 91. Tertia explicatio.

Easdem quoque preces in Anniversariis defunctorum repetit sub simili consideratione; sicuti tempore Adventûs preces fundit, quasi Christus in carne venturus expectetur: *Emitte*, inquit, *Agnum Domine dominatorem terræ. Veni Domine noli tardere* &c. quæ sunt petitiones, si verba spectes; sed Ecclesia representat pristinum statum, estque sola approbatio, commemoratio, congratulatio, & expressio gaudii, eò quòd ita factum fuerit, & pius quidam affectus erga talem rem. 92. Quarta expositio.

Sic ergo pro animabus Purgatorii non petitur propriè quòd liberentur ab inferno damnatorum, certum enim est illas esse liberas; sed commemoratur, piè creditur, appetitur & recognoscitur illa liberatio tamquam effectus redemptionis Christi: & tales voces in hunc sensum dictæ piæ sunt & satisfactoriæ & suffragia quædam pro animabus.

Nullo autem modo orat Ecclesia, ut postquam jam defuncti sunt, non mittantur in infernum damnatorum; quia essent preces inutiles, imò perversæ, si intenderet aliquos per has liberare, aut damnationem impedire, nisi quis ex speciali Dei instinctu oraret pro suspensione sententiæ & revocatione ad vitam.

93. Objectio. Dices: ergo simili modo possum orare pro Beatis ut liberentur de pœnis inferni, scilicet in die judicii, vel commemorando seu repræsentando diem exitûs eorum, & agendo gratias Deo pro tanto beneficio ipsis collato.

Solutio. Respondeo; quod attinet ad gratiarum actionem, indubiè licita est, ut patet ex dictis Conclusione præcedenti: at verò ut liberentur de pœnis inferni non oramus, quia certò nobis constat ipsos esse liberatos.

Instantia. Sed contrà; animæ Purgatorii non minùs certæ sunt de sua liberatione ab inferno, quàm animæ beatæ, & tamen Ecclesia orat pro illis, quas certò constat esse in purgatorio.

Solvitur. Respondeo, potiùs commemorare harum liberationem, quàm illarum; quia animæ Purgatorii adhuc indigent nostris precibus, ut *Signifer sanctus Michaël repræsentet eas in lucem sanctam*, id est, ut obtineant remissionem pœnæ temporalis, ad quam non parum conducit illa commemoratio.

94. Ritè offertur Sacrificium pro animabus Purgatorii. Ex dictis constat, ritè offerri Sacrificium pro animabus existentibus in Purgatorio. Estque de fide noviſſimè definitum à Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. ibi: *Quare non solùm pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus; sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, ritè, iuxta Apostolorum traditionem, offertur.* Quæ traditio manifestè patet ex continuo usu Ecclesiæ ab ipsis temporibus Apostolorum, cujus testes sunt antiquissimæ Lyturgiæ, & passim Sancti Patres. Sed de hac controversia cum Hæreticis latiùs tractatur in materia de Purgatorio, ad quam Lectorem meum remitto.

Est definitum à Concil. Tridentum. Impræsentiarùm sufficiat hanc esse communem doctrinam Catholicorum nullo excepto.

Ratio à priori, Congruentia. Ratio autem à priori, voluntas Christi. Congruentia; quia illæ animæ adhuc sunt in pœnis, quæ per oblationem hujus Sacrificii remitti possunt & de facto remittuntur æquè, imò magis, quàm per alia quæcumque suffragia fidelium, ut docet Conc. Tridentinum sess. 25. in principio sui decreti de Purgatorio hisce verbis: *Cùm Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta, & sacris litteris & antiquâ Patrum traditione, in sacris Conciliis, & noviſſimè in hac œcumenica Synodo docuerit Purgatorium esse, animasque ibi detentas, fidelium suffragiis, potiſſimùm verò acceptabili altaris Sacrificio iuvari, præcipit Sancta Synodus &c.* Trident.

Finio verbis Divi Augustini Enchir. c. 109. *Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel eleëmosynæ in Ecclesia sunt. Sed eis hæc prosunt, qui cùm viverent, ut hæc sibi postea prodesse possent meruerunt. Est enim quidem vivendi modus nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem, nec tam malus, ut ei non prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, ut ista non requirat, & est rursus talis in malo, ut nec his valeat, cùm hæc vita transierit, adiuvari. Quocirca hìc omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam, vel gravari.* 95. Authorum D. Aug. sint.

Et cap. 110. sic inquit: *Non enim omnibus prosunt suffragia Ecclesiæ. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gesit in corpore? Cùm ergo Sacrificia sive altaris, sive quarumcumque eleëmosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis (id est, pro Beatis) gratiarum actiones sunt; pro non valde malis (id est, existentibus in Purgatorio) propitiationes sunt: pro valde malis (id est, damnatis) etsi nulla sint adiumenta mortuorum, quæ lesorumque vivorum consolationes sunt.*

Qualis verò animabus Purgatorii hæc sit propitiatio, & an omnino infallibilis & propriè ex opere operato, attingemus Sectione sequenti, quæ erit de effectu & valore Sacrificii.

SECTIO

SECTIO QVARTA

De effectu & valore Sacrificii.

1. Sacrificium Missæ est latreuticum,

Eucharisticum,

propitiatorium,

satisfactorium,

& impetratorium.

SAcrificium Missæ non solùm esse latreuticum, sive holocaustum, quatenus totum offertur in cultum & honorem Dei; & Eucharisticum, quatenus offertur in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis, præsertim in redemptione nostra, ac in ordine ad salutem à Deo collatis; sed esse insuper propitiatorium, & satisfactorium, quatenus offertur pro remissione peccatorum, & satisfactione pœnarum temporalium, nec non impetratorium, sive hostiam pacificam, quatenus celebratur pro beneficiis acquirendis nemo abnuit, qui credit Traditioni Ecclesiæ, antiquissimis Lyturgiis, atque innumeris veterum Patrum testimoniis.

Tametsi enim hæ rationes sint diversæ, minimè tamen oppositæ, adeòque possunt simul concurrere in eodem hoc Sacrificio, utpote quod *successit*, ut ait Divus Augustinus lib. 17. de Civit. Dei cap. 20. *omnibus illis Sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri, & bona omnia* (utor verbis Tridentini sess. 22. cap. 1.) *per illa significata, velut illorum omnium consummatio & perfectio complectitur.*

S. Aug.

2. Probatur ex Conc. Tridett.

Quòd autem de facto simul concurrant, his verbis docet idem Concilium eâdem sessione can. 3. *Si quis dixerit Sacrificium Missæ tantùm esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, non autem propitiatorium vel soli prodesse sumenti; neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.* Quam doctrinam latiùs explicat ibidem cap. 2. ut in progressu videbimus.

Quæritur autem primò, an id habeat Sacrificium Missæ non tantùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato? Responsio sit

CONCLUSIO I.

Sacrificium Missæ habet aliquem effectum ex opere operato, aut quasi.

3. Missæ Sacrificium habet effectum aliquem ex opere operato.

ESt Scoti Quodl. 20. n. 2. ubi sic ait: *Hìc præmittendum est unum, hoc scilicet, quòd probabile videtur, quòd Missa non solùm valet virtute meriti, sive operis operantis; sed etiam virtute Sacrificii, & operati. Vel non solùm valet virtute meriti personalis Sacerdotis offerentis; sed etiam virtute meriti generalis Ecclesiæ in cuius persona per ministrum communem offertur Sacrificium.*

Probatur à Scoto.

Probatio: *Alioquin Missa mali Sacerdotis, qui in illo actu non meretur personaliter, sed demeretur, nulli valeret in Ecclesia: quod reputatur communiter inconveniens, & rationabiliter iuxta illud Ioan. 6.* Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. *Quandocumque enim Christus ut summus Sacerdos offert, panis quem dat, id est, caro eius, est mundi vita.* Ita Doctor Subtilis; cui proinde falsò ab aliquibus impingitur sententia opposita.

4. In eodem Sacrificio invenitur meritum, impetratio & satisfactio ex opere operantis.

Et verò quis audeat dubitare, an in eodem Sacrificio inveniatur meritum, impetratio, & satisfactio ex opere operantis? Est quippe actus virtutis Religionis, & quidem præstantissimus, tum ratione rei oblatæ, tum ratione ipsius offerentis, sive principalis, qui est Christus, sive Sacerdotis, qui est offerens proximus, specialiter ad id muneris consecratus, sive etiam universalis Ecclesiæ, quæ eum designat ut ejus nomine offerat. Quidni ergo Sacrificium oblatum à Sacerdote existente in statu gratiæ ex motivo Charitatis, quidni, inquam, sit meritum condignum vitæ æternæ, sicut alia bona opera?

Utique æquale meritum juxta DD. communiter, etsi per errorem apponeretur panis ex hordeo & vinum ex pomis: sicut si aliquis volens dare pauperi monetam auream, daret per errorem æream, non minùs mereretur, cùm tota mensura meriti ex voluntate desumatur, juxta eosdem DD. in Tract. de Virtutibus & Vitiis, quamvis oppositum non sit improbabile, & fortè de mente Scoti, de qua hìc nolumus disputare, quia impertinens ad Conclusionem.

5. Insuper impetratio & satisfactio independenter à bonitate ministri.

Porrò quæ meriti, similis est ratio impetrationis, & satisfactionis, ut patet considerranti; nec aliquid est, quod in speciem possit opponi. Itaque Sacrificium est meritorium, impetratorium & satisfactorium, eo modo & conditionibus, quibus alia bona opera, & præsertim oratio.

Neque hoc tantùm, verùm etiam est impetratorium & satisfactorium ex sua institutione, independenter à bonitate & devotione Ministri, quasi ex opere operato, quatenus offertur nomine Christi, & Ecclesiæ.

Probatur ex Conc. Trident.

Probatur ex communi Ecclesiæ consensu; siquidem docet Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 1. Christum instituisse hoc Sacrificium ut *illius* (Sacrificii cruenti) *salutaris virtus in*

remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur.

Ergo ex vi suæ institutionis habet singularem vim & efficaciam ad applicandum aliquem fructum passionis, & redemptionis Christi; ac proinde independenter à bonitate & devotione ministri, ut ibidem docet Concilium dicens: *Hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nullâ indignitate, aut malitiâ offerentium inquinari potest.* Inquinaretur autem si propter malitiam offerentium careret omni suo effectu, etiam impetrationis, & satisfactionis.

Igitur Sacrificium oblatum à malo ministro aliquem habet effectum, non ex opere operantis, ut clarum est; ergo ex opere operato, aut quasi, eo ferè modo, quo Sacramenta, quæ collata à ministris, etiam pessimis, nihilominus ex vi suæ institutionis infallibiliter causant gratiam in subjecto disposito.

6. In quo differat causalitas Sacrificii à causalitate Sacramentorum.

De cætero nemo miretur, si Sacramentis comparo, quod Augustissimum Sacramentum efficit: comparo, inquam, verùm cum hoc discrimine, quòd Sacramentum non conferat gratiam, nisi subjecto, cui realiter applicatur, cùm tamen ad effectum Sacrificii sufficiat applicatio intentionalis; & ideo dixi, *Quasi ex opere operato*, quia opus operatum propriè significat opus realiter applicatum.

Præterea differunt Sacrificium & Sacramentum in ipso effectu; nam effectus omnium Sacramentorum est gratia sanctificans, prima, vel secunda. Porro

CONCLVSIO II.

Sacrificium non causat immediatè & ex opere operato gratiam sanctificantem, neque remittit peccata venialia.

7. Missæ Sacrificium remittit peccata mortalia; *Trident.*

DOcet Sancta Synodus Tridentina sess. 22. cap. 2. *Sacrificium Missæ verè propitiatorium esse, per ipsumq; fieri, ut, si cum vero corde, & recta fide, cum metu & reverentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Ac si diceret: Sacrificium Missæ verè est propitiatorium, quoniam per ipsum accipimus dona, sive auxilia gratiæ actualia dispositiva seu disponentia ad veram pœnitentiam remissivam peccatorum per infusionem gratiæ sanctificantis.

sed mediatè tantùm.

Hanc esse mentem Concilii, colligo ex verbis sequentibus: *Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit*, utique per contritionem charitate perfectam, aut attritionem cum Sacramento: non autem proximè & immediatè per ipsum Sacrificium. Ita communiter Doctores, quidquid pauci sine solido fundamento contradicant.

8. Ratio à priori.

Ratio autem à priori est; quia nusquam legitur, talis effectus, scilicet immediata remissio peccatorum mortalium, promissus Sacrificio, sicuti promittitur Baptismo & Pœnitentiæ. Quin potiùs contrarium significat Concilium Tridentinum, quando sess. 14. c. 4. docet, quod attritio *sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat*, perduceret autem si Sacrificium immediatè peccata mortalia remitteret, adeoque primam gratiam conferret.

9. Probatur à posteriori ex inconvenientiis.

Probatur à posteriori ex inconvenientiis, quæ sequuntur ex opposita sententia. Nam alioquin Sacerdos celebrans in peccato mortali cum sola attritione, quando deest copia Confessarii, justificaretur: imò unico Sacrificio primum. justificaret omnes attritos, etiam dormientes & ignorantes, gravissimos alioquin peccatores, offerendo illud pro eorum omnium peccatis; quin de facto semper ita fieret: etenim quodcumque Sacrificium offertur pro salute totius mundi, ut patet ex verbis oblationis Calicis.

Et sanè si hæc efficacia colligeretur, ut volunt Adversarii, ex verbis illis consecrationis: *Qui pro vobis effundetur* (vel, *effunditur*) *in remissionem peccatorum*; cùm constet illa dicta fuisse à Christo in ultima Cœna omnibus Apostolis: profecto hoc Sacrificium ex sua institutione non alligaretur ad causandum illum effectum in uno, vel duobus; sed extendi posset ad plures & plures, atque adeò ad omnes peccatores attritos.

10. Objectio solvitur.

Nec obstat quòd Sacrificium, ut infrà dicemus, plus prosit uni, quàm pluribus; quia quantumcumque minimùm proderit pluribus quoad effectum remissionis peccatorum, necessariò remittet omnia peccata mortalia; quia unum, secundùm legem ordinatam, non remittitur sine alio: gratis autem dicitur prodesse omnibus, quatenus est impetratorium, aut satisfactorium, secùs quatenus est propitiatorium, sive remissivum peccatorum.

11. Secundum.

Præterea peccator, qui cum sola attritione, etiam cognita ut tali, curasset sibi applicari Missam, posset omnia Sacramenta suscipere, saltem exceptâ Eucharistiâ, imò omnia, nullo excepto, ministrare absque prævia contritione aut confessione.

Tertium

Tertiò, pro moribundo, qui non potest confiteri: vel aliud Sacramentum suscipere, deberet statim sacrificari, ut si attritus sit, virtute Sacrificii justificetur. Quæ omnia clarè repugnant communi sensui fidelium.

Sed numquid etiam sequeretur, quòd ad remissionem mortalium non esset necessaria confessio? Non puto. Enimverò contritio charitate perfecta est medium per se ordinatum ad re-

ad remissionem peccatorum mortalium, nùm ideo non est necessaria confessio? Potuisset ergo Christus ordinasse Sacrificium ad secundariò (nam primarius finis est cultus Dei) remittendum peccata mortalia, estò peccata sic remissa adhuc manssissent necessaria materia absolutionis.

12. Sententia aliquorum quòd Sacrificium per accidens solùm conferre primam gratiam, puta homini attrito existimanti bonâ fide se esse contritum; per se autem homini justo conferre augmentum gratiæ justificantis.

Cæterùm propter inconvenientia jam explicata, aliqui docent hoc Sacrificium per accidens solùm conferre primam gratiam, puta homini attrito existimanti bonâ fide se esse contritum; per se autem homini justo conferre augmentum gratiæ justificantis.

Sed nec illa opinio aliquid plùs habet probabilitatis, & eisdem ferè rationibus improbatur: à priori quidem, quia non ostenditur promissio divina; à posteriori autem ab his inconvenientiis.

Nam sequeretur quòd homo dives justus, etiam dormiens, aut de salute sua minimè cogitans, eò magìs justificaretur, quò plura pro se offerri curaret Sacrificia, aut ipso nesciente offerrentur; adeoque brevi temporis spatio ad summam perfectionem gratiæ posset pertingere absque ullis propriis actibus, vel susceptione alicujus Sacramenti, quam tamen perfectionem alii Sancti, imò Sanctissimi viri, non nisi multis laboribus, jejuniis, vigiliis, orationibus aliisque bonis operibus consecuti sunt, quod nullâ ratione vel auctoritate probatur.

Primum inconveniens.

13. Secundum inconveniens.

Aliud inconveniens est, quòd sic in parvulo recèns baptizato augeretur gratia habitualis, si pro illo Sacrificium celebraretur, quod est inauditum in Ecclesia Dei, quæ constanter docet parvulum decedentem ante usum rationis, nunquam pertingere ad gloriam adulti, qui moritur cum propriis meritis, cujus tamen contrarium manifestè sequeretur ex illa sententia.

Peccator non peccat si pro se curet offerri Sacrificium.

Accedit; quòd is, pro quo offertur Sacrificium, vel qui pro se curat illud offerri, etiam in ordine ad sui justificationem, non debeat esse justus: quis enim unquam hoc requisivit, aut affirmavit? Quomodo ergo dici potest, quòd per se conferat augmentum gratiæ, & per accidens primam gratiam? Nonne susciplens Sacramenta vivorum debet prudenter existimare se esse justum? Nemo dubitat, alioquin impeditur primarius effectus istorum Sacramentorum; ideoque, secundùm communem sententiam, peccatur mortaliter.

14. Responsio Adversariorum ad ultimum inconveniens.

Dices: augmentum gratiæ sanctificantis non est solus effectus Sacrificii, nec primarius; quis enim ambigit verba consecrationis principaliter efficere Corpus & Sanguinem Christi? Quis dubitat impetrare gratias prævenientes, bona etiam temporalia, & remittere pœnas Purgatorii?

Præterea, nonne peccare dixeris, qui pro se curat offerri Sacrificium, estò, quia in statu peccati mortalis, optimè sciat suam incapacitatem recipiendi effectum satisfactionis? Non autumo. Ergo similiter nulla est obligatio in illo, qui pro se curat offerri Sacrificium, procurandi dispositionem necessariam ad effectum gratiæ sanctificantis. Aliud est de Sacramentis, quæ principaliter instituta sunt ad significandam & causandam gratiam sanctificantem primam, vel ejus augmentum.

15. ex qua Auctor argumentatur contra Adversarios.

Video sic responderi posse ad ultimum inconveniens; sed non minùs video ex hac responsione inferri posse contra Adversarios: Ergo malè ducitis argumentum ab efficacia Sacramenti ad efficaciam Sacrificii, dicentes, Sacrificium est perfectius Sacramento; ergo sicuti hoc causat immediatè & ex opere operato gratiam sanctificantem, ita & illud.

Nam datâ, non concessâ majori perfectione, adhuc negatur Consequentia: etenim Sacrificium per se primò non ordinatur ad sanctificationem hominum, sicuti Sacramentum; sed in cultum Dei & in protestationem summi Dominii Dei in vitam & mortem: & hinc Sacramentis novæ Legis legimus promissam gratiam; secùs Sacrificio.

16. Dicta Concil. & PP. intelligi possunt de remissione mediatâ, vel de Sacrificio ut includit Sacramentum. An Sacrificium sit perfectius Sacramento.

Enimverò dicta omnia tum Conciliorum, tum Sanctorum Patrum commodissimè accipiuntur de remissione peccatorum mediatâ, aut certè de Sacrificio prout includit ipsum Sacramentum Eucharistiæ, quod est hostia Sacrificii, & indubiè causat augmentum gratiæ habitualis, quando à Sacerdote vel aliis dignè sumitur.

Unde dixi: *datâ, non concessâ majori perfectione*; quoniam Sacrificium essentialiter consistit in mystica separatione Corporis & Sanguinis Christi, vel, secundùm alios, in constitutione Corporis & Sanguinis sub speciebus panis & vini per modum cibi & potûs. Porrò ipsum Sacramentum Eucharistiæ est quid permanens, species videlicet panis aut vini continentes realiter Corpus & Sanguinem Christi, seu ipsum Christum.

17. Sacrificium quà tale non remittit venialia immediatè.

Rogas, an saltem per Sacrificium quà tale non remittantur immediatè peccata venialia justis, pro quibus offertur? Respondeo cum plerisque Theologis negativè; quia nullum fundamentum, imò contrarium: nam probabiliùs non dimittitur peccatum veniale, per se loquendo, & secundùm legem Dei ordinariam, sine infusione gratiæ.

Atque ut dimitteretur sine infusione gratiæ, ut multi non improbabiliter docent, juxta illud Divi Augustini Ench. cap. 71. *De quotidianis autem brevibus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit.* Ubi notant Augustinum non dicere, *justorum*, sed, *fidelium*. Ut, inquam, sic esset, unde ista virtus Sacrificio?

S. Augusti

18. Objectio ex Conc. Trident.

Ex voluntate, reponis, Christi, qui reliquit Sponsæ suæ Ecclesiæ visibile Sacrificium & incruentum, quo *illius* (Sacrificii cruenti) *virtus*

tus (inquit Tridentinum sess. 22. cap. 1.) *in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur.* Et sanè si oratio Dominica tantam vim habeat, si aqua benedicta, seu aspersio ejus, aliaque Sacramentalia; cur non eandem habeat Sacrificium multò perfectius?

Responsio. Respondeo; Tridentinum loquitur generaliter de peccatis tam mortalibus quàm venialibus, ut patet ex cap. 2. ubi dicit hoc Sacrificium, vel potiùs Deum hoc Sacrificio placatum, dimittere crimina & peccata, etiam ingentia. Similiter de remissione, abstrahendo à modo mediato, vel immediato; prout etiam Divus Augustinus loco statim citato; qui proinde communiùs intelligitur de remissione, sive satisfactione mediatâ, mediante scilicet motu attritionis vel contritionis, quem oratio illa nata est excitare, & cui alioquin debetur illa remissio.

Explicatur S. Aug.

19. Peccatum veniale non remittitur sine aliqua retractatione. Certè omne peccatum, etiam veniale tantùm, est quædam à Deo aversio per liberum arbitrium, quam proinde tolli non convenit sine ejusdem arbitrii aliquali retractatione.

Sacramentalia non remittunt immediatè venialia. Unde omnes admittunt aspersionem v. g. aquæ benedictæ non habere talem effectum in dormientibus, vel amentibus; sed requirunt applicationem mediante fide nostrâ, & cultu Religionis: etenim Sacramentalia ceremoniæ quædam sunt, quarum usus debet esse religiosus & humano modo. Jam autem Sacrificium applicatur etiam dormientibus & nihil minùs cogitantibus, qui proinde sine ullo proprio actu acciperent remissionem peccatorum venialium, quod est incredibile.

20. Objectio. Dices; hæc ratio non probat quin accedente pio motu, esto de se insufficienti, quin, inquam, remittat venialia exemplo Eucharistiæ; imò & aliorum generaliter Sacramentorum, secundùm plurimos Doctores.

Solvitur. Respondeo, sic institui potuisse Sacrificium: sed nobis non satis constat sic fuisse institutum. Sicuti etiam non satis constat sic fuisse institutam orationem Dominicam, aspersionem aquæ benedictæ, & similia Sacramentalia: quamquam, & de his major sit ratio dubitandi, quoniam ab Ecclesia sunt instituta, quæ sicut non potest Sacramenta instituere, sic nec signis Sacramentalibus effectum divinitùs causandum infallibiliter annectere: porrò Sacrificium à Christo est institutum, qui sicut instituit Sacramenta causativa ex opere operato gratiæ sanctificantis; ita etiam potuisset instituere Sacrificium remissivum ex opere operato peccatorum venialium, imò causativum ex opere operato gratiæ sanctificantis; sed quoniam hoc ultimum non fecit, nec primum fecisse verosimilius est.

21. Cur omnia Sacramenta remittant. Sanè quòd omnia Sacramenta, ut aliqui volunt, remittant peccata venialia, saltem aliqua, dummodo præcesserit eorum virtualis displi-

aliqua venialia. centia, esto alioquin per se insufficiens, maximè fundatur in efficacia gratiæ sanctificantis: quamvis enim ex natura rei non sit necesse, ut collatio gratiæ adferat remissionem peccati venialis, cùm gratia formaliter non opponatur peccatis venialibus; equidem consentaneum est legibus amicitiæ, ut quoties aliquis admittitur ad arctius vinculum amicitiæ, condonentur offensæ leves, vel omnes, vel saltem aliquæ.

Trident. Hinc Tridentinum sess. 14. cap. 5. *Venialia* (inquit) *quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè & utiliter, citraq; omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisq; aliis remediis expiari possunt,* scilicet per omnia Sacramenta, si adsit attritio; imò quoties per aliquod opus bonum augetur gratia, non quidem omnia, sed aliqua pro majori vel minori augmento gratiæ. De quo plura in Tract. de Pœnitentia, ubi de remissione peccatorum venialium.

22. In quo consistat operatio Sacrificii quâ propitietur? Itaque ut progrediamur in rebus incertis, tota operatio Sacrificii quâ propitiatorii, videtur in hoc consistere, quòd impetret auxilia gratiæ ad veram contritionem eliciendam, per quam Deus placatur, & propitiatur peccatis nostris. Distinguitur autem hæc impetratio ab illa, quâ alia bona per Sacrificium impetrantur, quòd sit multò certior & independens à bonitate Sacerdotis proximè offerentis.

Antiquitas. Sed nunquid infallibilis? Quis consiliarius Dei fuit? Experientia non obscurè indicat neutiquam omnibus concedi adjutoria efficacia, id est, quæ infallibiliter sortiantur effectum. Quot enim hodie non inveniuntur peccatores, pro quibus hoc tremendum Sacrificium offertur, qui tamen in peccatis suis moriuntur? Quis non libentissimè, & planè ultroneè pro peccatoribus celebraret, si sciret omnes infallibiliter aliquando ad pœnitentiam convertendos? Certè favor nimius ut citra aliud fundamentum attribuatur Sacrificio incruento, qui Sacrificio cruento non fuit concessus.

An fateri bonum ponat circa. An autem concedantur auxilia efficacia, idque infallibiliter, non quidem statim, sed tempore opportuno (juxta illud Tridentini sess. 22. cap. 2. *Et gratiam inveniamus in auxilio opportuno*) nisi homo ponat specialem obicem divinæ vocationi, piè aliqui affirmant, motiauctoritatibus, & præsertim Concilii Tridentini.

Pars affirmativa non sine difficultate defenditur. Sed facilè responderi potest, Concilium nullo verbo indicare pœnitentiæ donum concedi ex certa promissione, & semper, utpote fundans doctrinam suam in natura & dignitate Sacrificii, dicens: *Et quoniam in divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem*

ille

ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis semetipsum cruentè obtulit; docet Sancta Synodus Sacrificium istud verè propitiatorium esse &c.

Et infrà: *Una enim eademq; est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cuius quidem oblationis, cruentæ, inquam, fructus per hanc, incruentam, uberrimè percipiuntur.*

24. Sufficit quòd ut plurimùm conferat gratiam efficacem pœnitendi.

Nùm ideo infallibiliter percipitur gratia efficax pœnitendi? Sufficit quòd sæpè, vel ut plurimum. Unde uni dat, & non alteri, uni præstat majores gratias, etiam minùs dispositò; alteri autem, etiam meliùs dispositò, minores, ut experientia docet. Equidem valde credibile est, & consonum dignitati Sacrificii, ut Deus intuitu illius, ad hunc finem oblati, semper det aliquas, saltem remotè sufficientes.

Ex quo rectè potuit Christus suadere, imò præcipere ut Sacrificia offeramus pro peccatis; & ad eundem finem (licèt minùs principaliter) Sacrificium instituere tamquam medium aptissimum (estò fallibile per modum impetrationis, juxta conditionem ejusdem, & modum propitiandi Sacrificiis consuetum) ad flectendam & commovendam divinam misericordiam.

25. Objectio ex sacrificiis veteribus.

Dices; olim Sacrificia expiatoria infallibiliter conferebant suum effectum expiandi, & purgandi à maculis, eo modo, quo ex sua institutione illum habebant: ergo eadem virtus competit Sacrificio novæ legis, quod in gradu excellenti illis Sacrificiis, etiam ut propitiatoriis & expiatoriis, successit.

Solvitur.

Respondeo; maculæ veteris legis quid aliud erant, quàm quædam externa corporis inquinamenta? Pro quibus utique expiandis sola Sacrificia constat fuisse instituta: quidni ergo immediatè & infallibiliter expiarent? At verò propriè dicta peccata, animæ sordes sunt, & voluntariæ à Deo aversiones, quibus sordibus expurgandis nemo ignorat optimum remedium esse voluntariam ad Deum conversionem per veram cordis contritionem, aut attritionem, neque ex aliqua auctoritate clarè convincitur, pro illis immediatè & infallibiliter expiandis Sacrificium novæ legis esse institutum.

26. Expiatio animæ præstat expiationi corporis.

Interim tamen successit Sacrificiis expiatoriis veteris legis, idque in gradu excellenti; quia longè præstat expiatio animæ, etiam tantùm mediata & fallibilis, expiationi corporis immediatæ & infallibili; quantùm scilicet anima præstat corpori, & macula animæ pejor est maculâ corporis: præsertim cùm Sacrificio novæ legis competat quoque aliquis effectus expiatorius immediatus & infallibilis, scilicet remissio pœnarum temporalium, quæ aliàs debentur in Purgatorio pro peccatis remissis, ut jam edissero.

CONCLUSIO III.

Sacrificium novæ Legis tollit immediatè & infallibiliter pœnas temporales, tam vivorum, quàm defunctorum peccatis remissis debitas.

27. Sacrificium tollit immediatè & infallibiliter pœnas temporales, etiam defunctorum.

Est constans Catholicorum doctrina, exceptâ illâ particulâ, *Infallibiliter*, cui contradicunt Sotus, Canus, & quidam alii, dum existimant hoc Sacrificium operari quidem infallibiliter remissionem pœnarum respectu vivorum, non tamen semper respectu defunctorum, sed prout Deus voluerit.

Probatur ex Conc. Tridentino.

Equidem probatur Conclusio generaliter ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 2. ibi: *Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus; sed & pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite, iuxta Apostolorum traditionem, offertur.* Ubi appellat hanc doctrinam *Traditionem Apostolorum*; eandemque can. 3. definit clarissimis verbis, quæ hìc omitto, quia in superioribus pluries ea commemoravimus.

28. Objectio.

Dices; in his locis Concilium nihil decernit de immediatione & infallibilitate hujus effectûs, imò simul enumerat illos effectus, quos constat non esse immediatos ac infallibiles.

Respondetur.

Respondeo; ex nudis illis verbis istam immediationem & infallibilitatem haud satìs efficaciter probari, & ideo Conclusio tam generaliter expressa, non est fidei; attamen verisimilior est, attento communi consensu Scholasticorum: qui sic illa verba intelligunt, & suum intellectum colligunt ex aliis verbis ejusdem Concilii sess. 25. in Decreto de Purgatorio, quod ita incipit: *Cùm Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta, ex sacris litteris, & antiqua Patrum traditione, in sacris Conciliis, & novissimè in hac œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse, animasq; ibi detentas fidelium suffragijs, potissimùm verò acceptabili altaris Sacrificio iuvari, præcipit* &c. Trident.

29. Animæ defunctorum certiùs juvantur per Sacrificium quàm per alia suffragia.

Ex quo consectaneum est, animas defunctorum certiùs juvari per hoc Sacrificium, quàm per jejunia, eleëmosynas, & alia vivorum suffragia: atqui his non solùm mediatè & per modum impetrationis, sed immediatè & infallibiliter juvantur, quatenus per ea satisfactio operi correspondens animabus applicatur, sicuti satisfactiones Sanctorum, quæ sunt in Ecclesiæ thesauro, applicantur per Indulgentias: ergo multò magìs juvari poterunt Sacrificio Missæ, per quod nobis & aliis applicatur fructus Passionis Christi, ut docet Tridentinum sess. 22. cap. 1. & 2. vide verba Conclusione præcedenti.

Minor

Porrò infallibiliter juvari per alia suffragia, docet Catechis. Rom.

Minor traditur tamquam indubitata à Catechismo Romano parte. 2. cap. 5. q. 61. ibi: *Vt enim quod ad contritionem & confessionem attinet, nemo pro altero dolere, aut confiteri potest; ita qui divinâ gratiâ præditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persolvere, quâ re fit, ut quodam pacto alter alterius onera portare videatur. Nec verò de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo Sanctorum communionem confitemur.*

30. Quomodo magis juventur per Sacrificium. *Trident.*

Quamvis autem expressè solùm loquatur de fidelibus vivis, eadem tamen ratio militat in defunctis, cùm & ipsi pertineant ad Sanctorum communionem.

Et verò ex his verbis manifestè patet, quare Tridentinum suprà dixerit animas detentas in Purgatorio potissimùm juvari acceptabili altaris Sacrificio: siquidem *qui divinâ gratiâ præditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persolvere* orando, jejunando, eleëmosynas elargiendo &c. qui autem à divina gratia exciderunt, non nisi sacrificando. Hæc enim sola illa munda oblatio est, quæ nullâ indignitate aut malitiâ offerentium inquinari potest.

31. Probatur Conclus. à simili.

Adhuc miraris? Considera Sacrificia expiatoria veteris legis, quæ immediatè & infallibiliter tollebant immunditiam legalem, ut suprà diximus: ergo conveniens planè fuit, ut hoc Sacrificium longè præstantius, saltem pœnam temporalem eo modo tolleret: alioquin nullum effectum infallibiliter haberet, imò nec posset habere pro defunctis. Quis enim ille esset? Remittuntur quidem venialia peccata post hanc vitam, attamen non in Purgatorio, vel per actum extra viam elicitum, sed per bona opera hujus vitæ, ut, Deo dante, ex professo probabimus in materia de Pœnitentia.

32. Ratio à priori.

Cæterùm ratio à priori Conclusionis est, voluntas Christi nobis intimata per Concilium Tridentinum, utì communiter Scholastici illud intelligunt; nec aliquis ex Sanctis Patribus contradicit, quamvis fortè nullus sit, qui expressè id doceat.

Nonne ex solo consensu Divi Augustini & Scholasticorum dicimus: Voluntas Christi est, ut Baptismus reviviscat? Porrò videtur hæc esse communis apprehensio fidelium, quòd animæ in Purgatorio juventur infallibiliter per Sacrificium, independenter à conditione operantis.

33. Ratio congruentiæ.

Profectò hoc Sacrificium ex sua institutione habet, quòd debeat semper offerri à Christo, vel immediatè, ut in ultima Cœna, vel mediatè ministerio Sacerdotum proximè offerentium. Quis autem crediderit habere majorem virtutem, prout offertur à Sacerdote, quàm prout est à Christo? Haberet equidem, nisi prout est à Christo immediatè & infallibiliter auferret aliquam partem pœnæ; nemo enim dubitat, quin prout oblatum ab homine justo, eandem habeat virtutem cum cæteris operibus satisfactoriis.

Cùmque de facto Christus non possit ampliùs satisfacere, debuit aliqua pars satisfactionis præteritæ illi Sacrificio alligari, ut non minùs Christus nunc Sacrificium propitiatorium & expiatorium offerat, quàm in ultima Cœna, quando per illam oblationem verè satisfaciebat.

Quidni ergo immediatè & infallibiliter nunc quoque conferat suum effectum, sicuti tunc conferebat? Et sicuti Indulgentiæ conferunt, quibus satisfactio Christi & Sanctorum præterita nobis applicatur?

34. Objection.

Sed contrà; Indulgentiæ non prosunt infallibiliter defunctis, sed tantùm hominibus vivis: ergo similiter Sacrificium.

Solvitur. Quam vis Sacrificium infallibiliter prosit defunctis qualem Indulgentiæ.

Respondeo gratis concesso Antecedente, quòd à plerisque Theologis negatur, adhuc disparitas est, quòd Indulgentiæ applicentur auctoritate Ecclesiæ, quæ nullam habet jurisdictionem in defunctos, ut ipsis possit applicare Indulgentias per modum absolutionis; unde applicantur per modum suffragii, *ut habet communior opinio.* Porrò Sacrificium Missæ institutum est à Christo, pariter pro vivis, & defunctis, & habet Christus jurisdictionem, etiam in defunctos.

35. Alia objectio.

Dices iterum; si ideo effectus satisfactionis est infallibilis, quia competit Sacrificio, prout est à Christo, etiam effectus impetrationis erit infallibilis; quia & illum habet Sacrificium, prout est à Christo.

Solvitur. Quam effectus satisfactionis magis sit infallibilis quam impetrationis.

Respondeo negando Consequentiam; ratio discriminis, prima; quia Sacrificia veteris legis non habuerunt effectum infallibilem impetrationis: neque Sacrificium novæ legis habet ejusmodi effectum, prout est ab homine. Secunda; certitudo satisfactionis nullum adfert inconveniens, sicuti adferret certitudo impetrationis: multa enim peterent homines, quæ concedi non possent.

Interim quemadmodum aliæ orationes, quibus aliquid petitur à Deo, habent infallibilem effectum, quando vestiuntur certis circumstantiis, pariter & hoc Sacrificium; tametsi, quoniam illæ circumstantiæ sæpè desunt, effectus ille valde sit incertus, de quo plura Conclusione sequenti.

36. An effectus satisfactionis sit æquus statuum pœnæ?

Pro fine autem Conclusionis præsentis Nota, effectum remissionis pœnæ non ita esse infallibilem, quin, secundùm communiorem sententiam, impediatur per statum peccati mortalis, id est, Sacrificium non causat remissionem pœnæ, nisi in homine justo, argumento à simili satisfactionis Sacramentalis, quam plerique docent non prodesse homini existenti in statu peccati mortalis, contra Doctorem Subtilem 4. dist. 15. q. 1. n. 16.

Subscribo ejus verbæ: *Dico ergo sine præjudicio, quòd qui semel verè pœnitet, & recipit satisfactionem vel pœnitentiam condignam sibi impositam ab Ecclesia, clave non errante, quantumcumque*

postea

An satisfactio sacramentalis requirat statum gratiæ?

postea recidivet, nunquam tenebitur, nisi ad illam unicam satisfactionem adimplendam, Et si eam impleat in charitate (id est, in statu gratiæ) *melius est, quia non tantùm solvit pœnam, sed meretur. Sed si adimpleat eam voluntariè extra charitatem* (id est, extra statum gratiæ) *solvit quidem pœnam, sed non meretur gratiam. Si autem ipsa ab eo extra charitatem exigitur, solvitur pœna, licet ipse non solvat. Et in primo est satisfactio simpliciter, quia reconcilians & placans: in secundo, est quidem satisfactio, quia voluntaria redditio &c. sed nec reconcilians, nec placans: in tertio autem est satisfactio* (verius satispassio) *ultra quam non exigetur pœna ulterior.* Ita ille; & meritò: quia necessitas statûs gratiæ ad effectum illum secundarium ex opere operato facilius asseritur, quàm efficaciter probetur, ut patebit ex dicendis proprio loco.

37. Disparitas assignatur inter Sacrificium & Pœnitentiam sacramentalem.

Si inferas: ergo peccator, pro quo offertur Sacrificium, obtinebit remissionem pœnæ: adhuc negari posset Consequentia; & datur disparitas, quòd per Sacramentum Pœnitentiæ, cùm jam homo esset in statu gratiæ, saltem in fieri, per Absolutionem, inquam, sacramentalem pœna Purgatorii fuerit commutata in Satisfactionem sacramentalem, quam proinde postea implendo, etiam extra charitatem, solvit quod debet, nullâ intervêniente novâ gratiâ, quæ sit facienda peccatori: at verò in Sacrificio fieret à Deo magna gratia de novo peccatori, acceptando illud ad effectum remissionis pœnarum; quâ tamen gratiâ peccator indignus est, ut alii communiter urgent.

38. Sacrificium non revivisit obice sublato.

Rogas autem; an saltem non reviviscat illud Sacrificium sublato obice? Respondeo non reviviscere. Et certè (inquit Aversa q. 9. sect. 10. §. *Item quando homo*) per se absurdum apparet dicere existente adhuc culpâ, veluti anticipatâ solutione remitti pœnam, pro quando delebitur culpa.

Aversa.

Probatio Aversæ rejicitur.

Sed contrà; de facto id contingit, quando suscipitur Baptismus in statu peccati mortalis non retractati; per talem quippe Baptismum baptizatus accipit non tantùm jus remissionis culpæ, positâ debitâ retractatione, sed etiam remissionis pœnæ, quæ aliàs in Purgatorio pro tali culpa, remissâ per solam contritionem, deberetur.

39. Vera probatio.

Quæ est ergo ratio communis sententiæ? Quia non constat de voluntate Christi, à qua sola pendet illa reviviscentia. Et sanè si Sacramentum Eucharistiæ non confert suum effectum sublato obice, neque probabiliùs alia Sacramenta, præter Baptismum, ut docuimus disputatione primâ sect. 6. concluſ. 4. quo fundamento id affirmabimus de Sacrificio Missæ? Prorsus nullo, præsertim cùm alium habeat effectum præter remissionem pœnarum, ad quem non requiritur status gratiæ in illo, pro quo Sacrificium offertur, videlicet effectum impetrationis tam bonorum temporalium, quàm spiritualium. Enimverò

CONCLUSIO IV.

Valet Sacrificium Missæ non tantùm ad impetranda bona spiritualia, v. g. Castitatem, aliasque virtutes, & avertenda mala opposita, ut peccata, tentationes, & infestationes Dæmonum &c. sed etiam ad temporalia beneficia spiritualibus subservientia obtinenda, v. g. sanitatem, aëris clementiam, frigus &c. & incommoda opposita avertenda, ut infirmitatem, sterilitatem &c.

Liquet profectò hæc Conclusio ex quotidiano usu Ecclesiæ, & nimis apertè eam docet Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 2. & can. 3. peccatis utique, pœnis, & satisfactionibus adjungens alias necessitates, pro quibus offerri debere hoc Sacrificium nullatenus dubitandum censet; Anathema, inquit, sit qui contrarium dixerit. Quidni sit? Siquidem negat traditionem Apostolorum. Verba Tridentini in superioribus sæpiùs exscripsi. Videantur, & maturè expendantur. Quamquam enim expresè non meminerint necessitatum temporalium, equidem ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus sine urgenti ratione.

40. Probatio Conclus. ex quotidiano usu Ecclesiæ & Concil. Trident.

Et quænam hìc amabo urgens ratio? Nonne per orationem impetramus tum beneficia spiritualia, tum corporalia? Et verò quod præstantius orationis genus, quàm Sacrificium? Christus Dominus est principalis offerens, est res oblata; quis ergo adhuc dubitet? Ipse est, qui secundùm Apostolum Heb. 9. v. 25. *Salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis.*

41. Ratio congrua.

Heb. 9.

Audiamus Divum Augustinum lib. 22. de Civit. Dei cap. 8. *Perexit*, inquit, *unus, obtulit ibi Sacrificium Corporis Christi, orans quantùm potuit, ut cessaret illa vexatio domûs: Deo protinus miserante cessavit.*

Probatur ex auctoritate D. August.

Ex quo consequens est, tametsi requiratur intentio Sacerdotis tale vel tale quid impetrandi à Deo; quia tamen Sacerdos non orat in propria dumtaxat persona, sed in persona quoque Christi & Ecclesiæ, sequitur, inquam, quòd effectus ille possit obtinere sine meritis Sacerdotis. Qui etiam in tantum poterit dici effectus ex opere operato, quamvis

42. Requiritur intentio Sacerdotis, non meritus.

non omnino perfectè; quia nihil determinatè obtinetur infallibiliter, ut docet experientia. Imò multa obtineri absolutè non possunt, ut si duo sacrificent petentes oppositа.

Layman. Non habemus, inquit Layman lib. 5. Tract. 5. cap. 1. n. 8. de eâ re promissionem Dei absolutam, sed tantùm conditionatam, si nobis quod rectè petimus, secundùm divinæ providentiæ rationem (cui voluntatem & intentionem suam Christus subordinavit) dari expediat. Credibile tamen est (addit idem Auctor) nunquam petitionem, præsertim eam, quæ Sacrificio adjungitur, omni fructu carere; quia etsi non impetratur quod petitur, aliud tamen confertur, quod utilius ac melius esse Deus judicat.

43. Plurimùm conducit sanctitas & devotio ministri. Cæterùm haud dubium, quin ad impetrandum quod petitur, plurimùm conducat sanctitas & devotio ministri sive Sacerdotis: tametsi enim dignitas principalis offerentis, & rei oblatæ sit sufficientissima ad quodlibet impetrandum, equidem impetrandi efficacia etiam proportionatur devotioni ipsius ministri: quemadmodum in humanis etsi gratus sit, qui postulat, & gratum sit munus, quod offert, faciliùs tamen & meliùs impetrat, quando Legatus ejus nomine postulans, similiter est charus & gratus.

Probatur à simili,

& docetur ab Alex. Papa Epist. 2. Quam veritatem graphicè exprimit Alexander Papa Epistolâ 2. (& refertur 1. q. 1. c. 91.) dicens: *Ipsi Sacerdotes pro populo interpellant, & peccata populi comedunt, quia suis precibus, & oblationibus ea delent, atque consumunt: qui quantò digniores fuerint, tantò faciliùs pro necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur.*

44. Juvat itidem devotio assistentium, & specialiter offerentium, Similiter ad impetranda beneficia per Sacrificium juvat devotio assistentium, & aliorum specialiter offerentium, sicut & communis devotio Ecclesiæ; idque probabiliter eò magis, quò plures & majores Sancti in ea fuerint. Nam quò dignior est communitas, aut ille, in cujus persona quis ut minister offert & deprecatur, tantò magis acceptus est minister ipse, ut impetret. Sicut etiam faciliùs impetrat, quò sanctior, & consequenter gratior est persona, pro qua, & in cujus bonum petit.

utì etiam communis devotio Ecclesiæ militantis; sechs triumphantis. *Scotus.* *Sed cùm acceptetur Sacrificium ratione voluntatis generalis Ecclesiæ, numquid simul Ecclesiæ triumphantis & militantis?* Interrogat Doctor Subtilis Quodl. 20. n. 24. & respondet: *Non videtur: immo istud Sacrificium est proprium Ecclesiæ militanti; sicut & Sacramentum, in quo est Sacrificium.*

45. Objectio ex Scoto. *Contrà; si est solius Ecclesiæ militantis: ergo si nullus viator esset in gratia, virtus Sacrificij esset nulla. Et si unus solus esset in gratia, æquaretur merito personali illius. Qualiter etiam modò ad meritum istud concurrit motus illius, qui nihil cogitat de oblatione, cuiusmodi est alius à celebrante, nec assistens sibi.* Ita sibi objicit Scotus, nec respondet.

Respondetur. Ego autem Respondeo ad primum, quòd numquam erit Ecclesia militans sine aliquo, qui sit in gratia, Deo ita disponente, ut adimpleatur illud dictum Christi Luc. 22. v. 32. *Ego autem rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos* in fide, quæ per dilectionem operatur. Luc. 22.

Atque ut nullus esset: nùm ideo virtus Sacrificii esset nulla? Nequaquam. Etenim semper offertur Sacrificium in persona Christi, quæ non potest non esse grata Deo. Et fortè (inquit Suarius disp. 79 sect. 2. concl. 1. in fine) ideo Christus voluit in persona sua semper offerri, quia voluit ut semper haberet valorem ad impetrandum apud Deum, & ob eandem fortasse causam etiam voluit, ut fieret per mactationem mysticam & repræsentationem Passionis suæ, ut indè etiam haberet specialem vim impetrandi; quoniam ex Christi Passione omnes gratiæ in nos proveniunt, utpote opus Deo gratissimum & acceptissimum. 46. Probatur Sacrificium esse nullius in Ecclesia militante esse fructus; Suarez. quia offertur in persona Christi.

Unde Scotus suprà n. 23. in fine: *Certum est quòd Missa non æquivalet passioni Christi, licet specialiùs valeat, pro quanto ibi est specialior commemoratio oblationis, quam Christus obtulit in Cruce, iuxta illud Luc. 22. & 1. Cor. 11.* Hoc facite in meam commemorationem: *quia sit Missa tam repræsentando illam oblationem in Cruce, quàm per eam obsecrando, ut scilicet per eam Deus acceptet Sacrificium Ecclesiæ. Obsecratio autem communiter fit per aliquid magis acceptum ei qui rogat, quàm sit sibi supplicatio obsecrantis.* Quòd specialis commemoratio passionis Christi, Scotus.

Patet in exemplis communiter: si enim supplico, ut per salutem, vel pro salute animæ Patris hoc mihi faciat, suppono tibi magis acceptam esse salutem eius, quam supplicationem meam: unde propter illam acceptam, volo supplicationem meam acceptari, & propter quod unumquodque, illud & magis.

47. An voluntas generalis Ecclesiæ sit meritum proprie dictum. Quod autem additur in objectione secundo & tertio loco de merito, facilem habet solutionem, hoc solo prænotato, voluntatem illam generalem Ecclesiæ ratione cujus existimat ibi Scotus Sacrificium à Deo acceptari, non esse meritum propriè dictum. Nam, ut cætera taceam, una ex conditionibus meriti est libertas actualis: jam autem quantumcumque liberum fuerit Ecclesiæ, hunc vel illum hominem constituere Sacerdotem, & quasi Legatum destinare ad Deum, ut preces nomine suo offerat, equidem quod semel factum est, infectum fieri nequit, & non est amplius in potestate Ecclesiæ facere, ut Sacerdos potestate à Deo acceptâ in sua ordinatione non verè offerat hoc Sacrificium. Ut autem efficere posset, quòd ego non offerrem Sacrificium nomine suo, quid tum?

Ergo, infers, quandocumque offers nomine Ecclesiæ, ipsa propriè per istud Sacrificium meretur, estò alioquin sacrilegè offeras: sicut, inquit Lugo disp. 19. n. 125. si Dominus per famulum iniquum eleëmosynam daret ad impe- Salvatur quando offertur Sacrificium suo nomine?

impetrandum aliquid, tunc licèt famulus peccaret ex iniqua intentione exequendo jussa Domini, ipse tamen Dominus impetraret, non ex opere operato, sed operantis.

48. Sententia affirmans impugnatur Vasquez,

Responderet aliquis Negando Consequentiam. Siquidem, ut notat Vasquez disp. 229. n. 8. cùm quis jussit, ut famulus suus eleëmosynam daret, tamdiu opus exterius famuli est meritum ipsius, quamdiu sub ejus manet potestate: sicut è contrario, si quis jussit ut famulus suus occideret aliquem, tamdiu ei imputatur peccatum famuli, ut eo actu dicatur peccare, quamdiu manet sub potestate ipsius; quando verò jam non potest ipsum ab incepto revocare, jam ampliùs ei actus non imputatur ad culpam, & justificari potest perseverante adhuc in famulo peccato homicidii. Atque hâc ratione, inquit Dicastillo disp. 3. n. 60. corruit exemplum, quo utitur Lugo.

Impugnatio rejicitur.

Contrà; Eminentissimus supponit Dominum posse auferre famulo potestatem dandi eleëmosynam suo nomine, sicut Ecclesia potest auferre Sacerdoti potestatem offerendi suo nomine. Siquidem n. 126. sic ait: Hinc fit primò Sacerdotem excommunicatum & præcisum, cui Ecclesia aufert potestatem offerendi ejus nomine, non posse nomine Ecclesiæ impetrare; quia Ecclesia non vult per illum ministrum offerre, vel orare. Secundò fit valorem hunc crescere, vel decrescere posse pro majori vel minori sanctitate ipsius Ecclesiæ.

49. Objectio.

Si autem objicias; Ecclesia est collectio fidelium, qui quotidie moriuntur, & nascuntur.

Responsio.

Respondet, Sacerdotem semper orare nomine Ecclesiæ præsentis, non nomine Ecclesiæ præteritæ, quæ jam non est in statu offerendi Sacrificium: hi autem fideles, qui nunc sunt, habent voluntatem sufficientem orandi & offerendi per hunc Sacerdotem.

Nam sicut fideles qui nunc sunt, dicuntur omnes designare hunc Sacerdotem, qui modò consecratur, ut pro ipsis oret & offerat, licèt eum non viderint; quatenus scilicet volunt esse membra Ecclesiæ, & subdi Prælatis, ratumque habere quod ipsi totius communitatis nomine decreverint, sic etiam fideles, qui postea adveniunt, per eandem voluntatem, quâ volunt esse Ecclesiæ membra, & vivere ejus legibus, volunt etiam implicitè ratum habere quidquid ab Ecclesiæ Prælatis omnium fidelium nomine ad communem utilitatem factum est, & per consequens ratam habent designationem oratorum & ministrorum factam ad communem omnium causam apud Deum procurandam. Potest ergo Deus acceptare has preces, tamquam preces singulorum fidelium, qui nunc sunt, & eas per suum Oratorem Deo offerunt. Hucusque Eminentissimus.

Ecce qualiter ad meritum, seu impetrationem Ecclesiæ concurrat motus illius, qui nihil cogitat de oblatione: quod ultimò quærebatur in objectione Scoti.

50. Ad impetrationem Ecclesiæ concurrit ille qui nil de offerendo cogitat.

Ad secundum autem responderi posset: si agitur de merito condigno, planè æquaretur virtus Sacrificii quantùm est ex parte Ecclesiæ, cujus nomine offertur, merito personali illius, qui esset in gratia: verùm quia etiam orationes peccatorum quandoque à Deo exaudiuntur, eorum quoque meritis, estò congruis tantùm, virtus Sacrificii augeretur.

51. Ecclesia propriè non meretur per Sacrificium,

Utcumque ergo sit de mente Scoti (quæ non adeò clara est) haud equidem mihi persuadeo Ecclesiam propriè mereri quandocumque offertur hoc Sacrificium, vel tantùm defectu libertatis. Etenim Ecclesia non potest sine justa causa impedire Sacerdotem à sacrificando, etiam suo nomine; ac proinde ille per se operatur, & Ecclesia per illum Sacerdotem offerentem non meretur personaliter per se loquendo; quamquam alioquin ratione dignitatis Sacerdotalis, quâ Sacerdos in Ecclesia constitutus est, ut tamquam minister pro ipsa oret, & Sacrificium offerat, ejus oratio & Sacrificium specialem habeat vim impetrandi respectu totius Ecclesiæ.

sed Sacerdos personaliter meretur etiam ut persona publica.

Breviter, ipse Sacerdos personaliter meretur seu impetrat non solùm quatenus persona privata & Deo grata est, sed etiam quatenus est persona publica, id est, quatenus talem in Ecclesia gradum ex divina institutione assignatum habet.

52. Nemo actu meretur, nisi qui actu operatur. Lugo.

Nec fortè plùs voluit Lugo, qui n. 122. in terminis negat Ecclesiam propriè mereri, quando hoc Sacrificium offertur; quia, inquit, licèt voluntas, quâ Sacerdotem designavit, ut ejus nomine offerret, fuerit honesta & meritoria, nunc tamen illa voluntas non existit nisi habitualiter: nemo autem potest actu mereri, nisi quando actu operatur. Credo neque Doctorem nostrum aliud quidpiam voluisse, quamvis usus fuerit nomine meriti.

Sed relinquamus quæstiones de nomine. De re autem quæro, an consecutio fructûs Sacrificii dependeat ab applicatione Sacerdotis. Respondeo:

CONCLUSIO V.

Ad consequendum specialem, seu medium fructum Sacrificii, requiritur applicatio Sacerdotis.

53. Triplex datur portio effectûs Missæ,

Scotus.

specialissima,

generalissima,

& specialis sive media.

Hæc valet uni & non alteri,

THeologi passim cum Doctore Subtili Quodl. 20. num. 3. triplicem distingunt portionem effectûs Missæ, nempe generalissimam, specialissimam, & mediam sive specialem. *Potest*, inquit Scotus, *meritum, vel specialiter oratio, in triplici gradu intelligi valere alicui, sive pro aliquo. Uno modo specialissimè, & sic semper valet oranti, quando est in gratia; ipse enim habet motum animi bonum, & elicit opus bonum. Iste motus, & illud opus non sic sunt alterius, pro quo orat, sicut orantis: nec potest iste, ordinatâ voluntate, sic illud alteri dare, quòd non sit suum meritum; quia magis tenetur ex charitate diligere seipsum, quàm alium: immo forte non posset dare alteri sic, quin istud esset peccatum. Alio modo generalissimè, & sic valet toti Ecclesiæ: nec enim debet orans aliquem de Ecclesia excludere; sed ex intentione habituali omnes includere. Tertio modo, scilicet modo medio, valet illi, cui per orantem specialiter applicatur.*

Probatur: *Non enim valet ei specialissimè; patet ex primo membro. Sed nec præcisè valet sibi generalissimè, sicut cuicumque: tunc enim frustra in Ecclesia essent speciales orationes assignatæ, aliæ pro vivis, aliæ autem pro mortuis: & iterum pro vivis aliis, & aliis, puta, benefactoribus, amicis & aliis: ut patet in orationibus in Missali Romano pro diversis assignatis personis, & statibus, & congregationibus. Frustra, inquam, essent istæ specialiter assignatæ: quia non plus valerent illis, quàm generaliter cuicumque in Ecclesia.* Hactenus Scotus.

54. pendetque ab applicatione Sacerdotis.

Docet præterea in eadem quæstione n. 13. Sacerdotem posse applicare virtutem Sacrificii his, vel illis, & probat ex duobus locis Divi Augustini. Ecce ipsissima verba Doctoris Subtilis: *Dico quòd in potestate Sacerdotis celebrantis est aliquo modo (scilicet speciali) applicare virtutem Sacrificii. Quod probatur duplici auctoritate Augustini in Enchir. 89. vel 77.* (aliàs 109.) Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis Sacrificium Mediatoris offertur: *Ergo offerens potest applicare illis Sacrificium, & illæ per hoc poterunt relevari.*

S. August.

Idem in Sermone de Cathedra Sancti Petri: Ostendam, *inquit*, quâ ratione animas defunctorum juvari possunt: adhibeant pro eis Sanctorum preces & Sacerdotali eos prosecutione Domino commendent. *Iuvantur ergo animæ per hoc, quòd Sacerdos pro eis applicat virtutem Sacrificii.*

55. Ratio cur pars à Sacerdote assignetur.

Addit congruentiam n. 14. *Quia ubi in domo aliqua aliquod bonum est distribuendum diversis secundùm eorum exigentiam, vel indigentiam, rationabile est, quòd Dominus domûs non immediatè singulis distribuat, sed talis distributio alicui, vel aliquibus certis Ministris in domo committatur. Ita videtur regulariter in familiis ordinatis: æquè ergo, vel magis debet esse in domo Dei, quæ est Ecclesia, quòd bonum ibi virtute Sacrificii communicandum, non solùm Deus distribuat, sed aliquis Minister in Ecclesia: nulli autem magis convenire potest in Ecclesia, quàm Sacerdoti Sacrificium offerenti, cui sic ut convenit determinare intentionem suam, pro quo specialiter offerat; sic convenit sibi dispensatoriè, vel dispositivè determinare, cui virtute Sacrificii bonum, quod impetratur, reddatur.*

Et specialis applicatio.

56. Objectio quod determinatio sit nimium laboriosa.

Si objicias: quia instrumentum non habet virtutem applicandi actionem, vel effectum actionis; agentis enim principalis est applicare virtutem & actionem: nunc autem Sacerdos quantùm ad virtutem Sacrificii, est merè instrumentum, quia organum inanimatum. Licèt enim sit organum vivum quantùm ad meritum personale in celebrando; quia sic mereri est ejus, in quantum in se vivit vitâ gratiæ, tamen quantùm ad illud bonum, quod debetur virtute Sacrificii, est organum præcisè ratione Ordinis, & æquè provenit effectus iste virtute Sacrificii, etiamsi minister in se non vivat vitâ gratiæ: ergo &c.

57. Responsio Doctoris quòd sit organum principale & dispositivum.

Ad hanc, inquam, objectionem Respondet Doctor Subtilis: *Quòd licèt bonum, quod impetratur virtute Sacrificii, non impetretur virtute meriti personalis Sacerdotis; sed virtute meriti Ecclesiæ, in cujus persona fit oblatio, & ob cujus gratiam oblatio acceptatur: & ideo quoad hoc, scilicet tale bonum sic impetrandum, Sacerdos, licèt sit merè organum, tamen ratione Ordinis habet gradum notabilem in Ecclesia, propter quem sibi convenit offerre, vel oblationis virtutem determinare, & in hoc non est præcisè organum, sed minister & dispensator.*

58. Alia objectio.

Si rursum dixeris: Bonum quod non debetur isti, non habet iste jus alii assignandi vel applicandi: sed bonum quod debetur virtute Sacrificii, non debetur Sacerdoti in quantum celebrans; sed tantùm ipse est nuntius offerens petitionem Ecclesiæ, & bonum, quod virtute Sacrificii debetur, non sibi debetur; quia eadem esset virtus Sacrificii, si ipse esset in mortali peccato: ergo &c.

59. Responsio Scoti.

Respondet Scotus: *Quòd si bonum reddendum virtute Sacrificii non debeatur Sacerdoti pro se; debetur tamen Ecclesiæ secundùm eius distributionem: quia ipse ex Ordine suo est nuntius Sponsæ ad Sponsum, offerens petitiones specialiter pro determinatis personis, & ita dispensatoriè vel dispositivè determinans eis illud, quod pro talibus petitionibus redderetur.*

60. Quo à priori totius

Hæc libuit præfari de mente Doctoris nostri, ut tantò faciliùs singulas Conclusionis partes enuclearemus. Et quidem ratio à priori totius

eius. est voluntas Christi,

totius Conclusionis non potest esse alia, quàm voluntas Christi, qui substantiam Sacrificii instituit, & per consequens modum, quo posset hominibus prodesse; sicuti instituit substantiam Sacramentorum, & modum quo possent causare, sive conferre hominibus suum effectum.

Constat autem Sacramenta sic instituisse, ut non prosint hominibus, nisi illis, quibus per specialem ministrum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, realiter applicantur.

qui sic instituit hoc Sacrificium, ut non prosit nisi applicatum;

Quidni ergo bene dixero simili modo Christum instituisse Sacrificium (cujus hostia est verum Sacramentum) ut non prosit hominibus, nisi illis, quibus fuerit applicatum?

59. quæ applicatio est Sacerdoti commissa,

Et verò cui commodiùs potuit ejusmodi applicatio committi, quàm Sacerdoti? Ipse siquidem solus est, qui propriissimè offert Sacrificium, & hoc in persona Christi, cujus merita per Sacrificium nobis applicantur. Ergo multùm conveniens erat, ut etiam illi soli committeretur specialis applicatio fructûs Sacrificii.

ut colligitur ex Apost. 1. Cor. 4.

Porrò sic factum fuisse, videtur colligi ex illis verbis Apostoli 1. Cor. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* Dubitas Sacrificium esse mysterium Dei? Immo Mysterium est omnium mysteriorum.

60. Confirmatur ex forma Sacerdotii,

Confirmatur ex forma Sacerdotii, quæ talis est: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missasq; celebrandi, tam pro vivis, quàm pro defunctis.* Ergo præter potestatem sacrificandi, habet potestatem Missas celebrandi, id est, applicandi earum fructum sive pro vivis, sive pro defunctis.

& communi fidelium.

Atque hic est sensus totius Ecclesiæ omniumque Christi fidelium, qui ideo specialiter præbent stipendium Sacerdotibus, ut ipsis in particulari Sacrificia applicent: quod & Sacerdotes quotidie practicant. Non est ergo relictus locus dubitandi de hac veritate, si loquamur de fructu speciali, sive medio.

61. Fructus specialissimus invaliditè alteri applicatur.

Nam quod attinet ad specialissimum, ille sic reservatur Sacerdoti celebranti, ut fortè alteri applicari non possit, non solùm licitè, sed nec validè; simili modo, quo effectus satisfactionis sacramentalis, aut remissio pœnæ per Baptismum non potest alteri validè applicari.

Objectio solvitur.

Nec obstat, quòd effectus propriæ satisfactionis sit applicabilis; est enim effectus ex opere operantis, hìc autem agimus de effectu ex opere operato aut quasi. Cùm autem Sacrificium institutum sit, ut pro aliis, præter Sacerdotem, offeratur, necessarium fuit, ut aliquis saltem effectus ipsis posset applicari, licèt non omnis. Utcumque sit de hac re, in ordinaria Missæ applicatione non censetur hæc portio alteri applicari, sed ipsi Sacerdoti reservari.

Similiter multi probabiliter docent, fideles assistentes Sacrificio, ministrantes, similivè modo impropriè offerentes, participare indè aliquem fructum infallibilem ex opere operato, eò ampliorem, quò meliùs & perfectiùs ad illud concurrunt: quem proinde nec Sacerdos, ut patet, nec fortè ipsimet aliis poterunt applicare. Quamquam de his minùs commune sit apud Doctores, quàm de Sacerdote ipso, eò quòd, etsi Christus sic potuisset instituere, non tamen satìs constet de facto sic instituisse; præsertim cùm illi non sint propriè offerentes. 62. An assistentes Sacrificio accipiant indè aliquem fructum ex opere operato?

Saltem eorum preces habent majorem efficaciam,

Piè saltem credendum, ratione Sacrificii Sacerdotis, cui conjunguntur, & quod suo modo offerunt; preces ipsorum majorem indè accipere efficaciam; sicut videmus comites alicujus Legati, illius intuitu facilìùs aliquid obtinere.

& participant specialius de fructu generali.

Præterea specialiter inter cæteros sunt participes fructûs generalissimi, quatenus non tantùm offertur pro Ecclesia, pro omnibus Christi fidelibus vivis juxta ac defunctis, sed etiam signanter pro circumstantibus, & cum Sacerdote offerentibus; ut patet ex Canone Missæ ibi: *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis* &c.

Quæris, quis sit ille fructus generalissimus? Respondeo, effectus impetrationis, fallibilis quidem, sed tamen independens à bonitate ministri, & ita quasi ex opere operato. 63. Quis sit ille fructus?

An sit infallibilis rèmissio pœnarum?

Nam quòd singulis omnino Ecclesiæ membris ex singulis Sacrificiis obveniat fructus aliquis infallibilis remissionis pœnarum, videtur aliquibus incredibile; tum, quia sic fructus ille excresceret in immensum; tum, quia sic facillimè omnes animæ liberarentur à pœnis Purgatorii propter frequentiam Sacrificiorum, quæ quotidie offeruntur: tum, quia alioquin si Sacerdos totum fructum, etiam omnibus Ecclesiæ membris obvenientem, sive licitè, sive illicitè applicaret uni, is obtineret remissionem immensæ pœnæ.

Objectio Valquezii, quòd Sacerdos non possit dividere fructum Sacramenti.

Dices: Sacerdos non tantùm orat; sed etiam offert Sacrificium pro tota Ecclesia. *Imprimis* (inquit) *quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta* &c. non est autem in illius potestate, ut unum fructum Sacrificii ab alio separet, ut unum sine alio applicet ei, qui utriusque capax est, sicut etiam neque in potestate ministri situm est, ut unum fructum Sacramenti sine alio applicet; intentio enim ministri ad hoc tantùm deservit, ut huic, aut alteri, Sacramentum, aut Sacrificium applicetur, omnis autem operatio & fructus utriusque, factâ illâ applicatione, statim consequitur. Ita Valquez disp. 231. n. 36. 64.

Solutio, quòd in Sacramentis non requiratur.

Respondeo, immo de facto offertur pro aliquo, cui tantùm applicatur media pars effectûs Sacrificii, ut quando applicatur duobus ex æquo:

ritur specialis applicatio veluti in Sacrificio.

æquo : ergo similiter uni poterit Sacerdos applicare fructum solius impetrationis, alteri autem satisfactionis. Aliud est in Sacramentis, ubi non requiritur specialis applicatio effectûs, sed sola voluntas conferendi Sacramentum, quod applicatum naturaliter causat omnem suum effectum pro dispositione subjecti : in Sacrificio autem ultra intentionem offerendi, exigitur intentio applicandi fructum alicui in particulari.

Sicuti ergo Sacrificium indifferens est, ut in hoc vel illo operetur, ut operetur totum effectum satisfactionis, vel partem dumtaxat; pari ratione erit indifferens, ut operetur effectum impetrationis vel satisfactionis. Nec constat Ecclesiam plus velle, quàm ut applicetur fructus impetrationis omnibus : sic enim pro omnibus verè sacrificatur.

65. Vult Ecclesia fructum impetrationis omnibus applicari.

Cæterùm, Ecclesiam velle, ut omnibus applicetur fructus, saltem impetrationis, ab omnibus admittitur, & satìs patet ex Canone Missæ ibi : *Et omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus. Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis & pacis ut indulgeas deprecamur.*

Can. Missæ.

Peccat mortaliter qui non applicat.

Unde docent communiter Theologi, peccaturum ex genere mortaliter contra charitatem, qui aliquem à communi illa oblatione excluderet, quoniam excluderet ipsum à beneficiis communibus contra mentem Ecclesiæ, intendentis pro omnibus intercedere.

66. An factum teneat?

Interim si malitiosè fieret, nunquid factum teneret? Affirmat Lugo disp. 19. nu. 224. quia licèt Legatus utatur verbis Regis apud Pontificem, si tamen non habeat animum significandi per verba, quod ipsa sonant, & hoc notum sit Pontifici, certè non petit totum id, quod verba sonant, nomine Regis : nam petere nomine Regis, non fit nisi per verba, quibus velit significare Regis voluntatem. Si ergo non vult significare totum, quod verba sonant, sed aliquid aliud, non petit totum illud nomine Regis.

Affirmat Lugo, & probat à simili.

Alia probatio.

Adde Ecclesiam non offerre immediatè hoc Sacrificium, sed per Sacerdotem, qui immediatè offert. Si ergo Sacerdos non vult offerre immediatè pro tali persona, non potest Ecclesia mediatè pro illa offerre; quia causa mediata non causat mediatè, quod causa immediata non causat immediatè. Si ergo Sacerdos habet voluntatem positivam excludendi aliquem à fructu Sacrificii, seu non offerendi pro illo, quæ voluntas sit magìs efficax, quàm illa alia implicita, quam habet offerendi juxta Ecclesiæ intentionem, & proferendi verba omnia cum intentione, quam Ecclesia habet in illis verbis, valida erit illa exclusio, licèt sit illicita, & contra debitum charitatis & obedientiæ. Hucusque Cardinalis.

67. Sententia Auctoris.

Sed si conjecturâ uti liceat in hac materia, in qua video quot capita, tot sententias : malo dicere fructum generalissimum non subesse dispositioni Sacerdotis, sed sicuti infallibiliter ipsi Sacerdoti provenit specialissimus fructus, etiam satisfactionis, independenter ab alia intentione, quàm sacrificandi; ita quoque omnibus fidelibus ex quolibet Sacrificio, independenter ab alia intentione, quàm sacrificandi, provenire fructum generalissimum, fortè etiam satisfactionis, quamvis minimæ, & quæ nequeat aliis applicari, sive per ipsum Sacerdotem, sive per ipsos fideles, quibus à Deo determinatè & infallibiliter conceditur.

Fructus generalissimus non subesse dispositioni Sacerdotis.

Probatur à simili.

Enimverò si Legatus utatur verbis Regis apud Pontificem, estò non habeat animum significandi per verba, quod ipsa sonant, & hoc notum sit Pontifici; arbitror, quia Pontifex concedet Regi, quod verba ex se significant; non enim considerat verba illa, ut à tali privato homine proferuntur, sed ut proferuntur nomine Regis, & eatenus habent illam significationem, quam Rex intendit.

68. Responsio ad argumentum Lugonis.

Unde ad illud, quod addebatur apud Lugonem, Respondeo : eo ipso quo aliquis ab Episcopo ordinatur Sacerdos, jam constituitur Legatus Ecclesiæ, ut nomine ipsius offerat dona & Sacrificia pro peccatis, juxta illud Apostoli Heb. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ea, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Adeoque non est in potestate ipsius velle offerre Sacrificium, & non nomine Ecclesiæ, sive tamquam Legatus Ecclesiæ; quamquam Ecclesia possit facere per excommunicationem, degradationem &c. ut licèt ipse velit, minimè tamen offerat nomine Ecclesiæ.

Ibid.

Non est in potestate Sacerdotis velle offerre Sacrificium, & non nomine Ecclesiæ, sive tamquam Legatus Ecclesiæ; quamquam Ecclesia possit facere per excommunicationem, degradationem &c. ut licèt ipse velit, minimè tamen offerat nomine Ecclesiæ.

Probatur à simili.

Sicuti si quispiam se obligasset Principi adfungendum legatione pro ipso, quotiescumque placuisset, in potestate Principis est uti ipsius operâ, vel non uti; & si utitur, non pendet à particulari intentione illius hominis, ut nomine Principis loquatur, vel non loquatur, dummodò exteriùs legatione fungatur.

69. Quæ sententia Doctoris Subtilis.

Quid si dixero, hanc fuisse mentem Doctoris Subtilis? Sic enim scribit n. 16. *Cùm oratio possit alicui tripliciter applicari, scilicet specialissimè, generalissimè, & modo medio inter ista, scilicet specialiter, licèt non specialissimè. Prima applicatio determinata est, quia semper fit ipsi oranti. Secunda etiam determinata est, quia semper fit toti Ecclesiæ, & has duas determinationes facit regula charitatis, quæ debet esse potissimè ad seipsum, & generaliter ad omnem proximum.* Et licèt ibi expresse non dicat applicationem aliter factam esse invalidam, equidem sic eum possumus intelligere, ut patebit Conclusione sequenti.

70. Objectio.

Sed dicet aliquis; si fructus generalissimus non dependeret ab intentione particulari Sacerdotis, ut quid tam graviter peccaret, sive contra charitatem, sive contra obedientiam, qui aliquem ab illo fructu excluderet; etenim propter illam exclusionem, excluso non careret

reret fructu sibi à Deo intuitu voluntatis Ecclesiæ universalis determinato?

Responsio. Respondeo; quia quantùm est in se, vellet proximum illo communi beneficio privare.

Odium proximi est gravissimum peccatum contra proximum. Odium proximi, nonne mortaliter opponitur charitati? Planè. Quin imò inter omnia peccata, quæ contra proximum committuntur, censetur gravissimum. Sed cur hoc? An fortè, quia gravissimum infert proximo nocumentum? Patet quòd non, quoniam potest in ipsa voluntate consummari sine ordine ad actum aliquem exteriorem.

Assignatur ratio. Quare ergo? Quia per illud aliquis vult proximo quantùm est in se gravissima mala, idque ex pessima intentione, scilicet quatenus illi mala sunt, estò optimè sciat se illa mala non posse proximo inferre.

Revertor ad fructum medium & inquiro, utrùm valeat applicatio fructûs medii facta contra mandatum Superioris. Responsio erit

CONCLUSIO VI.

Valeret applicatio Sacrificii quoad fructum medium estò fieret contra mandatum Superioris; aut aliunde illicitè contra Justitiam, Votum, Charitatem &c.

71. An illicitâ applicatio fructûs medii sit valida? Ita Doctores communiter, tametsi Scotus videatur mansisse dubius Quodl. 20. nu. 15. & 16. Hæc sunt verba textûs: *De secundo autem in isto articulo, scilicet an posit pro libitu distribuere bonum debitum virtute Sacrificii; ita scilicet quòd hoc bonum specialiter reddatur illi, cui ipse specialiter applicat virtutem Sacrificii, diceretur quòd non; sed ad hoc quòd applicatio sua habeat effectum, oportet quòd eam faciat secundùm beneplacitum Dei: quia ipse solus est dator illius boni, & secundùm suum proprium beneplacitum: non ergo dabitur illi, cui Sacerdos applicat, nisi Sacerdos in applicando conformet se voluntati datoris.*

Scotus. Nunquid Scotus hìc asserit sic esse? Audi quod sequitur: *Contra hoc: nullam videtur ille habere auctoritatem applicandi vel assignandi aliquod bonum alicui, cujus applicatio nunquam tenebit, nisi fiat secundum voluntatem alterius, de qua iste regulariter non potest habere certitudinem; sed Sacerdos celebrans non potest habere certitudinem determinatam de voluntate divina, cui velit dare bonum reddendum virtute Sacrificii, quia nec regulariter hoc Deus revelat in speciali, nec ex Scriptura habetur doctrina de hoc nisi multùm remota & universalis, quæ non sufficit ad sciendum voluntatem divinam in speciali respectu hujus personæ vel illius: ergo si nunquam applicatio facta per Sacerdotem haberet effectum, nisi esset facta secundum beneplacitum divinum, sequeretur, quòd Sacerdos nullam haberet auctoritatem applicandi virtutem Sacrificii, nisi multùm in universali.* Ecce ratio in oppositum.

72. Dubitat Scotus. Sed quæ resolutio Doctoris Subtilis? *Potest ergo dici, quòd ubi habetur doctrina certa de applicatione, ibi est sic facienda, ita scilicet quòd si contrarium fiat, fortè nec ei cui applicatur valet, & applicanti nocet; quia peccat.* Fortè, inquit; ergo non loquitur assertivè, sed dubitativè, idque de voluntate speciali Christi, in cujus persona Sacerdos offert Sacrificium, non cujuscumque alterius Superioris.

Ratio dubitandi. Et verò quis potest prudenter dubitare sic Christum potuisse instituere Sacrificium, ut cùm specialiter revelaret Sacerdoti suam voluntatem de applicatione facienda, v. g. Petro, applicatio facta Paulo non valeret? Quid si dicerem sic de facto instituisse? Nunquid dispensator bonorum temporalium alicujus Domini validè dispensat bona Paulo contra expressam voluntatem Domini, quâ vult illa dispensari Petro? Quis adeò desipiat?

73. Communiùs asseritur applicatio fructûs medii relicta liberæ dispositioni Sacerdotis. Cæterùm, quia, ut loquitur Scotus suprà, de hac speciali voluntate Christi Sacerdos celebrans regulariter non potest habere certitudinem, ideo meliùs dicitur & communiùs asseritur, applicatio fructûs medii simpliciter relicta dispositioni Sacerdotis celebrantis.

Tutius videtur Scoto facere applicationem generalem. Nihilominus quia ab aliquibus dubitatur; *Tutiùs* (ait Scotus suprà) *videtur, applicationem facere generalem talem*: Dignetis Domine oblationem istam specialiter acceptare pro illis, pro quibus nosti me teneri specialiter offerre, & in illo gradu, in quo nosti me teneri pro illis. *Et si in specialì determinetur ad aliquem, vel aliquos, tutiùs est quòd fiat sic sub conditione, si tibi placet.*

74. Objectio. Sed contrà: liquidò constat Christum velle, quòd subditus applicet fructum Sacrificii juxta mandatum Superioris, aut, secundùm legem Justitiæ, Charitatis, Religionis &c. Ergo aliter facta applicatio non valet.

Responsio, & probatio Conclus. à simili. Respondeo, & simul probo Conclusionem: Sacerdos in Sacrificio est minister Christi, sicuti in Sacramentis; proinde licèt sit generalis voluntas Christi, ut faciat Sacerdos, quod præceptum est, sive per legem naturalem, sive per jus positivum; equidem prævalet voluntas specialis, quâ voluit illi provenire effectum, cui Sacerdos applicaret.

Sacramenta valent tametsi contrarientur contra voluntatem Prælati. Alioquin argumentum concluderet in omnibus Sacramentis, cùm tamen certum sit Baptismum esse validum, estò conferatur contra Prælati præceptum, aut aliam obligationem juris naturalis vel positivi. Eadem est ratio aliorum Sacramentorum, exceptâ Pœnitentiâ, ad cujus valorem requiritur essentialiter jurisdictio, quæ dependet à voluntate Superioris; sic tamen quòd per simplicem prohibitionem ab habente non auferatur; unde fieri potest quòd absolutio valeat contra mandatum Superioris.

Ergo

Ergo similiter oblatio Sacrificii erit rata & valida, licèt fiat illicitè contra Prælati intentionem & voluntatem. Ergo etiam applicatio fructûs Sacrificii.

75. Confirmatio probationis. Atque hæc est communis probatio Conclusionis, quæ confirmatur: quia in his, quæ sunt jure divino Ordini Sacerdotali annexa, non potest aliquid mutare Ecclesia, aut Superior Regularis. Veluti cùm Religiosus habet licentiam dandi aliquid vel accipiendi à Ministro Generali, non potest Prælatus inferior impedire valorem illius donationis.

Cùm ergo Sacerdos à Christo acceperit potestatem in sua Ordinatione conferendi Sacramenta, & offerendi Sacrificium, non potest impediri in illis muniis quoad valorem à potestate inferiori, quamdiu non satìs constat illam potestatem datam esse cum simili subordinatione, quomodo hìc non constat.

76. Objicitur dissimilitudo inter Sacramentum & Sacrificium. Si dixerit aliquis: rectè quidem, valeat Sacrificium oblatum contra voluntatem Prælati, sicuti valet Sacramentum collatum contra voluntatem Prælati; sed unde constat quòd valeat applicatio Sacrificii? Certè plurimùm distinguuntur oblatio Sacrificii, sive Sacrificatio, & applicatio fructûs Sacrificii. Fieri ergo posset, quòd applicatio non valeret, estò alioquin valida foret oblatio.

Aliud cernitur in Sacramentis, in quibus præter intentionem conficiendi, non requiritur nova intentio applicandi effectum: sed eo ipso quo validè confertur, naturaliter causat omnem suum effectum secundùm dispositionem subjecti: at verò Sacrificium posset validè offerri, tametsi indè nullus, quantumvis optimè dispositus, acciperet fructum ejus specialem. Ergo similitudo inter Sacramentum & Sacrificium sufficienter salvatur in eo, quòd oblatio Sacrificii sit valida, estò applicatio sit subjecta dispositioni Ecclesiæ.

77. Responsio, Respondeo concedendo totum. Ergo est subjecta dispositioni Ecclesiæ, negatur Consequentia; quippe illa applicatio fit ex potestate à Christo tradita, ut constat ex forma Ordinationis: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium pro vivis, & defunctis*; nulla enim est ratio restringendi illa verba ad solum fructum generalissimum: igitur quoad applicationem est minister Christi, sicuti quoad consecrationem; atqui Prælatus non potest impedire valorem consecrationis, ut patet ex alibi dictis: ergo nec poterit impedire valorem applicationis.

78. ejusque confirmatio. Alioquin (ait Lugo disp. 19. nu. 211.) si voluntas Prælati, vel debitum justitiæ prævalet, consequens est, ut qui contra illud debitum Missas aliis applicuit, ad nihil postea teneatur; quia quidquid ipse contrà tentaverit, Sacrificium pro illis fuit acceptatum, quibus debebatur, quod est contra communem sensum Ecclesiæ.

Lugo. Quem probè intellexit Scotus dicens n. 17. Scotus. *Isti, quorum orationes & oblationes sunt sic determinatæ certis personis, non possunt eas pro libitu aliis applicare, quia facerent iniustitiam subtrahendo debitum illis, quibus iam sunt obligati, & intelligo, si applicarent aliis, ita specialiter sicut ipsis, & hos aliis, quibus non æquè obligantur.*

Subtrahendo, inquam, *debitum illis*: igitur, etiam dato, quòd fortè nec illis valerent, quibus applicarentur, adhuc non valerent aliis, quibus ex justitia deberent applicari.

79. An Prælatus possit facere, ut Sacrificium possit illi pro quo potuit non offerri? Hinc licèt concederet aliquis, Prælatum posse inhabilem reddere subditum ad applicandum Sacrificium pro alio, quàm pro Petro; sicut potest reddere inhabilem ad contrahendum Matrimonium cum alia, quàm cum Catharina, vel ad profitendum in alia Religione, quàm in Religione Sancti Francisci: adhuc fortè negaret, quòd Sacrificium illud prodesset Petro: sicuti si contraheret invalidè cum Barbara, non propterea censeretur contraxisse cum Catharina, aut si invalidè profiteretur Religionem Sancti Augustini, non tamen acceptaretur à Deo illa Professio pro Religione Sancti Francisci, nisi ipse etiam positivè vellet in illa profiteri.

Sententia dubitativa. Fateor tamen ego hæc Similia multum claudicare: etenim tam Matrimonium, quàm Professio religiosa maximè sunt onerosa, ut proindè planè congruum fuerit, imò quodammodò necessarium, quòd requirerent personalem consensum, qui alienâ voluntate non posset suppleri. Nihil autem tale reperitur in applicatione Sacrificii pro hoc, vel illo.

Quare existimo; si Deo placuisset, facilè fuisset Ecclesiæ supplere consensum Sacerdotis in applicatione fructûs Sacrificii. Nam de facto Respublica civilis supplet defectum consensûs in quibusdam contractibus, transferendo dominia rerum, etiam contra expressam voluntatem veri Domini, quando sic expedit bono communi. Cur similiter non potuisset Christus dare Ecclesiæ suæ, sive Prælatis Ecclesiæ quasi dominium, aut potiùs jus altum dispensandi fructum Sacrificii contra voluntatem subditorum, quando rationabiliter judicarent id expedire pro bono communi?

80. An possit Prælatus reddere subditum inhabilem ad finem Sacrificii applicandum? Et sanè cùm Prælatus Regularis de facto irritet omnia vota suorum subditorum, & possit ipsos inhabiles reddere ad vovendum, vellem scire, quare non possit eosdem inhabiles reddere ad applicandum huic vel illi fructum Sacrificii.

Respondes; quia non vovent in persona Christi, sicuti applicant fructum Sacrificii in persona Christi: quoties autem Superior aliquis supremus subdito quidpiam committit, quod ejus nomine faciat, vel aliquid subdito concedit, non pendet subditus in usu ejus commissionis, vel facultatis à voluntate Prælati, vel Superioris immediati, ut suprà exemplificavimus

plificavimus in Religioso, qui à Generali accepit licentiam aliquid dandi, vel accipiendi.

81. Contra responsionem negativam arguit Auctor.

Bona responsio, sed non ex omni parte beata. Nam oppono unum verbum, & peto, an Prælatus immediatus possit facere, ut Religiosus ille peccet, utendo licentiâ Generalis. Si affirmas; ergo pendet in usu illius facultatis à voluntate Superioris immediati. Pendet, inquis, sed in usu licito; non in usu valido.

Contrà; quidni etiam pendeat in usu valido? Quia, reponis, ideo petita fuit licentia, ut subditus contra voluntatem immediati Superioris posset eâ validè uti. Contrà; etiam ut posset licitè uti. Transeat, inquis, & ideo nec in usu licito dependet. Infero; ergo nec potestas Sacerdotis dependet à Prælato in usu licito sacrificandi, & applicandi fructum Sacrificii. Negas Consequentiam.

Sed quæ disparitas? Quia, respondes, Ordo sacerdotalis non tam requiritur ad licitè, quàm ad validè consecrandum, & fructum Sacrificii validè applicandum; sicuti etiam ad reliqua Sacramenta, quæ talem Ordinem essentialiter postulant, validè conficienda; quâ potestate suppositâ, & sine qua indubiè omnia hæc illicitè fierent, multa adhuc alia requiruntur, ut licitè fiant.

Consentio. Sed nunquid potest quis prudenter dubitare, an Religiosus habens licentiam à Superiore, sive mediato, sive immediato dandi aliquid, vel accipiendi, quin, inquam, possit eâ illicitè uti, quamvis validè?

Potuit Christus instituere Sacrificium ut independenter à Superiore offerretur, dependenter autem applicaretur.

Utcumque ergo sit de hac comparatione inter Religiosum & Sacerdotem; quia similitudo semper claudicat: firmiter mihi persuadeo, sic Christum potuisse instituere Sactificium, ut offerretur in sui persona independenter à voluntate Superioris; applicaretur autem dependenter. Nullam enim in eo invenio repugnantiam, attamen quod sic factum sit, nec ratio, nec auctoritas probat, & ideo non est asserendum.

82. Fructus medius nemini ex proposito applicatus, manet in thesauro Ecclesiæ.

Petes; quid si ergo Sacerdos ex proposito nemini applicet fructum medium, cui proveniet? Respondeo, nec ipsi, nec aliis, sed manebit in thesauro Ecclesiæ.

Existimant tamen aliqui Sacerdotem dum ex inadvertentia nemini applicat, aut dum applicat incapaci, habere regulariter virtualem, seu implicitam intentionem applicandi sibi ipsi, aut certè aliis, quibus obligatur; imò omnibus, pro quibus generaliter offert.

In inadvertentia non applicatus, provenire videtur Sacerdoti aut alijs.

Hanc intentionem satis explicant illa verba: *Offero tibi pro innumerabilibus peccatis meis &c. & pro omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis, ut mihi & illis proficiat ad salutem*, scilicet, quantum proficere potest; adeoque non tantùm quoad satisfactionem, sed etiam quoad impetrationem, si non ad peculiare aliquod beneficium, saltem generaliter ad divinam opem obtinendam. Quod certiùs est, si aliquando expresè talem intentionem formaverit, & non revocaverit.

83. Consulitur secunda applicatio conditionata.

Et quia sæpè incertum est, an ille, pro quo specialiter volo offerre, sit capax fructûs Sacrificii, v. g. si defunctus, pro quo volo offerre, sit in Purgatorio, idcirco consulunt Doctores secundam intentionem, quâ velim fructum, aut certè illius residuum, applicatum alteri sub conditione, quòd prior non indigeat aut sit incapax.

Cumque defuncti tantùm indigeant relaxatione pœnæ, consulit Præpositus qu. 83. nu. 164. ut quoties pro illis celebramus, applicemus Sacrificium aliis, uni vel pluribus; quoad gratias prævenientes, aut alia bona obtinenda.

Sed nunquid pluribus tantum proderit, quantum uni? Resolutio patebit ex dicendis Conclusione 7. & 8.

CONCLUSIO VII.

Sacrificium quà impetratorium æquè valet multis, atque uni, si pro singulis explicitè oretur.

84. Fructus Sacrificii ex opere operantis est finitus.

PRo meliori intellectu hujus & sequentis Conclusionis, Suppono primò tamquam certum, fructum Sacrificii ex opere operantis esse omnino finitum, veluti fructus aliorum bonorum operum; adeoque magis vel minùs participari secundùm dispositionem ipsius operantis, pluribusque communicatum in singulis minorem esse, atque in uno, cui soli communicaretur. Quantùm autem ad fructum ex opere operato aut quasi,

85. Plures secundariò offerentes cum Sacerdote æqualem habent effectum ex opere operato ac si unus offerret.

Supponendum secundò, fructum qui obvenit illis, qui secundariò & impropriè offerunt, v. g. qui audiunt Missam, non crescere, neque decrescere ex paucitate vel pluralitate ita offerentium. Cùm enim sint distinctæ moraliter oblationes, quidni singulæ singulos habeant effectus proportionatos?

Probatur à simili.

Sicuti si duo Sacerdotes eandem hostiam consecrarent, non dubito, quin æqualem reciperent effectum, ac si singuli singulas hostias consecrarent. Enimverò hostia principalis, Corpus scilicet & Sanguis Christi, etiam in multis Sacris, una est & eadem, quam ex parte sua multi celebrantes æquè offerunt, atque unicus, & ideo singuli recipiunt æqualem effectum, sive multi sint, sive pauci.

Aliud simile.

Eodem modo si plures unam hostiam successivè sumerent, omnes æquè magnum effectum ex Communione perciperent. Ergo similiter quando plures secundariò & impropriè offerunt cum Sacerdote, æqualem habebunt effectum, ac si unus solus offerret.

86. Probatur ex communi sensu fidelium.

Alioquin meliùs esset Sacerdoti, si solus celebraret, & meliùs esset audire Missam solus, quàm cum aliis, quæ sunt contra communem sensum fidelium, qui omnes apprehendunt sibi provenire aliquem fructum ex Sacrificio æqualem, sive multi sint, qui audiunt Missam, sive pauci.

Atque hâc ratione hic fructus est quasi infinitus syncategorematicè, eò quòd, quantumcumque multiplicentur ejusmodi offerentes, cæteris paribus semper æquè magnum percipiant fructum.

Qui pluribus titulis concurrit, majorem accipit effectum.

Dico, *Cæteris paribus*; quia qui pluribus titulis concurrit ad Sacrificium, v. g. ministrando, audiendo, & præbendo panem & vinum, indubiè majorem accipit effectum, quàm ille, qui tantùm audit Missam, vel ministrat celebranti.

87. Christus per Sacrificium amplius non meretur,

Suppono tertiò, Christum, qui est principalis offerens, de facto non ampliùs mereri, vel satisfacere per oblationem Sacrificii, estò habeat actualem voluntatem offerendi hìc & nunc per hunc ministrum, & hæc voluntas sit bona & laudabilis.

Ratio; quia nunc non est in statu merendi aut satisfaciendi, qui est status viatoris, ut ab omnibus admittitur. Quid ergo?

sed applicat merita præterita.

Applicat per Sacrificium satisfactiones & merita præterita, quæ applicatio vocari potest impetratio, vel per modum impetrationis.

88. Neque meretur Ecclesia,

Similiter Ecclesia, quæ etiam suo modo offert per Sacerdotem, sicut per Legatum suum, nec propriè meretur nec satisfacit, ut superiùs probavimus; quia nunc non exercet actualem libertatem in actu oblationis.

Nihilominus valet hæc oblatio ad impetrandum; ad hoc enim sufficit manifestare suam voluntatem, sive immediatè, sive mediatè per internuntium, illi, à quo aliquid petitur: quo pacto orationes & preces,

sed impetrat.

quas Sacerdos dicit in Missa nomine Ecclesiæ, habent valorem ad impetrandum à Deo, etiamsi ipse Sacerdos sit in peccato.

Hujus impetrationis valor non est infinitus.

Porrò hic valor augetur pro majori numero & sanctitate eorum, qui actu existunt in Ecclesia, quorum omnium nomine loquitur Sacerdos; adeoque non est valor infinitus, & per consequens effectus ejusmodi impetrationis minor erit in pluribus, quàm in uno solo.

89. Explicatur Concluſ.

Principalis ergo, immo tota difficultas hìc est, an valor ex opere operato aut quasi, qui Sacrificio provenit à Christo, ut principali offerente, vel applicante merita sua, an, inquam, ille valor sit infinitus aut quasi, æqualem utique causans effectum impetrationis in multis, & in paucis, quibus per Sacerdotem applicatur.

Et sic intellecta Conclusio, probatur; quia vis impetrandi, quæ est in hoc Sacrificio, non fundatur in aliqua promissione divina, sed in extrinseca ipsius dignitate & gratuita ac liberali Dei concessione, qui non tantum beneficium potest concedere intuitu Sacrificii, quin possit majus, & tam facilè potest concedere pluribus, quàm uni: ergo ex ea parte effectus impetratorius Sacrificii non est certus & determinatus; sed Sacrificium de se tam potens est ad impetrandum magnum, quàm parvum beneficium, & tam efficax ad plura, quàm ad unum.

& probatur.

Atque hoc est, virtutem illam esse quasi infinitam, non quòd infinitum effectum, v. g. gratiam infinitam impetremus; sed quia spectatâ dignitate Sacrificii, virtus illa est satis proportionata ad quosvis effectus in quovis numero à Deo obtinendos, ita ut numquam possimus per hoc individuum Sacrificium impetrare tantum beneficium, quo non possimus impetrare aliud majus, nec umquam pro tot, quin possimus pro pluribus.

Virtus Sacrificii est quasi infinita.

Sed dicet aliquis; idem est de precibus, quia non tantum beneficium concedit Deus ob preces nostras, quin posset majus concedere; quamquam autem dignitas Sacrificii sit major, videtur equidem limitasse vim impetrandi ad normam aliarum precum & orationum.

90. Objectio.

Estò limitaverit: nonne ipsa veritas, Christus, testatur Joan. 14. v. 13. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam*? Si ergo oratio habet effectum quasi infinitum, quidni etiam Sacrificium longè præstantius, quando orationi adjungitur, vel potiùs, quando oratio adjungitur Sacrificio?

Solvitur. Joan. 14.

Oratio habet effectum quasi infinitum,

Dico, *Quando oratio adjungitur*; quia sine oratione nullum opus virtutis applicatur ad aliquid impetrandum; quia non impetratur, nisi quod petitur, vel desideratur.

Ex quo confectaneum est, ratione orationis adjunctæ, Sacrificium quoad vim impetrandi, minùs posse valere pluribus, quàm uni. Constat siquidem cæteris paribus efficaciorem esse ad impetrandum aliquid orationem illam, quæ in particulari fit pro aliquo, quàm si generaliter pro multis fiat. Ita definitur in Concilio Constantiensi sess. 8. ubi damnatur hæc propositio 19. Joannis Wicleff: *Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos, vel Religiosos, non plùs prosunt eidem, quàm generales, cæteris paribus.*

91. Efficacia ad impetrandum aliquid in particulari major, quàm in generali.

Damnatur.

Ratio-

Ratio ex Scoto,

Rationem hujus rei attigit Scotus Quodl. 20. nu. 4. & sequentibus: quia ut oratio impetret, requirit cum re postulata proportionem: nam eadem oratio cæteris paribus non æquè impetrabit rem difficilem & facilem, majorem & minorem, ac proinde non æquè impetrabit eandem rem uni & multis, quia hoc ipso res postulata est major.

& probatio à simili.

Sicut (inquit Doctor n. 6.) *plures pœnæ æquivalent uni maiori pœnæ, & non relaxantur, nisi per opus satisfactorium maius, vel per plura opera satisfactoria, sic videtur de pluribus bonis impetrandis, quòd æquivalent uni maiori, & ideo non nisi per plura bona, vel unum maius bonum impetrantur.*

92. Conclusio ulteriùs declaratur,

Hinc autem infertur; si Sacrificium applicetur ad multa impetranda, quæ unâ generali petitione contineantur, sicut talis oratio minùs efficax est in singulis, ita quoque Sacrificium minùs tunc impetrabit pro illis; quia proportionatur orationi. Sin verò petitio fuerit specialis, ita ut fiant multæ orationes, unaquæque pro sua re vel persona, etsi unum Sacrificium offeratur ad omnia illa impetranda, æquè potens erit ad omnia, & ad singula; quia ipsum de se semper est æquè sufficiens, ut anteà diximus, & aliunde ex parte orationis est etiam æqualitas.

Quod probo; quia unum meritum non impedit aliud, si opera concomitanter multiplicentur, & easdem morales circumstantias habeant: ergo consimiliter una oratio non minuet valorem & dignitatem alterius; sed unaquæque habebit totam vim impetrandi, quam haberet sola.

& probatur ex quotidiana praxi.

Alioquin non liceret in Sacrificiis uni addictis, pro aliis rogare alia (quod tamen quotidie practicatur) ne ille unus fraudetur aliquo fructu impetrationis, ad quem fortè habet jus. Sicuti probabiliùs non licet Sacrificium uni debitum, æqualiter applicare aliis quoad fructum satisfactionis: quoniam hic fructus in pluribus minor est, quàm in uno, ut doceo Conclusione sequenti, quæ talis est:

CONCLUSIO VIII.

Effectus satisfactionis, quem habet Sacrificium Missæ ex opere operato, eò minor est in singulis, quò pro pluribus offertur.

93. Conclusio probatur ex Scoto.

ITa Scotus Quodl. 20. n. 20. *De tertio in isto articulo dici potest, sicut in præcedenti articulo, quòd scilicet Missa non tantùm valet virtute Sacrificii applicata pluribus in eodem gradu, sicut si uni soli applicaretur.* Probat: *Quia bonum quod debetur virtute Sacrificii correspondet secundùm plenam iustitiam alicui merito in Ecclesia: illud meritum est finitum & certi gradûs: ergo sibi secundùm iustitiam plenàm adæquatè correspondet bonum certi gradûs reddendum: ita quod nihil reddetur virtute Sacrificii nisi illud, vel inclusum in illo: ergo si totum illud reddatur isti, nihil virtute Sacrificii redditur illi: quia quod daretur illi, nec est istud bonum, quod datur isti, nec includitur in illo, ut aliquid eius, & per consequens ex opposito consequentis, si virtute Sacrificii aliquod bonum detur illi, non totum datur isti, quod debetur virtute Sacrificii; daretur autem ei totum in medio gradu, si sibi soli specialiter applicaretur: ergo &c.*

Quin immo, etsi actio sacrificativa, quatenus est moraliter ipsius Christi, aut clariùs, quatenus est actio Christi, prout de facto agentis (quod alii volunt) foret infinita; equidem non haberet vim, seu effectum in actu secundo juxta valorem actionis pro tempore præsenti consideratæ, sed consideratæ secundùm quod Christus olim in institutione Sacrificii effectum ei ex merito suæ Passionis annexuit. 94. Fundatur in communi sensu, & praxi Ecclesiæ.

Porrò finitum annexuisse patet, tum ex sensu communi, tum ex praxi Ecclesiæ, sæpiùs pro eadem anima, idque distinctè pro singulis celebrante, cùm alioquin debuisset præscribere, ut pro omnibus simul semper celebraretur: nam charitas postulat, ut offeratur pro omnibus, quibus potest prodesse absque aliorum præjudicio. Scotus n. 6. ibi: *Et tunc secundùm ordinatam charitatem deberet quilibet orare pro quocumque; quia deberet impetrare bonum pluribus: dum tamen hoc posset per eundem actum sine diminutione boni alicuius eorum.* Scotus.

Dices: Ecclesia id non facit; quia non constat, utrùm ita sit. Respondeo; Spiritus Sanctus, qui docet Ecclesiam omnem veritatem, hanc putas eam celavit? Certè, vel ex continua praxi satis constat, quid Ecclesia sentiat de hac veritate. Et verò quid nobis sentiendum sit, ex quo meliùs colligi potest, quàm ex sensu Ecclesiæ? 95. Objectio solvitur.

Herculè si Ecclesia dubitat, an Sacrificium quoad fructum satisfactionis æquè prosit pluribus, atque uni, quidni præscribat, ut pro omnibus simul semper offeratur, si, vel quatenus fieri potest sine præjudicio particularis intentionis? Talis autem præscriptio nullibi extat.

Itaque ratio à priori Conclusionis est voluntas Christi, quæ colligitur ex praxi Ecclesiæ & communi sensu fidelium. Congruentia; quia Sacrificium non habet vim tollendi debitum pœnæ, nisi quatenus habet annexas satisfactiones præteritas Christi: hæc autem annexio non debuit ita fieri, ut haberet virtutem infinitam; sed potiùs contrarium erat congruum. 96. Ratio à priori Concl. voluntas Christi. Congruentia.

Probatur; quia Christus voluit hoc Sacrificium sæpiùs offerri, quod alioquin non fuisset necessarium, saltem pro eadem re; nam oblatum pro uno, v. g. Petro vivente, remitteret ei omnem pœnam, etsi tantam haberet persolvendam, quantam omnes animæ in Purgatorio simul. Immo oblatum pro omnibus simul, tam vivis quàm defunctis, remitteret eis omnes pœnas debitas in Purgatorio, quod est incredibile.

97. *Scotus. Quare potiùs Sacrificium cruentum habeat valorem quasi infinitum quàm incruentum.*

Scitè ergo dixit Scotus suprà n. 24. *Et estò quòd acceptaretur* Sacrificium *ratione voluntatis Christi ut offerentis, hoc est, instituentis oblationem, & dantis sibi valorem & acceptationem, tamen non æquivaleret, nec acceptaretur sicut Passio Christi, & ita esset meritum finitum, cui correspondet debitum virtute Sacrificii.*

Quid miramur? Etenim Sacrificium Crucis erat actio meritoria & satisfactoria, minimè iteranda. Planè ergo conveniens fuit, ut haberet valorem quasi infinitum, qui postmodum finitè, per infinita quasi Sacrificia incruenta, in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, sicut finitè applicatur per Sacramenta.

98. *Intellige in actu 2. nam in actu 1. etiam incruentum potest dici infinitum,*

Alioquin in actu primo, sive quoad sufficientiam, etiam valor Sacrificii incruenti est infinitus, ratione scilicet rei oblatæ, & principalis offerentis, qui est Christus, infinitè dignificans oblationem Sacrificii, in suis quasi infinitis meritis fundatam, suoque factam nomine: attamen in actu secundo virtutem seu effectum infinitum ei non tribuit; sed voluit, ut statim dixi, fructum Passionis in eo finitè applicari.

Quo sensu fructus Passionis applicetur finitè in Sacrificio incruento.

Finitè, inquam, non tantùm in hoc sensu, quòd una Missa applicata omnibus & singulis fidelibus minimè sufficiat perfectè pro illis: aut applicata uni personæ, v. g. defunctæ, non tollat ab illa omnem pœnam debitam, etiamsi hæc pœna major & major in infinitum esse supponatur: hujusmodi enim finitudinem, ut sic loquar, omnes libenter fatentur; sed etiam in hoc sensu, quòd una Missa applicata pro multis, non tantùm singulis prosit, quantùm omnibus; prout praxis Ecclesiæ demonstrat.

99. *Probatur Conclus. ex absurdo quod sequitur ex opposita sententia.*

Profectò ex contraria sententia hoc absurdum sequitur, quòd Sacerdos pluribus ex justitia obligatus, v. g. ratione stipendii, quod à singulis accepit, per unam Missam satisfaceret.

100. *Responsio Vasquezii,*

Respondet Vasquez disp. 231. cap. 3. ubi docet oppositum Conclusionis, Respondet, inquam, Negando Consequentiam. Primò, quia is, qui stipendium tribuit Sacerdoti, non solùm petit ab eo applicationem Sacrificii, sed etiam orationes Ecclesiæ & impetrationem earum, quæ sunt finiti valoris; ac proinde minùs singulis prosunt, si inter plures, quàm si inter pauciores dividantur.

Sed contrà primò: posset pro singulis explicitè orare, ac proinde, juxta nostram doctrinam præcedenti Conclusione explicatam, omnes æqualem effectum impetrationis acciperent, ac si pro singulis seorsim offerret. *Replicatur primo.*

Secundò: impetratio Ecclesiæ est per accidens; nam excommunicatus, aut aliter præcisus satisfaceret suæ obligationi, estò nihil impetraret nomine Ecclesiæ, quæ non vult illo uti tamquam Legato ad aliquid impetrandum. *Secundò.*

Respondet Vasquez secundò: ideo talem Sacerdotem peccare, quia solùm probabiliter solvit, quod debet; nam valor ille infinitus solùm est probabilis. 101. *Secunda responsio Vasquez.*

Sed contrà primò: hoc ipsum satis declarat falsitatem sententiæ Vasquez; cùm ab initio nascentis Ecclesiæ omnes Sacerdotes existimaverint se teneri ad offerendum pro singulis singula Sacrificia. *Replicatur primò.*

Secundò: qui promisit jejunium, satisfacit si probabiliter jejunet. Similiter, qui hodie applicat fructum Sacrificii crastini, estò aliqui doceant illam applicationem non valere. *Secundò.*

Respondet Vasquez tertiò: peccare Sacerdotem in illo casu contra justitiam; quia cùm stipendium detur ratione sustentationis, ut qui altari servit, de altari vivat, justitia ipsa non patitur, ut qui semel ab uno in sustentationem stipendium accepit, ab alio contra ipsius voluntatem sustentetur. 102. *Tertia respondeo Vasquez.*

Sed contrà; Sacerdos in Natali Domini potest accipere stipendium pro secunda & tertia Missa, licèt jam acceperit stipendium & sustentationem pro illa die ab eo, cui applicuit primam Missam. *Refellitur.*

Dices; qui dedit stipendium pro prima Missa, non est involuntarius, ut accipiat Sacerdos aliud pro secunda & tertia. 103. *Instantia contra dicta.*

Respondeo; unde constat quòd ille qui primò obtulit stipendium sit involuntarius, ut Sacerdos pro eadem Missa accipiat plura stipendia, supposito quòd habeat æqualem effectum, ac si pro ipso solo Sacrificium offerretur? Nonne stipendium unius Missæ valde exigua sustentatio est pro una die?

Præterea, si uni liberaliter promisi Sacrum, & ab altero accepi stipendium, saltem tunc potero satisfacere unicâ Missâ, quod est contra communem fidelium apprehensionem, & ideo non admittendum. Igitur sicut magis commune, ita magis probabile est, Missam oblatam pro multis non tantùm eis prodesse, ac si pro singulis offerretur: ut ampliùs ostendo, dum dissolvo illa, quæ alii pro sua sententia objiciunt. 104. *Contra Conclus. assumptum.*

Primò; multiplicatis iis, qui assistunt Sacro, non minùs prodest Sacrificium singulis, quàm si singuli soli adessent: ergo similiter multiplicatis iis, pro quibus offertur, non minùs prodest singulis, quàm si pro singulis soli

solis offerretur. Probatur Consequentia; quia iis, qui assistunt, non aliter prodest ex opere operato Sacrificium, nisi quatenus Sacerdos pro illis offert magis in particulari.

Respondetur. Respondeo Negando Consequentiam. Ad probationem dico primò, valde incertum esse, ut patet ex dictis Conclusione 5. an illi, qui Missæ assistunt, ex eo præcisè acquirant aliquem fructum ex opere operato, id est, infallibilem remissionem alicujus pœnæ. Affirmat quidem Suarius disp. 79. sect. 8. §. *Quartò de cæteris privatis offerentibus*, & probat quatuor rationibus, sed quæ non convincunt, ut statim declaro.

Incertum est an omnes offerentes Sacrificium accipiant fructum ex opere operato. Suarez.

105. Accipere probat Suarez primo. Probat ergo primò; quia oblatio hujus Sacrificii est fructuosa ex opere operato: ergo rationi consentaneum est, ut omnes, qui ad illam verè concurrunt per proprium actum, seu concursum moralem, participent hujusmodi fructum.

Secundò. Secunda ratio est; quia ex ejusmodi concursu plurium offerentium cum ministro resultat quasi unum morale offerens cum majori devotione, reverentiâ & dignitate: ergo respondet illi major fructus ex opere operato cæteris paribus; nam hic fructus definitur juxta devotionem offerentium: ergo hâc ratione respondet singulis offerentibus, ut tales sunt, aliqua pars illius fructûs, juxta uniuscujusque devotionem.

Tertiò. Probat tertiò: sicut usus Sacramenti consistit in receptione, ita ratio Sacrificii in oblatione; sed omnes, qui recipiunt Sacramentum, participant fructum ejus: ergo similiter omnes offerentes per proprium aliquem concursum vel actionem participant fructum Sacrificii.

Quartò. Quarta probatio: Christus hoc modo potuit instituere hujus Sacrificii efficacitatem, & est valde consentanea dignitati ejus, & hominibus conveniens, ut saltem spe fructûs unusquisque devotè offerre studeat juxta capacitatem suam: ergo credendum est ita instituisse.

Confirmatio. Et confirmatur: nam inconveniens esset, quòd audiens Missam, non plus fructûs accipiat ex opere operato ex Missa, quàm ille, qui non audit, si Sacerdotis applicatio erga utrumque æqualis est, & alioquin in hujusmodi effectu nullum est inconveniens, nec aliquid contra illum objici potest, quod difficultatem ingerat; cur ergo negandus est? Hucusque Suarius. Sed hæ rationes, ut anteà dixi, non convincunt.

106. Respondetur ad primum. Ad principalem respondent Adversarii: tota efficacia ex opere operato quantùm attinet ad remissionem pœnæ, provenit ex eo, quòd Sacrificium offeratur in persona Christi: ideo enim hæc illa munda oblatio est, quia nimirum prout est à Christo offerente, semper est munda & acceptabilis, quæ nullâ indignitate aut malitiâ offerentium inquinari potest; jam autem solus Sacerdos offert in persona Christi: adeoque nec ipse habet fructum ex opere operato, quà privata persona est vel Legatus Ecclesiæ; sed in quantum sustinet personam Christi.

107. Responsio ad tertium. Ex quo patet responsio ad tertiam probationem; videlicet disparitas inter Sacramentum & Sacrificium: nam quælibet susceptio Sacramenti est fructuosa, si non sit obex in suscipiente, ut definit Concilium Tridentinum sess. 7. de Sacramentis in genere can. 7. *Si quis dixerit non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper & omnibus, quantùm est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando & aliquibus, anathema sit.* In quo autem Concilio definitur per Sacrificium infallibiliter conferri remissionem pœnæ omnibus illud legitimè offerentibus? Igitur non quælibet oblatio Sacrificii est fructuosa ex opere operato, quod attinet ad infallibilem remissionem pœnæ; sed illa sola, quâ Christus seipsum per Sacerdotem offert.

108. Respondetur ad secundum. Ad secundam probationem negant, effectum ex opere operato crescere ex devotione offerentium; etenim effectus Sacramentorum non crescunt ex bonitate ministri: & aliunde videtur hæc esse mens omnium fidelium, qui quamvis propter impetrationem propriam ipsius Sacerdotis, quærant aliquando magis sanctos & devotos; verumtamen propter fructum Sacrificii, qui provenit ex parte Christi, de hoc minimè sunt solliciti.

Et quis scit, an non ideo dixerit Tridentinum sess. 22. cap. 1. *Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nullâ indignitate aut malitiâ offerentium inquinari potest?* Inquinaretur autem si malitiâ offerentium ejus effectus ex opere operato minueretur.

Sanè si Dominus per famulum malum det eleëmosynam impositam à Confessario in Sacramento Pœnitentiæ, illa non minùs erit satisfactoria ex opere operato, ac si famulus esset bonus. Ergo similiter si quis Sacrificium offerat per Sacerdotem malum, illud non minùs erit satisfactorium ex opere operato, ac si Sacerdos esset bonus.

109. Responsio ad quartum. Ad quartam probationem dicunt, abundè sufficere ad dignitatem Sacrificii, quòd ii, qui Sacrificio assistunt, accipiant majorem fructum ex opere operantis, & etiam quasi ex opere operato per modum impetrationis, quatenus Sacerdos specialiter offert pro circumstantibus juxta dicta Concluf. 5.

110. Sententia Suarii ulterius examinatur. Atque ut sententia Suarii esset vera, videlicet ut omnes assistentes Sacrificio acciperent remissionem alicujus pœnæ ex opere operato, hoc non ideo fieret, quia Sacerdos pro ipsis specialiter offerret; sed quia & ipsi offerrent cum Sacerdote: quare non mirum quòd multiplicaretur fructus pro singulis; nam licèt res

oblata sit eadem, oblationes tamen saltem moraliter multiplicantur pro multitudine offerentium, & singulis oblationibus respondet suus fructus; sicuti si eâdem aquâ, & eâdem asperlione baptizarentur duo homines simul, esset duplex Sacramentum, & duplex effectus. Vide dicta Concl. 7. n. 85. §. *Supponendum secundò.* Porrò ad multiplicationem præcisè eorum, pro quibus offertur idem Sacrificium, non multiplicantur oblationes, sed eadem omnino oblatio dividitur inter omnes.

111. Objectio. Nequaquam, reponit aliquis; nam qui dat stipendium, etiam suo modo, & satis propinquo, offert cum Sacerdote: ergo multiplicatis illis, etiam multiplicantur offerentes, & per consequens multiplicatur fructus Sacrificii.

Responsio. Respondeo: fructus, qui provenit iis ut offerentibus, concedo; qui pendet ex applicatione Sacerdotis, quatenus offert pro illis in persona Christi, nego.

112. Instantia. Instabis; Sacerdos specialiter orat pro circumstantibus: ergo exinde specialis fructus, qui cùm sit finitus, adhuc utilius erit audire Missam solus, quàm cum aliis.

Solutio. Respondeo; Sacerdos orans in *Memento* pro circumstantibus, non applicat illis nisi fructum impetrationis; alioquin cùm tota essentia Sacrificii, secundùm multos Doctores, in sola consecratione consistat, pejoris essent conditionis defuncti, pro quibus oratur post consecrationem, & per consequens, quibus non potest applicari fructus Sacrificii præcedentis. Jam autem fructus impetrationis, ut suprà explicavimus, suo modo est infinitus, ac proinde non provenit detrimentum singulis ex consortio aliorum, nisi fortè per accidens, quatenus multitudo eorum facit, quòd Sacerdos non possit ita distinctè & sigillatim ac studiosè orare pro singulis, ac si essent soli.

113. Devotio Sacerdotis non minuitur propter multitudinem eorum pro quibus sacrificat. Cæterùm putat Scotus Quodl. 20. nu. 7. devotionem Sacerdotis non minui propter multitudinem: *Distractio*, inquit, *non necessariò concurrit ex hoc, quòd pro pluribus celebratur, quia non oportet celebrantem pro multis, tunc de eis actu cogitare; sed sufficit, quòd antè recollegerit istos, pro quibus intendit specialiter orare, & intentionem suam talem Deo obtulerit. Ex tunc enim, si tantùm in communi memoriam eorum habeat, hoc sufficit; quia Deus oblationem & devotionem suam pro illis acceptat, pro quibus ordinavit priùs se velle offerre: & in isto casu verum est, quòd propter multitudinem attentio actualis ad singulos minuitur; quia non est ad eos, nisi in communi; sed devotionem, quæ est motus mentis in Deum, non oportet minui.*

Probatur à Scoto. & exemplificatur. Exemplificat: *Non minùs devotè celebrat quis de omnibus Sanctis, quàm de uno Sancto: quia etsi minùs distinctè attendat ad quemlibet, tamen attentio ad totam communitatem sufficit ad devotionem, non tantùm æqualem, sed maiorem, quàm sufficeret attentio ad unum eorum; nisi fortè ad illum, in quo eminenter est illud, quod est materia devotionis ad omnes, qui est solus Deus trinus: sic quando oratur pro multitudine, sive communitate indigente, ut impetretur sibi bonum, quo indiget, maior compassio potest haberi, & ita maius desiderium impetrandi illud, quo indiget, quàm si pro uno indigente oraretur, & ita non minuitur ibi devotio, licèt minuatur intentio actualis & distincta.*

Et his infert Doctor: *Non ergo minus bonum tunc impetrat singulis propter diminutionem devotionis, sed propter hoc solum, quod merito suo correspondet aliquod bonum certum, & hoc in quocumque eodem gradu, scilicet reddendum illi, cui valet specialissimè, vel illis, quibus valet generalissimè: vel etiam illi, vel illis, quibus valet medio modo, & per consequens in isto tertio gradu, in quo loquimur, si est maior extensio, est minor intensio unicuique.* Atque hæc sufficiant pro responsione ad primam objectionem. Concl. Doct. non minus bonum impetrat singulis propter minorem devotionem, sed aliam ob eius.

Arguitur secundò; res oblata in Sacrificio Missæ habet infinitum valorem. Respondeo, valorem oblationis non tam sumi ex re oblata, quàm ex offerente. Alioquin oblatio, quâ Beata Virgo suum Filium obtulit in templo, fuisset infiniti valoris. Similiter licèt Sacrificium Crucis haberet infinitum valorem, prout à Christo summo Sacerdote offerebatur, equidem oblatio Beatæ Virginis, & aliorum, qui Cruci astabant, tametsi animo offerrent Deo illud idem Sacrificium, erat indubiè finiti valoris. 114. Objectio secunda solvitur. Valet oblationis non tantum ex re oblata quàm ex offerente,

Ista (oblatio Eucharistiæ) *non est accepta* (inquit Scotus suprà nu. 21.) *nisi sit offerentis accepti, iuxta illud Gen. 4.* Respexit Deus ad Abel, & ad munera ejus. *Priùs ad Abel, quàm ad munera. Et iuxta illud Luc. 21.* Vidua hæc paupercula plures, quàm omnes misit: *quia ex voluntate magis acceptâ. Et Gregorius in Homilia super illud Matth. 4.* Ambulans Jesus &c. Nec pensat Deus, quantùm in ejus Sacrificio; sed ex quanto deferatur affectu. *Vnde si Iudæus obtulisset Patri Christum volentem, vel non volentem, non fuisset ista oblatio ita accepta à Patre, sicut quando Christus sponte se obtulit: immo non fuisset accepta, iuxta illud Ecclesiastici 34. Qui offert Sacrificium ex substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu Patris.* Gen. 4. Luc. 21. Probatur ex Scriptura & Dionysio. Eccli. 34.

Dices; in hoc Sacrificio etiam offerens est infinitè acceptus Deo, & ex infinito offert affectu. Patet; quia Christus est principalis offerens, cujus omnia opera quasi infinitè dignificantur ex Persona Divina. *Vna* (inquit Tridentinum sess. 22. cap. 2.) *eademq; est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversa.* Quidni ergo & idem valor, sicut tunc infinitus, ita quoque nunc? 115. Instantia ex infinite principalis offerente. Tridentinum.

Respondeo; quia Sacrificium cruentum, fuit opus, ut suprà adhuc diximus, verè meritorium gratiæ & gloriæ, & satisfactorium ad sufficientiam pro peccatis totius mundi. Nam, ut Solutio. Sacrificium cruentum fuit satisfactorium ad

ut ait Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 2. *Hunc* (Christum Jesum) *proposuit Deus propitiationem per fidem in Sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solùm autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.*

Et sequitur cap. 3. *Verùm etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum Passionis eius communicatur*, per Sacramenta & Sacrificium incruentum.

Communicatur, inquam, non indefinitè, & indeterminatè, sed prout Spiritus Sanctus vult. Vult autem & disponit omnia in numero, pondere, & mensura. *Unicuique enim nostrum* (ait Apostolus ad Ephes. 4. v. 7.) *data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.*

Ephes. 4.

116. Disparitas assignatur inter Sacramentum & Sacrificium.

Sed contrà; Sacramentum simul applicatum pluribus, causat æqualem in omnibus effectum, estò limitatum: ergo similiter Sacrificium, quod solùm intendunt Adversarii.

Respondeo disparitatem esse, quòd Sacramentum pro multiplicitate suscipientium multiplicatur: licèt enim unica sit, v. g. ablutio, sive aspersio activa in Baptismo, aut absolutio in Sacramento Pœnitentiæ; equidem tot sunt Sacramenta, quot homines absolvuntur, vel abluuntur: at verò Sacrificium, sive uni, sive pluribus applicetur, semper est unicum; siquidem in iis, pro quibus offertur, minimè subjectatur, prout Sacramenta recipiuntur in iis, quibus applicantur.

117. Objectio tertia. Bonum spirituale proportionatur spiritui.

Arguitur tertiò: bonum spirituale proportionatur spiritui, & spiritus, v. g. Angelus est ubique totus, & non per partes communicatur; sed est totus in toto, & totus in singulis partibus: ergo bonum spirituale, & per consequens fructus Sacrificii communicatur sine divisione, & ita non diminuitur, licèt pluribus communicetur.

Responsio desumpta ex Scoto. Spiritus numeraliter distinguitur a spiritu.

Respondet Scotus n. 8. *Spiritus etsi extensivè non dividatur, tamen numeraliter spiritus à spiritu distinguitur: sunt enim singulorum corporum animatorum singulæ animæ: & illæ habent bonitatem naturalem magis extensivè, quàm una ex eis: immo æquivalentem bonitati magis intensæ secundùm illud Divi Augustini 7. Trinit. cap. 6.* Plùs sunt aliquid homines duo, quàm unus homo. *Et per hoc distinguitur pluralitas in Divinis à pluralitate in creaturis, quia plùs aliquid hic sunt duo, quàm unum, non sic ibi: Unde subdit:* Non enim major essentia est Pater, & Filius & Spiritus Sanctus simul, quàm solus Pater, aut solus Filius. *Bonitates etiam plures spirituum sunt maioris valoris, & ideo requirunt plura bona, vel unum maius bonum, propter quod retribuantur.*

S. Aug.

Bonum spirituale communicatur cum distinctione.

Non enim qui orando meretur vivificare unum mortuum, eâdem ratione, æquè meretur vivificationem quorumcumque mortuorum. Ita dico quòd bonum spirituale communicatur sine divisione quantitativa: secundum extensionem tamen communicatur cum distinctione, scilicet alind alteri, & ita requirit distinctum meritum, propter quod reddatur, & hoc dico æquale intensivè.

Et si instes; saltem bonum spirituale non communicatur per partes: ergo si virtute hujus Missæ debetur bonum utrique tamquam unum totale præmium, illud non reddetur per partes, sic scilicet quòd pars dabitur uni, & pars alteri. 118. Instantia.

Respondet Doctor n. 9. ex Divo Augustino 6. de Trinit. cap. 8. *In his, quæ non mole magna sunt, hoc est maius esse, quod est melius esse.* Subsumit: *Duo verò bona æqualia sunt meliora altero; ergo in eis est maior bonitas: maius autem licèt non possit actu dividi, tamen toti æquantur plura parva, quàm medietati, & in illis parvis est distinctio, & pro illo uno magno, licèt in se indivisibili, tamen divisibili, vel magis distinguibili in æquivalentia possent illa multa reddi.* Cui satisfit ex D. Augustino. Duo bona æqualia sunt meliora altero.

Applicat ad propositum: *Sic hìc, tanto merito debetur adæquatè tantum; illud in se dividi non potest, sed tamen illi æquivalere possunt multa bona minora, & ita ipsum potest dividi valore, dum pro ipso diversa bona minora distinctè reddantur. Non ergo illud bonum spirituale realiter per partes datur, sed datur in multis bonis minoribus, quæ respectu illius boni habent partialem valorem.*

Si urgeas; qui spiritum recipit, totum spiritum recipit: ergo similiter qui aliquod bonum spirituale recipit, recipit ipsum totum. 119.

Respondet Scotus: *Si possibile esset eundem spiritum distribui multis in valore, sicut hic est possibile de bono reddendo virtute orationis, unicuique minus bonum daretur: & fortè etiam realiter spiritus minus communicaretur, si transcenderet suum susceptivum proportionatum; sicut fortè anima non æquè vivificaret corpus quantumcumque crescceret; sed passo proportionato æque communicatur: in proposito receptivum proportionatum bono illi, quod est reddendum pro merito, est una persona, & quod datur illi, datur non per partes.* Ita Scotus de hoc argumento. Aliud argumentum dissolvitur ex Scoto. An anima æquè vivificaret corpus quantumcumque crescceret.

Breviter quis respondere posset, Negando Consequentiam. Quæ enim conventio substantiæ spiritualis ad accidens spirituale? Nonne quia substantia spiritualis non est capax intensionis aut remissionis, ideo nec accidens spirituale? Si autem accidens spirituale est capax intensionis, de quo nemo dubitat, quidni sit divisibile? Et verò remissionem pœnæ, quæ est effectus Sacrificii, de quo præcipuè hìc disputatur, quis ambigat esse divisibilem, sicuti est ipsa pœna? Sed pergamus ad alia. Accidens spirituale est capax intensionis.

Arguitur ergo quartò, aliqua corporalia non minùs communicantur, etsi pluribus communicentur. Patet de lumine candelæ simul illuminantis plura illuminabilia, & æqualiter, sicut illuminaret quodlibet istorum per se. Patet etiam in voce, quæ æqualiter simul immutat auditum quemcumque multorum audientium, sicut immutaret unum illorum solùm: ergo &c. 120. Objectio quarta. Lumen candelæ simul plura æqualiter illuminat.

Respon-

Responsio ex Doctore Subtili.

Respondet Doctor Subtilis n. 11. *Passi proportionati agenti potest qualibet pars æquè perfici: ita saltem quòd una non minùs perficitur, si alia perficiatur, quàm si sine illa perficeretur; quia enim totum est primò proportionatum agenti, ideo pluralitas partium, quæ includuntur in isto toto, non impedit perfectionem actionis in omnes sicut nec in totum includens eas; sed si uni passo proportionato adderetur aliud passum, illud non operteret æquè perfici ab agente, sicut si solùm reciperet actionem agentis: hoc patet in illis exemplis.*

Pars passi proportionati non minùs perficitur quod simul aliæ perficiantur.

Allegantur varia exempla,

Lux enim & sonus, & similia, quantùm est de se, multiplicant se sphæricè: passum ergo proportionatum tali agenti quantumcumque sit parvum, cùm tamen sit sphæricum, includit partes: & illæ, quæ sunt partes eiusdem sphæræ circumstantis lumen, æquè illuminabuntur. Hoc est, tantùm illuminabitur medium secundùm unum diametrum eiusdem sphæræ circa candelam, sicut secundùm alium; sed si accipiatur alia sphæra remotior à candela ambiens primam sphæram acceptam circa candelam, illa non æquè illuminabitur, sicut prima.

dissimilia à casu proposito,

Quod ergo dicitur, quòd æquè illuminantur plura illuminabilia sicut unum, verum est, quando illa plura sunt partes eiusdem illuminabilis adæquati, puta quando sunt contenta in eadem sphæra, sive intrà eandem sphæram respectu illuminantis, ut centri. In proposito autem duo illi, pro quibus oratur, non sunt per se partes unius, quod sit susceptivum adæquatum boni reddendi virtute orationis: sed uterque per se est susceptivum adæquatum. Hactenus Scotus.

121. secundùm præsentem Dei voluntatem.

Cæterùm, quin sic potuerit Deus efficere, ut Sacrificium æqualiter prodesset multis, sicut multi æqualiter ab eadem candela illuminantur, nulla est ratio dubitandi: equidem voluit de facto, ut valor Missæ esset, sicuti in pecunia, vel in jejunio nostro, quæ divisa inter multos, minus prosunt.

Unde (dicunt quidam) si tot hominibus applicaretur unum Sacrificium, ut ad singulos secundùm aliquam sui partem fructus non posset extendi, nemini aliquid conferretur, cùm non esset ratio quare potiùs uni, quàm alteri conferretur, sed totum remaneret in thesauro Ecclesiæ, quousque fructus ille, accessu aliorum Sacrificiorum ita augeretur, ut omnes aliquid ex eo valerent participare. Ita illi.

Numquam tot applicatur Sacrificium, quin ad singulos secundùm aliquam partem extendatur.

Quod si verùm est, manifestè probat reviviscentiam Sacrificii, quam quidem aliqui asserunt; sed sine fundamento. Mallem ergo dicere numquam tot hominibus simul posse applicari unum Sacrificium, quin fructus ejus ad singulos secundùm aliquam sui partem, quamquam minimam, possit extendi.

122. Objectio ultima ex auctoritate D. Hieronymi.

Ultimo loco arguitur ex auctoritate Divi Hieronymi, quæ habetur de Consec. dist. 5. cap. *Non mediocriter* 24. ubi inter alia sic legitur: *Dum igitur pro cunctis* (aliàs centum) *animabus Psalmus, vel Missa dicitur, nihil minus, quàm si pro una qualibet ipsarum diceretur, accipitur.*

Ad hanc auctoritatem, *Glossa*, inquit Scotus n. 12. *ponit ibi duplicem responsionem. Una est referens hæc ad ipsum celebrantem, ut sit sensus:* nihil minùs accipitur, *supple*, pro ipso celebrante; *quia sive pro uno, sive pro multis dicatur, semper valet specialissimè celebranti, & æqualiter, quando est æquè dispositus, & æquè ordinatè facit hoc, quod facit: hoc est, æquè celebratur pro multis, quando pro multis, & pro uno, quando pro uno.* Responsio duplex ex Glossa. Prima.

Alia responsio Glossæ est ibi referens ad casum, in quo loquitur, quòd scilicet non minùs valet una Missa pro centum animabus cum cordis hilaritate, quàm si pro quolibet uno diceretur cum anxietate. Præmittitur enim ibi sic: Melior est quinque Psalmorum decantatio cum cordis puritate ac serenitate, ac spirituali hilaritate, quàm totius Psalterii modulatio cum cordis anxietate, ac tristitiâ. *Et tunc subditur illud quod adductum est.* Dum igitur pro cunctis &c. Secunda. Melior et brevis oratio ferenda, quam longa & tristis.

Et hoc secundum fuit fortè specialiter secundùm intentionem Beati Hieronymi, volentis loqui ad consolationem Monachorum, quòd si pro multis teneantur orare; tamen non oportet tot Psalmos legere, quia vergeret in fastidium: sed melius satisfacit illis, si pro eis dicantur pauciores, & cum hilaritate; melius etiam valet dicenti, si potest stare cum obligatione eius. Hæc Scotus. Non tango autem, quòd illa verba: *Dum igitur* &c. nusquam reperiantur in Hieronymo, ut fatetur ipse Vasquez n. 28. Vasquez dicit dictum auctoritatem esse in Hieronymo.

123. Non licet fructum Sacrificii soli debitum, pluribus applicare.

Ex dictis infertur, minimè licere fructum Sacrificii, uni soli debitum, pluribus applicare, etiam suppositâ probabilitate oppositæ sententiæ: siquidem fideles, qui Sacerdotes stipendio, vel alio modo ad celebrandum pro se obligant, intendunt sibi applicari fructum Sacrificii certiori modo, quo possunt. Unde si scirent aliquem Sacerdotem idem Sacrificium offerre pro multis petentibus, nulli ab eo Missas peterent, vel stipendium ei darent. De quo plura Sectione sequenti.

Impræsentiarùm una supereſt difficultas, & quæstio, utrùm videlicet in eo, pro quo offertur Sacrificium requiratur aliquis consensus, vel alia dispositio actualis, ut possit acquirere ejus fructum. Responsio erit

CONCLUSIO IX.

Ad percipiendum fructum Sacrificii, non requiritur in eo, pro quo offertur, aliquis consensus, vel alia dispositio actualis. Equidem meliorem fructum recipiet pro meliori dispositione, sive actuali, sive etiam habituali.

124. Probatio prima pars.

RAtio primæ partis est; quia ille, pro quo offertur Sacrificium, non concurrit activè, sed

sed solùm habet se passivè, sicut ille, pro quo aliquis jejunat, vel offert alia pia opera: ergo non requiritur ejus cooperatio, sed ignorans, & nihil agens poterit illum fructum recipere, non tantùm impetrationis, sed etiam satisfactionis.

An positivè dissentiens reciperet fructum? Affirmat Lugo & probat à simili in Baptismo.

Numquid etiam positivè dissentiens? Affirmat Lugo disp. 19. n. 196. Probat à simili; quia non potest aliquis quando baptizatur, impedire, ne Baptismus afferat remissionem pœnæ, etiamsi positivè nolit illud beneficium, si tamen vult ritè baptizari: quod idem de Martyre dicendum est. Ergo similiter de illo, pro quo offertur Sacrificium: tam enim effectus Sacrificii provenit ex præterita satisfactione Christi applicatâ, quàm effectus Baptismi, aut Martyrii.

125. Objectio.

Sed contrà; in illo, qui baptizatur, requiritur positiva voluntas: ergo etiam in illo, pro quo offertur Sacrificium. Numquid ad verum Martyrium requiritur voluntaria perpessio mortis? Indubiè. Ergo similiter ut Sacrificium pro me censeatur oblatum, necessaria erit voluntaria ejus acceptatio.

Solutio. Qui baptizatur est subjectum Sacramenti.

Respondeo Negando Consequentiam. Disparitas est, quòd ille, qui baptizatur, sit subjectum, non tantùm effectûs Sacramenti, sed etiam ipsius Sacramenti; & aliunde constat ad valorem Sacramenti ex Christi institutione necessariam esse in adultis voluntariam ejus receptionem. Pariter cùm Martyrium adultorum sit actus aliquis virtutis, ut suo loco diximus, & testimonium, quod redditur veræ fidei, quomodo potest esse verus Martyr, qui positivè invitus occiditur? At verò Sacrificium est actio solius offerentis, & in ipso solo subjectatur, cum potestate fructum ejus applicandi cuicumque voluerit: ergo non possum impedire effectum, ad quem ego nullo modo concurro.

Martyrium est actus virtutis.

Sacrificium est actio solius offerentis.

Breviter, oblatio Sacerdotis est verum Sacrificium velit nolit ille, pro quo offertur; quid ergo mirum si etiam positivè dissentienti conferat suum effectum? At verò non est verus Baptismus, aut verum Martyrium absque proprio consensu Martyris, aut illius, qui baptizatur, si proprii consensûs sit capax, Deo ita volente.

126. Sacrificium secundùm cujusque dispositionem est operativum.

Cæterùm quemadmodum Baptismus & alia Sacramenta conferunt suum effectum secundùm mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem, quidni similiter Sacrificium?

Ratio à priori.

Et ratio à priori est, quia per Sacrificium, prout etiam per Sacramenta, substituitur satisfactio Christi in locum satisfactionis propriæ: sicuti ergo propria satisfactio causaret plùs vel minùs remissionis pœnæ Purgatorii, juxta mensuram dispositionis satisfacientis; ita quoq; satisfactio Christi, applicata per Sacrificium, juxta mensuram dispositionis ejus, pro quo Sacrificium offertur.

127. Objectio solvitur.

Si dixeris, in Sacrificio totus effectus pendet ab applicatione Sacerdotis. Respondeo, etiam in Sacramento Pœnitentiæ effectus satisfactionis Sacramentalis pendet ab intentione Sacerdotis, & tamen ad illum concurrit dispositio satisfacientis.

Ad effectum satisfactionis sacramentalis concurrit dispositio satisfacientis.

Planè, inquis, concurrit, quoniam ipse pœnitens propriis operibus satisfacit: hic autem quid? Etiam renitenti, ut dictum est, confertur remissio.

Contrà; satisfactio sacramentalis non tantùm habet effectum ex opere operantis, verùm etiam ex opere operato, in quantum præcisè imponitur à Confessario & ad esse sacramentale elevatur per absolutionem.

128. Disparitas inter satisfactionem propriam alteri applicatam, & Sacrificium.

Instabis, satisfactio propria alteri applicata, non operatur juxta ejus dispositionem: ergo &c.

Respondeo; disparitas est, quòd hęc satisfactio totum suum valorem habeat ex dignitate operantis, & operis: porrò Sacrificium, præter valorem quem habet ex opere operantis, qui non crescit ex meliori dispositione ejus, pro quo Sacerdos Sacrificium offert, insuper valet ex opere operato, quatenus per illud applicantur satisfactiones Christi, independenter à bonitate offerentis simili modo, quo applicantur per Sacramenta. Quidni ergo secundùm dispositionem subjecti?

129. Replica.

Quia, replicas, Sacerdos ita potest pro suâ libertate applicare effectum oblationis, ut possit illum æqualiter dividere inter duos, & tunc singuli habebunt æqualem effectum, licèt unus sit sanctior alio & magis devotus.

cui satisfit. Sacrificans non determinat immediatè effectum, sicuti Papa concedens Indulgentiam.

Respondeo; Sacerdos solùm applicat virtutem Sacrificii quasi in actu primo, & ita dimidia pars habebit majorem effectum in uno, quàm in alio, quia æqualis causa magis operatur in subjecto meliùs dispositio. Non ergo determinat Sacrificans immediatè effectum, sicuti Pontifex concedens Indulgentiam, determinat remissionem tantæ vel tantæ pœnæ unius, duorum vel plurium annorum; sed partem causæ, vel efficaciæ in actu primo ad causandum talem vel talem effectum.

130. Inæqualitas effectûs colligitur ex verbis Canonis.

Hanc inæqualitatem effectûs videntur indicare illa verba Canonis: *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio.* Cùmque loquantur generaliter, non est ratio sufficiens illa restrictè intelligendi de sola devotione erga hoc Sacrificium, sed intelligenda sunt de omni prorsus devotione & fide.

Dispositionis actualis & habitualis eadem ratio.

Porrò quæ dispositionis actualis, eadem est ratio habitualis. Unde gratia habitualis non tantùm habet se in Sacrificio tamquam removens prohibens, sed etiam tamquam positivè disponens, simili modo, quo disponit in Sacramentis; quidquid contradicat Suarius disp. 79. sect. 10, ubi tenet oppositum nostræ Conclusionis propter argumenta jam soluta.

Suarez.

131. Oppositum Conclus. post Suarium docet Coninck, quantùm ad remissionem pœnæ;

Suarius sequitur Regius q. 83. n. 171. dicens: Fructus hujus Sacrificii, qui consistit in remissione pœnæ temporalis, non crescit pro magnitudine dispositionis ejus, pro quo offertur. Probat: quia cùm hæc remissio fiat per solam extrinsecam condonationem, nec homo propriè per eam fiat melior, aut aliquid positivi

acquirat, non dantur propriè ad illam aliquæ dispositiones, quarum una sit aliâ melior; sed hæ solùm dantur ad effectus aliquos positivos. Secùs est de Sacramentis, quæ conferunt gratiam habitualem, ad quam datur dispositio major aut minor.

sed de gratiis prævenientibus nobiscum sentit.

Addit n. 172. Quòd si loquamur de gratiis prævenientibus, est satìs probabile, hunc effectum communiter esse majorem in meliùs dispositis. Tum quia eadem gratia in actu secundo communiter efficacior est in meliùs disposito; tum etiam, quia, etsi Deus sæpè etiam maximè indispositos & indignissimos ex inscrutabili judicio maximis gratiis præveniat, tamen sæpè etiam in iis conferendis respicit aliquâ hominis dispositionem. Unde communiter majores gratias confert justis, quàm injustis, & tunc potiùs quando homo aliquo modo est ad pietatem aptior, quàm quando omnino est immersus vitiis. Ita Regius.

132. Hæc sententia rejicitur,

Sed numquid etiam in conferenda remissione pœnę temporalis, Deus respicit aliquam dispositionem hominis? Communis sententia requirit statum gratiæ, ut vidimus Conclusione tertiâ. Cur ergo magìs justis non conferet majorem effectum remissionis pœnæ temporalis?

Remissio pœnæ temporalis ex opere operantis fit secundùm dispositionem subjecti,

Et verò remissio pœnæ temporalis ex opere operantis, nonne & ipsa fit per solam extrinsecam condonationem? Quis ideo negat eam fieri secundùm dispositionem subjecti?

Sanè qui majorem gratiâ & sanctitatem habet, sicut per actum jejunii cæteris paribus plùs gratiæ meretur, quàm alius, qui est minùs gratus, sic per idem jejunium magìs satisfacit: ad utrumque enim effectum attenditur dignitas personæ merentis & satisfacientis; & ideo opera Christi habebant quasi infinitum valorem in ratione meriti, & in ratione satisfactionis.

133. utì etiam quando est effectus satisfactionis sacramentalis, Lugo.

Præterea, quando remissio pœnæ temporalis est effectus satisfactionis sacramentalis, numquid homo per eam fit melior, aut aliquid positivi acquirit? Et tamen tunc major est, vel minor pro quantitate dispositionis pœnitentis, ut docet Lugo de Pœnit. disp. 25. n. 26. & 27. consequenter ad illa quæ hìc docuerat disp. 19. n. 200. & seqq. ubi tenet nostram Conclusionem.

aut absolutionis,

Et quamvis fortè Regius negaret, satisfactionem sacramentalem conferre remissionem pœnæ temporalis secundùm dispositionem pœnitentis, equidem negare non posset, per absolutionem sacramentalem, quando simul cum culpa remittitur, & commutatur pœna æterna in temporalem, commutari in minorem, si subjectum sit meliùs dispositù: ergo non sola gratia habitualis, vel actualis, sed etiam remissio pœnæ potest pendêre à mensura dispositionis: cur ergo non pendebit, quando per Sacrificium confertur?

134. In eo, pro quo sacrificatur, requiritur

Ex his infero cum communi sententia: ergo in eo, pro quo offertur Sacrificium, requiritur indigentia actualis: nam sicut satisfactio Sacramentalis, aut absolutio non delet pœnam pro peccatis futuris sic nec Sacrificium; hoc enim esset dare quamdam impunitatem peccandi; & aliunde solutio ex natura sua supponit debitù.

quatenus ita dignatus actualis.

Unde reprobatur ab omnibus consuetudo illorum, qui nunc applicant Missas pro illis, qui postea illas petent, & stipendium sustentationis offerent. Siquidem periculum est, quòd intentioni petentium non satisfiet, vel quia adhuc vivunt, pro quibus postea defunctis petetur Sacrum, vel quia tunc non habent debitum pœnæ persolvendæ, vel quia sunt incapaces fructûs satisfactionis &c.

Vide remonstrantem fuisse quotidianam applicationem Missæ pro populo per totum annum.

Meritò ergo illa praxis tamquam periculosa, 135. ut periculosa & scandalosa, & contraria vetustissimo Ecclesiæ mori eliminanda mandatur à Congregatione Concilii Tridentini in responsione missa ad Cardinalem de Guevarra Archiepiscopum Hispalensem 15. Novemb. an. 1605. sub Paulo V. sub his verbis: *Omnes uno ore in eam sententiam iverunt, ut hujusmodi usus his Missas applicandi, qui postea eas petituri, vel in id stipem collaturi sunt, tamquam periculosus, scandalosus, atque adversus vetustissimum Ecclesiæ morem in istas Regiones, nonnullorum Theologorum opinione, non ita pridem invectus, prorsus tollatur, atque eliminetur.*

scandalosa & vetustissimo Ecclesiæ morí contraria. Decius, Card.

Rectè autem advertit Lugo disp. 19. de Eucharistia, n. 209. licet non possim ego hodie satisfacere pro peccato nondum commisso, possum tamen hodie orare pro auxilio in necessitate futurâ; sicut orabat David Psal. 70. v. 9. *Ne projicias me in tempore senectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Similiter ergo poterimus hodiernum Sacrificium offerre ad impetrandum divinum auxilium pro necessitatibus futuris. Interim, quia effectus satisfactionis præcipuus est, meritissimò Congregatio Cardinalium prædictam praxim statuit prorsus tolli atqui eliminari.

Possum hodie orare pro auxilio in necessitate futura, Lugo. Psal. 70.

136. Non est in potestate Sumentis fidelem effectum Sacrificii.

Nec minùs, imò magìs eliminanda est consuetudo aliquorum, qui, cùm non habeant stipendium pro Sacro faciendo, celebrant sine applicatione, applicaturi postmodum illi, qui dato stipendio Sacrum ad sui intentionem fieri postulabit: quasi verò in potestate ipsorum sit effectum Sacrificii suspendere, magìs quàm effectum Sacramentorum.

Sufficit in plerisque applicatio habitualis

Fateor, sufficit applicatio habitualis (de qua fusè egimus disp. 1. sect. 7. concluſ. 7.) quoniam non est Sacrificii effectiva, sed intentionem Sacrificii comitatur, & dirigitur ad Deum, ut fructum futuri Sacrificii conferat ei, cui illum Sacerdos ex nunc donat, supposito quòd sit sacrificaturus, aut non revocet; sufficit, inquam, si tamen applicatio actualis facta fuerit antequam Sacrificium fit perfectum, imò fortè ante consecrationem, saltem Calicis; ne aliàs fideles fortassis frustrentur fructu Sacrificii, quem multi putant conferri statim post peractam consecrationem, utpote in qua essentialiter consistat ratio Sacrificii.

Et dato,

Et dato, quòd sufficeret applicatio ante sumptionem Sacramenti, quæ saltem est pars integralis Sacrificii, satis constat effectum non suspendi post peractum & integraliter completum Sacrificium ad libitum Sacerdotis; in cujus certè potestate non aliter est Sacrificii effectus, quàm sit ipsum Sacrificium: sicuti in potestate ministri non aliter est effectus Sacramenti, quàm ipsum Sacramentum.

137. Per Missæ Sacrificium ubertimè percipiuntur fructus Sacrificii cruenti.

Finio Sectionem, & ingenuè fateor, plurima, quæ in ea diximus, valde incerta esse, cùm pendeant à voluntate Christi, de qua non satis constat, vel ex Scriptura, vel ex Conciliis, aut Traditione. Firmissimè autem teneas, & nullatenus dubites, per hoc divinum ac sacrosanctum Missæ Sacrificium ubertimè percipi fructus Sacrificii Crucis, tantùm abest ut oblationi cruentæ per incruentam quovis modo derogetur.

Cumq; natura hominum ea sit (utor verbis Tridentini sess. 22. cap. 5.) *ut non facilè queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissâ voce, aliâ verò elatiore, in Missa pronuntiarentur, instituit. Ceremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaq; id genus multa, ex Apostolica disciplina & traditione, quo & majestas tanti Sacrificij commendaretur, & mentes Fidelium per hæc visibilia Religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.* De his itaque visibilibus signis instituitur

SECTIO QVINTA.

De solemnibus Missæ Sacrificii ceremoniis.

1. Missæ Sacrificium, omni Religionis cultu ac veneratione est celebrandum. Trident.

LIbet hanc Sectionem auspicari ab illis verbis Concilii Tridentini sess. 22. in decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ: *Quanta cura adhibenda sit, ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur, quivis facilè existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris Litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessariò fatemur, nullum aliud opus adeò sanctum ac divinum à Christi fidelibus tractari posse, quàm hoc ipsum tremendum Mysterium, quo vivifica illa hostia, quâ Deo Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur, satis etiam apparet omnem operam ac diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditiâ & puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.*

Et quidem de interiori cordis munditia & puritate sufficimè egimus disputatione præcedenti sect. 10. per totam. Impræsentiarùm autem tractandum erit de exteriori devotionis ac pietatis specie, id est, de tempore, loco, aliisque circumstantiis hujus Sacrificii. Sit itaque

CONCLUSIO I.

Vi Sacerdotii præcisè non obligantur sub mortali singuli Sacerdotes ullo tempore celebrare.

2. Non est gravis obligatio Sacerdotis præcisè celebrandi aliquo tempore:

VIdetur esse sententia D. Bonaventuræ 4. dist. 12. art. 2. q. 1. ibi: *Si autem Sacerdos non vivat de altari, sed in libertate sua remaneat, non tenetur magis* ad Sacramentum Eucharistiæ accedere, *quàm alius homo ex debito; sed magis ex bono, & æquo.* Eandem tenet Victoria in Summa num. 94. citans Caietanum parte 3. q. 82. a. 10. S. Bonav. Victoria. Caietanus.

Quod autem Adversarii dicunt, illum articulum seu commentarium articuli expunctum fuisse jussu Pii V. Pontificis Maximi in Romana editione, neutiquam probat hanc sententiam esse falsam & improbabilem; sed cùm Caietanus esset Archithomista, ageretque non solùm commentatorem, sed propugnatorem quoque sententiarum D. Thomæ, noluit Pontifex (ipse quoque Thomista) ut extaret, maximè in Romana illa editione suâ auctoritate Pontificiâ editâ, sententia manifestè opposita Doctori Angelico. Quamquã, ut bene notavit Victoria suprà, D. Thomas non exprimat hoc esse mortale.

Plures alios refert Suarius disp. 80. sect. 1. pro hac sententia dicens, non videtur posse negari, quin probabilis sit, ita ut qui se illi practicè conformarit, à peccato mortali excusari possit. Ratio, quia præceptum, præsertim sub peccato mortali, asserendum non est sine fundamento, quod moraliter convincat, hìc autẽ nullũ apparet hujusmodi, ut patebit ex eorũ solutionibus. pro quâ sententia plures Auctores citat Suarez. Ejus probatio.

Primum eruitur ex illis verbis D. Ambrosii: *Grave est, quòd ad mensam tuam mundo corde, & manibus innocentibus non venimus; sed gravius, si dum peccata metuimus, etiam Sacrificium non reddamus.* Sed primum est mortale: ergo & secundum. 3. Objicitur I. auctoritas D. Ambrosii,

Respondet Doctor Seraphicus: *Dicendum quòd loquitur de talibus, qui tenentur* (ex assumpto officio curæ pastoralis) *vel si de omnibus, tunc loquitur de immunditia veniali, non mortali.* Alioquin falsa esset sententia ibi contenta; nam indubiè gravius peccatum est, celebrare in mortali, quàm omittere celebrationem Sacrificii: minus autem peccatum esse posset, celebrare in peccato veniali, quàm non celebrare. Ad quam respondet D. Bonaventura. Secunda respons. quòd auctoritas ista in Ambrosio non reperiatur.

Omitto illa verba in Divo Ambrosio non reperiri, ut contrariæ sententiæ Doctores

fatentur, vel si aliqus in eo legerit, cur non citat librum aut locum, ut & alii invenire aut legere possint?

4. Objicitur 11. auctoritas Innocentii III.

Secundò argumentantur Adversarii ex Innocentio III. cap. *Dolentes* 9. de Celebr. Missarum, ubi inter alia quorumdam Sacerdotum peccata refert, quòd aliqui vix quater in anno celebrant, & postea subjungit: *Hæc & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus.*

quæ non convincit,

Sed neque hoc argumentum aliquid convincit; quia nusquam apparet præceptum pluries quàm quater in anno celebrandi. Exscribo totum caput, quia notabile est, & ex contextu facilè unusquisque cognoscet, quæ fuerit mens Pontificis.

ut patet legenti textum,

Dolentes referimus (inquit Innocentius III. in Concilio Lateranensi cap. 17.) *quòd non solùm minores quidam Clerici, verum etiam aliqui Ecclesiarum Prælati, circa commessationes superfluas, & fabulationes illicitas (ut de aliis taceamus) ferè medietatem noctis expendunt, & somno residuum relinquentes, vix ad diurnum concentum avium excitantur, transcurrendo undique continuâ syncopâ Matutinum.*

Sunt & alii, qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno: & (quod deterius est) interesse contemnunt: & si quando dum hæc celebrantur, intersunt, Chori silentium fugientes, intendunt exterius collocutionibus laicorum: dumq; auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina.

Hæc igitur, & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus, districtè præcipientes in virtute Obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantùm eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter & devotè.

in quo agitur de obligatione celebrandi Missarum solemnia in Choro.

Ecce non loquitur Pontifex de obligatione, quam quisque Sacerdos habet præcisè ex vi suæ Ordinationis ad privatim celebrandum Missam, de qua sola loquitur Conclusio; sed de obligatione celebrandi Missarum solemnia in Choro, ut patet ex illis verbis: *Chori silentium fugientes* &c. quæ utique est juris Ecclesiastici, eodem titulo cap. 11. ibi. *Mandamus quatenus nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quò minùs & pro anniversarijs defunctorum, & pro festo, vel feria, secundùm temporum congruentiam Missarum solemnia conventualiter celebretis.*

5. An concernat tantùm Prælatos? Lugo.

Addit Lugo disp. 20. n. 6. nec illam pœnam esse de facto, sed comminatoriam; nec Decretum illud videri directum nisi ad Prælatos Ecclesiarum, de quibus dixerat esse nonnullos, qui vix quater in anno celebrabant, & quod deterius est, nec intererant.

Verumenimverò illud Decretum concernere omnes Clericos, etiam minores, de quibus in principio capitis fit mentio, & quibus incumbit celebratio divini Officii nocturni pariter & diurni, non video quomodo aliquis possit ambigere, qui verba textûs inspexerit. Unde ex illo textu communiter Theologi probant Officium divinum tam publicum, quàm privatum, ex quocumque titulo obliger, sive ex Beneficio, sive ex Ordinatione vel aliunde, illud, inquam, recitari debere studiosè pariter & devotè. Quomodo ergo istud Decretum ad solos Prælatos videtur directum?

6. An pœna suspensionis cadat super omissionem celebrationis.

Quidam etiam existimant, quòd pœna suspensionis non cadit super omissionem celebrationis, de qua in illo capite fit mentio, sed tantùm super defectus scandalosos in divino Officio, ut ex fine, inquiunt, & titulo capitis constat. Titulus autem capitis est: *Præcipit Prælatis & Clericis in virtute obedientiæ, ut nocturnum Officium & diurnum studiosè celebrent & devotè.* Finem capitis habes superiùs.

Et quidem si hi Auctores intelligant, illam pœnam non cadere super omissionem privatæ celebrationis, consentio; idque, quia, secundùm me, illius non fit mentio in illo capite: aliàs afficere omissionem Missæ solemnis, non dubito, cùm expressa de ea fiat mentio, & commodè intelligi possit sub divino Officio diurno, argumento cap. *Alma Mater* 24. de Sentent. Excom. in 6. de quo latiùs conclus. fin. hujus sect. n. 818.

7. Tertium argumentum contra Conclusionem ut Officium sit obligationis celebrandi.

Tertiò probant aliqui obligationem aliquando celebrandi ex officio Sacerdotis: *Omnis namque Pontifex* (inquit Apostolus Heb. 5. v. 1.) *ex hominibus assumptus, pro hominibus constitutus in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis*, non tantùm suis, sed etiam populi. Peccat ergo graviter, si non satisfaciat muneri suo. Sicuti si Rex non regeret, aut Gubernator non gubernaret.

Respondeo; etiam officium Sacerdotis est absolvere à peccatis: nam dictum est Apostolis & eorum in Sacerdotio successoribus, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et tamen non obligantur, nisi in necessitate, vel ex aliquo pacto seu contractu superaddito.

Respondeo. Sacerdos non tenetur absolvere quemlibet.

Similiter officium Diaconi, nonne cantare Evangelium? Et tamen nulla obligatio. Sic ergo Sacerdos potest accipere potestatem celebrandi, absque obligatione exercendi illam, nisi necessitas, vel alius titulus obliget.

Diaconus non obligatur cantare Evangelium.

Olim Reges habebant potestatem sacerdotalem; in lege naturæ omnes Primogeniti; in lege scripta omnes filii Aaron: quis tamen dixerit omnes illos obligatos fuisse ad offerendum per se ipsos, quando abundè per alios erat provisum populo de Sacrificio?

Olim non tenebantur omnes ad eadem per se offerre.

Atque hinc festinè & clarè solvitur ultimum & optimum argumentum, quod desumitur ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 1. ubi apertis verbis docet Christum in ultima Cœna Apostolos suos constituisse novi Testamenti Sacerdotes, & eisdem, eorumque in

8. Argumentum ultimum & optimum contra Conclusionem

Sacer-

Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepisse per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Verba Tridentini sunt: *Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans* (Christus) *Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum Symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumq; in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba:* Hoc facite in meam commemorationem; *uti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit.* Ergo omnes, & singuli Sacerdotes, sicuti ex vi hujus præcepti divini accipiunt potestatem, ita quoque debitum & obligationem offerendi.

Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, *Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinasse, ut ipsi aliiq; Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum, anathema sit.* Tridentinum suprà can. 2. Quid luculentiùs dici poterat?

9. Explicatur Concilium.

Ad hoc, inquam, argumentum citiùs respondetur Negando Consequentiam: alioquin sicuti ex vi istorum verborum, omnes & singuli Sacerdotes accipiunt potestatem singulis diebus offerendi illud Sacrificium, imò pluries in eadem die, ita quoque acciperent debitum & obligationem offerendi, quod manifestè constat esse falsum.

Latiùs patet potestas celebrandi quàm præceptum.

Latiùs ergo patet potestas, quàm præceptum; sicut ex parte objecti, sic etiam ex parte personarum: nam potestas datur singulis seorsim; præceptum autem imponitur singulis, prout componunt communitatem: præcipitur quippe Sacerdotibus usus hujus Sacrificii, hoc est, ut curent ne desit in Republica Christiana oblatio hujus Sacrificii, quo tamquam supremo ac perfectissimo cultu decet frequenter Deum coli.

Hoc concernit Ecclesiam non singulos in particulari;

Ecclesiæ igitur præcipitur, secùs singulis Sacerdotibus in particulari, nisi in defectum aliorum: ac proinde ad Prælatos Ecclesiæ spectat providere Reipublicæ Christianæ de necessario Sacrificio. Ex quo sequitur hoc corollarium: Quamdiu Ecclesia non determinat quando & quoties, sive in anno, sive in vita, singuli Sacerdotes debeant sacrificare, non obligantur.

10. Gen. 1. uti præceptum matrimonii concernit communitatem, non singulos homines in particulari, Scotus.

Sicuti Gen. 1. cap. v. 28. præcepit Deus hominibus Matrimonium, dicens: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Dedit quoque eis potestatem generandi, sine qua multiplicatio foret impossibilis. Nûm ideo rectè infertur: Ergo singuli homines in particulari tenentur contrahere Matrimonium, obligantur uti potentiâ generativâ ad multiplicationem generis humani? Tota Ecclesia clamat contrarium.

Institutio contractûs Matrimonii (inquit Scotus 4. dist. 26. q. 5. n. 18.) *est per modum præcepti affirmativi; ita quòd obligat semper, sed non ad semper, sed tempore necessitatis: non tantùm in principio, sed adhuc eodem modo videtur obligare, si paucitas in filiis ex aliqua causa accideret, puta, ex bello, peste, vel clade, & huiusmodi.* Igitur præceptum Matrimonii & hoc nostro tempore adhuc obligat, sed communitatem generis humani, non autem singulos homines in particulari, nisi in defectum aliorum. nisi in defectum aliorum.

11. Item obligatio cantandi in Choro Officium divinum tantùm communitatem afficit.

Simili modo singuli Religiosi habent potestatem & jus cantandi Officium divinum in Choro sui Monasterii, & communitas habet obligationem gravem cantandi illud, non tamen singuli in particulari, quando per alios sufficienter providetur, & cantatur. Sic ergo institutio Sacrificii, & consecratio Sacerdotum obligat graviter eorum communitatem ad offerendum illud Sacrificium, & singulis dat facultatem, sed tamen absque gravi obligatione, quamdiu non est necessaria eorum opera, & per alios provisum est, quantùm sufficit, ut Christiana Respublica eo Sacrificio non careat.

Unde Christus instituens Sacrificium, & designans Sacerdotes, non præsumitur aliter singulos obligasse, nisi juxta conditionem ipsius materiæ, & prout Sacerdotes aliqui in Republica obligari solent ad offerenda Sacrificia.

Neque aliter Ecclesia Catholica intellexit obligationem celebrandi, ut patet ex D. Bonav. Alensi & aliis multis Auctoribus.

Nota, quòd Concilium dicat: *Uti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit.* Porrò Ecclesiam non semper intellexisse illis verbis singulis in particulari esse impositam obligationem aliquando celebrandi, patet; quia D. Bonaventura, & ante ipsum Alensis illud præceptum negavit: prout etiam negavit Gabriel, Palatius, Richardus, Victoria, Ledesma, Puteanus, Rodriguez, Cajetanus. Et probabile putant non dari tale præceptum Henriquez, Suarez, Lugo, Dicastillo, Diana.

12. Ratio Conclus. quia nullum extat jus obligans.

Sed dicet aliquis; video solutiones argumentorum contrariæ partis, interim expecto probationem positivam vestræ Conclusionis. Respondeo nostram Conclusionem esse negativam, neganti autem non incumbit probatio, sed affirmanti. Ratio ergo sufficiens est; quia nullum extat jus sive naturale, sive positivum, quo singulis Sacerdotibus in particulari imponitur gravis obligatio aliquando in anno, vel in vita celebrandi vi præcisè suæ Ordinationis.

Confirmatur ex praxi Ecclesiæ. Confirmatur ex praxi Ecclesiæ, in qua non solùm antiquis temporibus multi Monachi plurimis annis, imò aliquando totâ vitâ in solitudine vixerunt sine Sacrificio, sed & nostro tempore (inquit Cardinalis Lugo disp. 20. n. 12.) Sanctissimus Patriarcha Ignatius, postquam Sacerdos factus fuit, per annum integrum à Sacrificio celebrando reverenter abstinuit, ut se accuratiùs piis meditationibus & mentis puritate ad illud Sacrosanctum Mysterium præpararet. Illud autem feciſse ex er-

rore, vel ignorantia, non est præsumendum de tanto viro. De speciali quoque motione Spiritûs Sancti, ex qua multa interdum operantur Sancti præter communem legem, non constat.

13. *Praxis antiquæ Ecclesiæ.*

Ostendit ibidem Eminentissimus secundùm mores antiquæ Ecclesiæ non fuisse ita facilè privatis Sacerdotibus frequenter celebrare, sicut hodie est; quia, inquit, ut significat *Lugo.* Hormisda Papa in cap. *Nullus* de Consec. dist. 1. in qualibet Ecclesia unicum erat altare, sicut & in veteri Testamento unicum erat templum, & in eo unicum altare Sacrificii.

Non bene probatur ex cap. *Nullus* de Consec. dist. 1.

Sed hæc probatio, meo judicio, nulla est. Accipe verba textûs: *Nullus Presbyter in Ecclesia consecrata aliud altare erigat, nisi quod ab Episcopo loci sanctificatum est, vel permissum, ut sit discretio inter Sacrum, & non Sacrum: nec dedicationem fingat, nisi sit.* Ubi Gloss. *Dicitur hic, quòd in Ecclesia consecrata non debet fieri altare, nisi quod Episcopus loci consecraverit, vel consecrari permiserit.* Ergo in qualibet Ecclesia unicum erat altare; qualis consequentia?

An fortè nunc licitum est cuilibet Sacerdoti erigere aliud altare, nisi quod ab Episcopo loci est sanctificatum, vel permissum? Constat soli Episcopo sanctificationem altaris competere, & tamen hodie plurima altaria in eadem Ecclesia.

14. Melior probatio desumitur ex Concilio Antisiodorensi.

Meliùs ergo probatur ex Concilio Antisiodorensi cap. 10. *Non licet*, inquit, *super uno altario in una die duas Missas dicere, nec in altario, ubi Episcopus Missas dixerit, Presbyter in illa die Missas dicat.* Ideo fortassis, quia in unica Ecclesia, unicum singulis diebus erat offerendum Sacrificium, quod adhuc modo apud Græcos in usu est. Plura ad hoc propositum vide apud Lugonem suprà.

Mirum sanè, si Ecclesia unquam agnoverit illam obligationem in singulis Sacerdotibus, quòd nullum certum tempus hucusque determinaverit illius obligationis, sicuti determinavit tempus præcepti Confessionis.

15. An Ecclesia in Concil. Trident. determinaverit tempus obligationis confecrandi?

Immò, inquis, determinavit tempus in Concilio Tridentino sess. 23. de Reformat. cap. 14. ibi: *Curet Episcopus, ut ii* (Sacerdotes) *saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.*

Respondeo; monet Concilium Episcopum, ut curet, non verò imponit præceptum Sacerdotibus sic faciendi illis diebus: hactenus enim nemo sic illa verba intellexit. Quis namque Sacerdotum putat se peccare mortaliter, quia in diebus Dominicis non legit Sacrum, si aliunde non obligetur? Hortatur ergo Concilium & Episcopos, & Sacerdotes ad illud, quod maximè congruum est dignitati tanti muneris & potestatis à Christo acceptæ, ut saltem illis diebus, qui specialiter divino cultui sunt consecrati, speciali illo cultu, & inter cæteros præstantissimo, Deum colant.

16. Non constat determinatè de frequentia aut modo illius obligationis.

Cùm igitur determinatè non constet de frequentia, aut modo illius obligationis, his Auctoribus asserentibus sufficere, ut quilibet Sacerdos vel semel in anno celebret; aliis existimantibus, obligari unumquemque ad celebrandum ad minus ter, vel quater: rursus aliquibus Doctoribus imponentibus singulis Sacerdotibus specialem obligationem celebrandi in triplici Paschate; aliis affirmantibus obligationem quotidianam: nonnullis totum relinquentibus arbitrio prudentis; malo dicere cum Doctore Seraphico, & aliis multis, tam antiquis, quàm recentioribus, nullam esse obligationem, saltem gravem, secluso scandalo, ac alio particulari titulo.

Adhæret pro nunc.

17. Objectio.

Si dixeris; datur speciale præceptum diligendi Deum super omnia, estò non constet determinatè, quando, & quoties præcisè hoc præceptum per se obliget.

Solutio.

Respondeo; præceptum diligendi Deum expressum habemus Deut. 6. v. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & ex tota fortitudine tua.* Similiter Matth. 22. v. 36. & sequentibus: *Magister quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum.*

Deut. 6. Matth. 22.

Præceptum dilectionis Dei nequit omnes in particulari.

Quòd autem illud præceptum concernat singulos homines in particulari, & non tantùm communitatem hominum, quis potest prudenter dubitare? *Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum*, inquit Christus suprà v. 39. Et verò dilectio sui ipsius, quem concernit, nisi singulos in particulari? Dilectio ergo sive Dei, sive proximi, sive sui ipsius non exhibetur nomine communitatis, sed cujusque hominis in particulari, & ideo unumquemque in particulari obligat.

20. In mate per se g potest q tantum viter pe se, &c.

Porrò oblatio Sacrificii, cùm sit actus publicus, utpote publicâ auctoritate institutus, ut nomine totius communitatis per ipsum Deus colatur, per se solùm respicit ipsam communitatem, cui proinde incumbit providere, per hunc, vel illum in particulari, ne desit.

18. Uti & obligatio communicandi.

Unde non obstat quòd per ly *Hoc facite* Luc. 22. singulis præcipiatur sumptio Eucharistiæ: hæc enim est actus singularis, & privatus, adeoque censetur juxta materiam subjectam singulis præcepta; accedente præsertim iterato præcepto de eadem re Joan. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis &c.* at verò Sacrificium, ut jam jam dixi, est actus communis publici officii, non tam privatam (utì sumptio) quàm publicam spectans utilitatem communitatis.

Dixi

19. An sit levis obligatio celebrandi.

Dixi autem: *Obligationem saltem gravem*; quia videtur esse peccatum veniale spiritualis cujusdam prodigalitatis, & desidiæ, seu otiositatis, absque causa amittere lucrum talenti accepti, & privare proximum fructu Sacrificii, non exercendo potestatem acceptam.

Sententia Vasquez.

Sed audiamus Vasquezium: Ego (inquit disp. 232. n. 3.) censeo, si semel concedamus, ut necessariò concedendum est, peccare Sacerdotem, qui numquam in vita, aut in anno celebrat, peccatum illius non solùm veniale, sed mortale esse: cùm enim ex eo quòd Sacerdos non celebrat, peccare nequeat, nisi præceptum habeat celebrandi, & hujusmodi præceptum de re gravi & notabili sit; ut patet; ejus omissio non potest non esse mortalis: sicut etiã omissio Communionis in Paschate cuicumque laico mortalis est: neque enim minus grave censeri potest præceptum celebrandi cuicumque Sacerdoti impositum, quàm præceptum in Paschate communicandi, quod pro laicis latum est. Hæc ille.

Rejicitur.

Respondeo vulgari exemplo: inutiliter expendens centum florenos proprios, nonne peccat? Nemo dubitat. Interrogo, peccat graviter? Negant omnes; sed veniali peccato prodigalitatis bonorum temporalium. Peto rursum, si vovisset non expendere illos centum florenos, peccaret solùm venialiter? Quis audeat affirmare? Præcipiat Rex vel Princeps suis subditis, ne talem summam pecuniæ prodigant, quia necessaria pro bono communi, nonne prodigalitas, quæ ex se solùm esset peccatum veniale, per illud præceptum superadditum transit in peccatum mortale? Quis ambigat?

20. In materia per se gravi potest quis tantùm leviter peccare.

Ergo similiter, estò celebratio Missæ ex se sit materia gravis, & per consequens ejus omissio peccatum mortale quando ab Ecclesia præcipitur in ordine ad gravem finem, ad quem multùm conducit; v. g. ad exhibendum tale obsequium religiosum Deo, quale est in audiendo Sacro in diebus Festis, vel in ordine ad muniendum se & reficiendum cibo spirituali, ad confortandum animum pro vincendis tentationibus, qualis finis reperitur in præcepto Communionis; equidem cessante tali fine, & attento solo dispendio fructûs spiritualis, quod vel ipse Sacerdos, vel alii ex illa omissione incurrunt, judico non esse nisi peccatum veniale: quia licèt materia ex se gravis sit, virtus tamen ex qua præcipitur, & finis ad quem præcipitur, levis. Vide quæ in simili diximus disp. 1. sect. 7. concluf. 11. nu. 188. Certè ratio naturalis, quamvis in illa omissione aliquam dictet indecentiam, attamen non mortalem.

Si virtus ex qua præcipitur, aut finis ob quem præcipitur, sit valdè levis.

Monitio pro Sacerdotibus Ven. Bedæ.

Cæterùm diligenter notent Sacerdotes, quod ait Venerabilis Beda in cap. 2. Act. Apostolorum: *Sacerdos legitimè non impeditus celebrare prætermittens, privat quantùm in se est Beatam Trinitatem laude & gloriâ, Angelos lætitiâ, peccatores veniâ, iustos subsidio & gratiâ, in Purgatorio existentes subsidio & refrigerio, Ecclesiam speciali Dei beneficio & seipsum medicinæ remedio.*

21. An omissio Sacrificii per totum annum sit mortalis ratione scandali? *Lugo.*

Dixi etiam, *Secluso scandalo*; quia putat Lugo suprà nu. 13. hodie vix posse excusari à culpa gravi Sacerdotem non celebrantem per totum annum; quia scandalum grave generat, & indicium est corruptissimæ vitæ. Quod si verum esset, vel hoc unicum me moveret ad amplectendam communem sententiam. Etenim si ratio naturalis non dictat gravem turpitudinem in omissione celebrationis per totum annum, ut quid tam graviter alii scandalizantur?

Docent communiter Theologi, aliqua peccata externa commissa in loco sacro, puta, tactus impudicos, copulam carnalem &c. indè contrahere malitiam sacrilegii mortalem, seclusâ quacumque lege Ecclesiasticâ, idque non ob aliam rationem, quàm quia populus per illos actus graviter scandalizatur & offenditur. Ergo si similiter graviter scandalizatur ex illâ omissione celebrationis, quidni etiam ex natura rei sit peccatum mortale? Paryam profectò video disparitatem. Quid ergo?

22. Ex quo scandalum hìc oriatur;

Dico; scandalum hìc oritur non ex natura ipsius omissionis, sed magis ex contraria praxi, quia enim homines sciunt Sacerdotes probos & honestos, non tantùm secundò aut tertiò, sed frequentissimè singulis annis celebrare; hinc dum vident aliquem numquam celebrantem, judicant ipsum esse corruptissimæ vitæ, tametsi aliquando posset habere justam rationem abstinendi, de qua si edocerentur, minimè scandalizarentur, id est, neutiquam judicarent ipsum esse malæ ac improbæ vitæ.

& in quo consistat;

Unde scandalum hìc precisè in eo consistit, quòd proximo detur occasio hujusmodi judicii, ex quo non potest colligi gravis malitia omissionis secundùm se; at verò fornicatio v. g. in Ecclesia non contrahit gravem malitiam sacrilegii ex simili aliquo judicio populi, cui dat occasionem; sed quia jure merito, omnibus, sicuti à parte rei sunt, consideratis, graviter populus offenditur, prudenter judicans in illo actu gravem irreverentiam contra loci sanctitatem. Quare non est propriè dictum scandalum, sed justa offensio; si populi, quidni etiam Dei, cujus templum violatur?

Dixi denique, *Aç alio particulari titulo*; nam Primò:

CONCL V.

CONCLUSIO II.

Pastores, & alii curam habentes animarum, tenentur sub mortali celebrare per se, vel per alios in sua Parochia illis diebus, quibus subditi obligantur audire Sacrum: interim nec his, nec aliis diebus tenentur subditis applicare specialem fructum Sacrificii, præcisè ex vi pastoralis officii.

23. Probatio primæ partis ex Concil. Trident.

PRima pars est certa, & colligitur ex Concilio Tridentino sess. 23. de Reform. c. 14. ibi: *Curet Episcopus ut ii* (qui ad Presbyteratûs ordinem assumuntur) *saltem diebus Dominicis & Festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.* Ergo nisi Curati Missas celebrent, atque frequenter, muneri suo non satisfaciunt.

Frequentia autem illa optimè determinatur ex obligatione subditorum audiendi Sacrum. Quid enim minùs possunt, quàm populo servire in necessariis? Ad hoc quippe recipiunt stipendium sustentationis. Sicuti ergo jure divino naturali, ex obligatione scilicet sui officii, tenentur ovibus suis administrare Sacramenta ad minus necessaria, ita etiam iisdem providere de necessario Sacrificio. Unde ubi totus populus non potest unico Sacro interesse, debent curare, ut celebrentur plura.

24. Ratio à priori præceptum divinum,

Audiamus Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 1. de Reform. *Cùm*, inquit, *præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munera pastoralia incumbere* &c.

Trident.

pastorali muneri conjunctum.

Quæris, quod sit illud præceptum divinum? Certò non aliud quàm illud Joan. 21. v. 17. *Pasce oves meas*, officium, dico, pastorale, de quo scriptum habemus Joan. 10. v. 11. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Sequitur v. 12. *Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cuius non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves & fugit, & lupus rapit, & dispergit oves.*

Joan. 21.

Trident.

Quod probè intelligens Tridentinum verbis præmemoratis continuò attexit: *Quæ omnia neqùaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque adsistunt, sed mercenariorum more deserunt.*

Et sanè quis non meritò existimet mercenarium, qui non celebrat Missas, quando populus tenetur eas audire? *Attendite vobis*, (inquit Apostolus Act. 20. v. 28.) *& universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos & Pastores regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo.* Regere, inquam, saltem in necessariis.

Act. 20.

Quin imò putat Vasq. disp. 232. n. 13. Parochos non solùm hoc præcepto ad celebrandum obligari diebus Festis, sed etiam aliis diebus, sicut in materia de Pœnitentia dicitur; Parochum ex officio debere audire Confessiones subditorum, quas non ex præcepto, sed ex devotione facere cupiunt; nisi adeò sit exigua villa, ut nullus sit, qui hujusmodi diebus Missæ interesse possit.

25. quod putat Vasquez vigere illo loco etiam nostris vis,

Cæteroquin communis sententia & praxis extra tempus præcepti (nisi hìc & nunc obstet legitima consuetudo, vel lex, vel pactum) non agnoscit obligationem. Enimverò principalis finis Sacrificii non est communis utilitas populi, sed honor Dei, & satìs frequens est præceptum audiendi Missam: at verò Confessio principaliter instituta est in bonum & utilitatem animarum, & obligatio tantùm annua; ergo conveniens erat, ut etiam aliis temporibus Parochus obligaretur Confessiones audire, quamvis & hoc aliqui negent, ut suo loco videbimus.

sed negant plures communiter.

Sed cùm hæc satìs constent, equidem valde dubitatur an Parochi, & alii curam animarum habentes, teneantur suis ovibus specialem fructum Sacrificii, saltem diebus Dominicis & Festivis applicare. Sotus 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1. & 2. & de Justitia lib. 9. qu. 2. art. 1. circa medium, semper Missam pro iis offerre Parochum debere existimat, si fructus beneficii sufficiant ad sustentationem, alioquin ter aut quater in hebdomada judicio Episcopi. Bonacina de Sacramentis disp. 4. quæst. ult. punct. 7. n. 5. saltem diebus Dominicis, aut semel in hebdomada. Marchinus de Ord. tract. 1. parte 2. cap. 30. à n. 2. saltem diebus solemnibus.

26. An Parochi teneantur suis ovibus specialem fructum applicare diebus festis?

Affirmat Sotus,

Bonacina.

Marchinus

Fundantur maximè in Concilio Tridentino statim allegato sess. 23. cap. 1. de Reform. *Cùm*, inquit, *præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, pro iis Sacrificium offerre.*

fundant se in Concil. Tridentino.

Nihilominus Conclusio nostra est communis, secluso alio speciali titulo fundationis, eleëmosynæ, consuetudinis, vel statuti. Ratio autè est; quia sine claro jure non est imponenda obligatio, saltem gravis. Quod verò illud in casu præsenti? Certè Tridentinum commodè explicari potest de oblatione Sacrificii pro his, id est, coram his, aut de generali applicatione, sicut offertur pro omnibus circumstantibus.

27. Omnia favent

Et

& Apost. Heb. 5.

Et ita necessariò intelligi debet Apostolus Heb. 5. quando dicit, officium Sacerdotis esse offerre pro populo: *Et propterea*, inquit, *debet Sacerdos, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis.* V. 3. Loquitur namque Apostolus generaliter de omni Sacerdote, cùm tamen certum sit non omnes habere obligationem, specialem fructum applicandi omni populo.

28. Præceptum indeterminatum non obligat.

Accedit, quòd, quando præceptum aliquod fertur indeterminatè, ad nihil obligat, donec à Superiore determinetur; quia cùm non possit ut indeterminatum in executionem exire, non censetur præceptum practicè tunc esse completum. Sic multi docent esse præceptum divinum indeterminatum aliquoties in vita communicandi, & tamen nisi Ecclesia determinasset tempus Paschale, ad nihil obligasset, saltem extra articulum mortis. Idem contingit in præcepto Confessionis, imò & in præcepto Sacrificii, ut suprà attigimus.

Pari igitur ratione etiamsi vel Tridentinum, vel præceptum divinum injungeret particularem applicationem, tamen quia non determinat quando, & quoties (quod sanè Ecclesia determinare posset) ad nihil tenebitur Parochus.

29. An Ecclesia determinaverit hoc præceptum.

Dices; satis Ecclesia determinat, quando determinat dies Dominicos, & Festos, quibus populus tenetur audire Sacrum; & per consequens Parochus Sacrum celebrare.

Respondeo; non valet hæc illatio: obligor tibi dare opportunitatem audiendi Sacrum; ergo obligor illud pro te applicare. Nonne bene sequitur: Parochus obligatur celebrare ad benedicendos Sponsos, ad defunctos sepeliendos, vel ad consecrandas particulas pro Communione sui populi: ergo obligatur etiam pro iisdem Sacrificium applicare?

Igitur sicuti Canonici accipiunt fructus beneficii solùm ob officium psallendi in Choro, vel etiam aliquando dicendi Missas, sine obligatione specialem fructum alicui applicandi: quidni etiam Parochus justè recipiat ab ovibus suis stipendium sustentationis propter ministeria Sacramentorum, & celebrationem Missarum tempore præcepto, estò specialem earum fructum ipsis non applicet? Non video, quin sic fieri posset; imò quin de facto fiat, nec jus, nec ratio obstat.

30. Possunt Parochi pro Missa accipere nomen stipendium.

Ex quo consectarium videtur, Parochos, & alios Beneficiarios, qui ex vi beneficii non habent obligationem applicandi fructum specialem Fundatoribus, vel alicui alteri, posse accipere stipendium pro Missa, eodem modo quo alii simplices Sacerdotes.

Contrarium, ut apparet, declaravit Congregatio Cardinalium anno 1626. Cùm enim ab illa quæsitum fuisset: *An Sacerdotes, qui tenentur celebrare Missas ratione beneficii, seu Capellæ, legati, aut salarii, possint etiam manualem eleëmosynam pro Missis votivis, aut defunctorum recipere, & unico Missæ Sacrificio utrique oneri satisfacere?* Congregatio respondit: *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu Capellæ, legati, aut salarii, si eleëmosynas etiam pro aliis Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missâ utrique obligationi satisfacere.* Ita refert Eminentissimus Lugo disputat. 21. nu. 20.

Contrarium videntur declarasse Cardinales, Lugo.

Unde de omnibus, qui quomodocumque obligantur ad celebrandum aliquo loco vel die pro stipendio, vel redditibus aut salario, absolutè non posse ab alio stipendium accipere, ut fructum Sacrificii ei applicent, docent Gavantus ad Rub. Miss. tom. 1. parte 3. tit. 12. nu. 5. Barbosa in tract. de officio Parochi parte 1. cap. 11. nu. 11. Diana tom. 1. tract. de Celeb. Miss. resol. 80.

31. & docent quidam Auctores. *Gavantus. Barbosa. Diana.*

Ratio autem videtur esse; quia cùm stipendium Missæ detur ad sustentationem Sacerdotis, consequens est, ut si Sacerdos accepit stipendium ab aliquo pro illa Missa, non habeat jus accipiendi rursus stipendium ad sui sustentationem ab alio pro eadem Missa; cessat enim titulus sustentationis exigendæ. Hactenus Cardinalis.

Ratio hujus sententiæ

Adde secundam declarationem Cardinalium, quam ex Barbosa in Collect. Declarationum verbo *Missarum eleëmosyna* §. ultimo refert Diana parte 4. tract. 4. resol. 232. his verbis: *Missam quibus diebus tenentur Parochi celebrare, non possunt pro ea manualem eleëmosynam recipere.* Ergo censet Congregatio Cardinalium Parochos singulis diebus Dominicis & Festis fructum specialem Sacrificii sui debere applicare suis ovibus juxta Tridentinum sess. 23. de Reformat. cap. 1.

Alia declaratio Cardinalium;

Sed hoc verbum aliqui non capiunt; nam, inquiunt, Cardinalium non est interpretari jura divina, sed tantùm statuta morum ipsius Tridentini. Deinde Tridentinum sess. 23. cap. 1. de Refor. non declarat aliud, quàm Curatos, etiam Episcopos, obligari ad sua munia jure divino. Quis autem dixerit Episcopos singulis diebus Dominicis & Festivis ad id obligari? Aut ubi fit mentio in illo textu de diebus Dominicis & Festis? Certè Concilium intendit ibi proponere jus divinum clarum & indubitatum, quale illud numquam fuit; imò negatur communiter, etiam post Tridentinum.

32. Arguitur contra illas declarationes,

Solùm itaque vult, quòd omnes & singuli Pastores respectivè ad suum officiũ & pactum,

Explicatur Trident.

seu contractum, quòd, inquam, jure divino naturali obligentur prædicare, Sacramenta ministrare, celebrare ad commoditatem populi, ut audiat, & de fructu assistendo participet, cæteraque munia pastoralia obire, quæ est communis doctrina Theologorum.

Superior Regularis non tenetur suis subditis fructum Sacrificii applicare.

Confirmatur; quia non tenetur Superior Monasterii pro suis subditis jure divino naturali singulis Dominicis & Festis celebrare, estò curare debeat, ut celebretur Missa. Et verò nonne Parochus satisfacit, si diebus Dominicis & Festis celebret unus alius pro populo loco ipsius? Praxis quotidiana sic explicat illud præceptum: & tamen celebrans non tenetur fructum applicare populo, neque etiam tenetur Parochus Missam istam supplere.

Neque Parochus quando per alium celebrat.

33. Declarationes Card. loquuntur de Sacerdote qui ratione beneficii &c. tenetur applicare specialem fructum.

Quid ergo ad illas declarationes Cardinalium? Respondeo, de secunda non constare authenticè, quantùm ego scio: vel si constet, eodem modo respondeo sicuti ad primam, videlicet ibi sermonem esse de Sacerdotibus, vel Parochis, qui ratione Beneficii, Capellæ, legati, aut salarii certis diebus obligantur ad celebrandum pro aliquo cum applicatione specialis fructûs; secùs de illis, qui solùm obligantur tali die, tali horâ, vel tali loco celebrare pro commoditate populi, vel alicujus in particulari, manente fructu speciali libero.

Colligitur ex alio ejusdem Cong. Decreto.

Porrò hanc fuisse mentem Congregationis, colligit Lugo suprà num. 23. ex alio Decreto ejusdem Congregationis, edito anno præcedenti, cujus Decreti occasione dubium illud propositum fuerat: quo Decreto præceptum fuit Sacerdotibus tot Missas celebrare, quot stipendia sive congrua, sive incongrua acceperint.

Tenor Decreti,

Ubi, inquit Congregatio, *pro pluribus Missis, etiam eiusdem qualitatis, celebrandis, plura stipendia quantumcumque incongrua & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus ac locis piis, quibuscunq; tam secularibus, quàm regularibus, Sacra Congregatio sub obtestatione divini indicii mandat ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleëmosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quin imò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.*

& explicatio.

Ut quid hoc, nisi quia retinent stipendium contra voluntatem eorum, qui illud dederunt, non solùm pro præsentia (quam vocant Officiaturam) sed maximè pro intentione, seu applicatione? Ergo dubium postea propositum, & declaratio subsequens hujus Decreti, debet intelligi juxta terminos Decreti, quando scilicet ex utroque stipendio obligatur Sacerdos ad applicandum Sacrificium pro illis.

14. Accipiens stipendium pro sola præsentia, potest aliud accipere pro Missa applicatione à

Alioquin quando constat petentem Missam, dato stipendio, etiam integro, solùm voluisse præsentiam, id est, ut tali loco, tali die, tali horâ celebretur Sacrum pro commoditate eorum, qui obligantur, vel ex devotione desiderant illud audire; quidni celebrans possit accipere integrum stipendium pro applicatione specialis fructûs? Non video quid obstet. Et ratio est, quia stipendium pro præsentia recipitur propter laborem extrinsecum Missæ, quo in tali loco, vel tempore Missa assumitur celebranda: stipendium verò pro applicatione, intuitu ipsius Sacrificii eo modo, quo infrà explicabimus fieri posse sine labe simoniæ.

hoc enim datur intuitu sustentationis, & obligationis, illud ut præmium laboris.

Primum ergo stipendium non accipitur in sustentationem, sed ut pretium laboris, & obligationis antecedentis, quâ tenetur tali loco, vel tempore promptus esse ad celebrandum: at verò secundum stipendium titulo sustentationis. Sic quippe licèt Sacerdos alioquin habeat sustentationem, puta cùm ex patrimonio est dives; hoc tamen non impedit, quin sustentari possit, & debeat ab eo, qui Sacrificium petit sibi applicari, de quo plenius infrà.

35. Unde colligatur intentio petentis Missam?

Impræsentiarùm superest quæstio, quandonam judicandum sit petitionem Sacri esse de sola præsentia, vel de sola applicatione, aut certè de utraque simul.

Quando petitur fructus applicationis, petitur præsentia & applicatio.

Respondeo primò; si petitio, vel institutio Missæ in hunc vel similem modum, facta mentione finis & etiam loci, vel temporis, efformetur: *Volo*, seu, *lego tot Missas in tali Altari*, vel, *templo celebrandas, quolibet anno, mense, hebdomadâ, pro anima meâ*: vel, *in remedium seu refrigerium animæ meæ*; vel, *in remissionem seu satisfactionem delictorum meorum*, vel, *ad intentionem meam*, vel, *pro defunctis* &c. constat omnino petitionem esse, non de sola Officiatura, vel de sola applicatione, sed de utraque simul, ut per se patet.

Thom. Tamburinus.

Idem putat Thomas Tamburinus de Sacrificio Missæ lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 15. si dicat: *Volo ut celebrentur tot Missæ in Ecclesia meæ sepulturæ*, seu, *in qua ego sepultus fuero*, videtur enim tunc haberi respectus ad satisfactionem in Purgatorio debitam à se, vel à suis.

36. Quando intentio petitionis pertinet, sola applicatio venit.

Respondeo secundò; si petitio fiat cum mentione solius finis, v. g. si dicat: *Volo ut celebrentur tot Missæ pro anima meâ*, vel, *pro defunctis*, vel, *ad impetrandam salutem filii mei* &c. certum est petitionem esse solùm de applicatione, ut etiam ex se patet. Atque in hoc casu si alius à te petat solam præsentiam, idque tibi constet, ut solent petere Moniales, Confratres,

fratres, immo & Parochi in quibusdam solemnitatibus, quando solummodò intendunt habere numerum Missarum pro commoditate audientium, poteris pro tali Officiatura aliud stipendium accipere, pro labore scilicet & obligatione extrinseca, & antecedente, ut suprà dixi.

37. Quid si solus locus exprimatur.

Respondeo tertiò, si petitio fiat nullâ factâ mentione finis cum sola expressione loci, seu etiam temporis in hunc ferè modum: *Instituo in tali Altari Capellanum, qui quotidie celebrare debeat. Aggravo hæredem meum, ut in tali loco faciat celebrare tot Missas. Volo ut celebrentur tot Missæ in Ecclesia maiori* &c. si, inquam, ita fiat petitio, multùm disputant Doctores, quid petatur.

Quidam asserunt etiam applicationem debeti.

Quidam asserunt peti tunc & deberi etiam applicationem. Ratio eorum est, quia cùm non constet contrarium, sitque res admodùm dubia, præsumendum est id, quod communiter accidit; ut semper in rebus dubiis debere fieri docet latè Menochius lib. 1. de Præscript. quæst. 18. n. 1. jam autem communiter petens Missam, vult sibi illam applicari. Confirmatur; quia sic statuit Decretum Sacræ Congregationis suprà: *Vbi pro pluribus Missis* &c. habetur Const. *Cùm sæpè* 45. inter Urbanianas §. 2.

Menochius.

Tamburinus. Bonacina. Barbosa. Lugo.

Pro hac sententia Tamburinus suprà n. 18. citat Bonacinam de Sacramentis disp. 4. q. ultimâ p. 7. §. 2. nu. 13. Barbosam tom. 2. de potestate Episcopali all. 24. n. 35. favetque illi Cardinalis Lugo de Eucharistia disp. 21. n. 23. & 42. ut refert idem Tamburinus. Fundamentum Lugonis videtur esse, quia in dubio petens censetur voluisse obligare ad id, quod sibi erat utilius.

38. Oppositum docet Marchinus,

His tamen non obstantibus, contrarium docet (teste Tamburino n. 19.) Marchinus de Ord. tract. 3. parte 2. cap. 27. nu. 5. Ratio ejus est; quia non est onus grave imponendum, nisi clarè constet. Ni constet enim, melior est conditio libertatis, minimè tale onus cognoscentis.

ob varia fundamenta,

Adde, quòd propositum mente retentum nihil extrà operetur, argumento L. 99. ff. de Verb. oblig. *Quidquid adstringendæ obligationis est, id, nisi palàm verbis exprimitur, omissum intelligendum est, ac ferè secundùm promissorem interpretamur: quia stipulatori liberum fuit verba latè concipere.* Imò ipsa lex mente Principis retenta ad nihil obligat. Cùm igitur in dictis dispositionibus (quæ ad instar legum explicari solent, cùm sint leges privatæ) se Testator non satìs declaret, etiamsi mente obligare voluisset, non obligabit.

tur non videtur satisfacere.

Sed hoc est, quod quæritur, an Testator istis verbis non satìs declaret se velle obligare, etiam ad applicationem, quandoquidem, ut alii volunt, communiter sic intelligantur. Vel ergo communis talis intellectus est negandus, vel certè adhærendum priori sententiæ.

39. Quid si nec finis nec locus, nec tempus exprimatur?

Hinc Tamburinus, postquam nu. 20. distinxit tres modos disponendi, in quibus non fit mentio finis, num. 21. docet primò: si dispositio sit absolutè facta sine ulla mentione loci, vel temporis, v. g. *Volo ut celebrentur tot Missæ*; docet, inquam, præsumendum esse peti, adeoque deberi Missæ applicationem dumtaxat.

Videtur peti sola applicatio.

Ratio est, quia communiter qui sic petit, pro se solùm petit, atque adeò applicari sibi fructum Missæ requirit, & nil præterea. Idem enim est in communi loquendi usu sic petere: *Volo ut tot Missæ celebrentur*, atque, *Volo ut tot Missæ pro me celebrentur*, & nihil aliud. Si quis enim te conveniat, & stipem offerens, dicat: Accipe hunc julium pro una Missa, sanè nihil aliud intelligeres, nisi stipem offerri ad dicendum Missam pro anima seu salute ipsius; atque id ita communiter esse in ejusmodi eleëmosynis manualibus docet Lugo suprà n. 23.

40. Quid si solus locus exprimatur?

Secundò asserit Tamburinus num. 22. si dispositio fiat hoc modo: *Volo ut celebrentur tot Missæ in tali Altari*, vel, *Ecclesiâ*; peti solam præsentiam, nisi adsit alia circumstantia, quæ contrarium persuadeat. Rationem accipit ex Marchino suprà, quia non debeo sine gravi fundamento onus mihi grave imponere. Adde, quòd ideo apponi videtur determinatio loci, ut vel honore locus afficiatur, vel adsit commoditas fidelibus audiendi Missam.

Tamburinus putat sufficere solam præsentiam per se loquendo.

Responsio ad rationem pro opposita sententia.

Ad rationem suprà allatam pro sententia Bonacinæ quatenus contra hanc doctrinam facere potest, Respondet n. 24. petentem frequenter velle Missæ applicationem; sed velle etiam aliquando solam præsentiam, & cultum Dei, idque esse frequentissimum in fundationibus Capellarum & Altarium, in quibus Fundatores magìs inspexerunt ad honorem Altaris, commoditatem populi, vel quid simile, quàm ad suorum delictorum satisfactionem.

Quare, inquit, non sequor sententiam Graffii de Miss. Celeb. Cons. 3. tom. 2. & Joannis de Lugo suprà num. 42. dicentium, eum, qui exposcit Missam, velle semper obligare Sacerdotem ad id, quod utilius est ipsi petenti, non sequor, inquam, horum sententiam; nisi enim petens aliquo tandem modo se declaret, non est præsumendus totum id velle, quia de facto non totum id semper fideles intendunt, ut vidimus.

Et confirmatur ex illo dicto Suarii tom. 4. de Relig tract. 8. lib. 2. cap. 17. nu. 7. Hæc regula in oneribus maximè imponendis servanda est, si voluisset, expressisset. Hactenus ille.

Suarez.

41. Maximè hic attendendæ circumstantiæ.

Dictum autem est: *Nisi adsit alia circumstantia, quæ contrarium persuadeat*; quia hæ maximè sunt attendendæ ad implendum Fundatorum voluntates. Unde idem Auctor n. 23. sic inquit: Si quis dicat: *Volo ut dicantur tot Missæ singulis diebus Lunæ*; certè quia dies hic est à devotione fidelium assignatus ad orandum pro defunctis, præsumetur dispositio esse, ut celebrentur Missæ pro illis, atque adeò petitionem esse de applicatione.

Tamburinus.

Si verò sic dicat: *Volo ut celebretur Missa die Dominico*, seu, *die Festivo*, vel, *ut celebretur Missa die Dominico in tali Ecclesia*, videtur petitio solùm esse regulariter de præsentia, ut nimirum sit in concursu populi commoditas audiendi Sacrum.

Dixi, *Regulariter*; quia potest contingere, ut ex circumstantiis colligatur, quòd etiam in hoc secundo casu exposcatur applicatio; ita esset meâ sententiâ, si diceret: *Volo ut celebretur Missa die Festivo Sancti mei nominis*, seu, *Sancti mei devoti*, tunc enim ex communiter accidentibus præsumitur Missam esse applicandam pro petente; communiter enim fideles die Festivo proprii Sancti totam sibi Missam celebratam volunt. Hæc Tamburinus, quem sequor; & ad Congregationem Cardinalium suprà citatam in quantum jam dictis posset contrariari.

42. Respondetur ad Congregationem Cardinalium suprà allatam.

Respondeo cum eodem Auctore nu. 25. ut suprà, illam solùm loqui de his, qui habent Capellaniam, legatum, vel salarium cum certo onere applicandi pro Fundatore, non verò de his, qui ad præsentiam solam obligantur; fuisset enim injustum, si iis, qui præsentiam solùm debent, & applicatio est suâ, sine ratione prohibuisset, ne, quod in sua est potestate, aliis dare potuissent, etiam cum onere stipendium acceptum restituendi.

Plura circa hanc materiam (quorum aliqua inferiùs strictìm attingemus) vide apud Lugonem, Tamburinum & alios. Pendent maximè à voluntate instituentium, vel fundantium Missas, vel stipendium offerentium, qualiter & quomodo velint Sacerdotes obligare ad certum locum, tempus, applicationem, frequentiam &c.

Primò omnium spectanda sunt verba fundationis, aut petitionis; deinde in casibus occurrentibus juxta verba & communem praxim benignè interpretanda est mens Fundatorum, aut manualem eleëmosynam offerentium.

43. An qui debet celebrare Missam pro defunctis, satisfaciat legendo de Festo? *Diana.*

Hinc qui debet celebrare Missam de Domina, vel pro defunctis, secundùm Doctores communiter apud Dianam parte 2. tract. de Celeb. Miss. resol. 31. satisfacit legendo de Festo occurrente, saltem si Sacerdos majori devotione afficiatur in illa Missa, nisi ob eam conditionem eleëmosyna notabiliter augeretur.

Ratio est, quia omnes Missæ sunt æqualis valoris ex opere operato; & licèt cæteris paribus Missa de Requiem magìs defunctis prodesset, utpote cujus preces ad animarum liberationem funduntur, supplere tamen potest major Sacerdotis devotio, vel Sancti illius intercessio, cujus suffragium in Missa imploratur. Et aliunde verba institutionis vel petitionis intelligenda sunt civili modo & moraliter; nam non debet prævalere voluntas Testatoris Ecclesiæ ordini & ritui. Verba pretantum civili modo & moraliter sunt intelligenda.

Ne autem simplices scandalo afficiantur, dum petentes Missam pro mortuis, vident celebrari Missam de Sancto, instruendi sunt de æqualitate valoris, & communi praxi Ecclesiæ. Quando aliquis ob stipendium, inquit Suarez disp. 83. sect. 3. vel Capellaniæ institutionem, vel ob aliquam similem causam obligatur ad specialem Missam dicendam, debet, si commodè potest, præscriptam obligationem implere, quamvis, si absque scandalo id omittat, ut Missalis ordinem servet, non peccabit; immo si propter solemne Festum id faciat, meliùs faciet. Suarez.

44. Corollarium.

Itaque Beneficiarii, vel Capellani, aut recipientes stipendium tenentur celebrare pro illis & toties, prout in litteris fundationis continetur, aut ratione stipendii censentur se obligasse: ac proinde quod dictum est de Parochis, scilicet eos non teneri applicare specialem fructum Sacrificii suis ovibus, etiam Dominicis & Festis diebus, intellige sicut habet Conclusio: *Præcisè ex vi pastoralis officii.* Alioquin ex speciali institutione, aut fundatione, vel certè extraordinario stipendio fieri posset, ut non solùm diebus Dominicis & Festivis, sed etiam ferialibus obligarentur, non tantùm ad præsentiam, verùm etiam ad applicationem.

Cæterùm, cùm sæpiùs in hac Conclusione mentionem fecerimus stipendii, quæro, quomodo illud accipi possit sine labe simoniæ pro fructu Sacrificii, qui indubiè est res aliqua spiritualis? Responsio sit

CONCLUSIO III.

Sacerdos applicans alicui specialem fructum Sacrificii, licitè accipit stipendium titulo sustentationis, aut laboris extrinseci, illicitè ut pretium laboris intrinseci.

Licitum esse aliquid accipere pro Missis, luculenter ostendit communis praxis, tum Episcoporum, qui stipendium taxant, tum omnium Sacerdotum, etiam maximè timoratorum

Licitum est accipere pro Missis, ut

patet ex praxi communi,

torum, nec tantùm pauperum, verùm etiam divitum, qui sine ullo scrupulo stipendium taxatum recipiunt.

& probatur à simili.

Et verò si pro Officio divino licet accipere fructus Beneficii, illis quoque, qui aliunde ex patrimonio commodè vivere possent; quidni etiam pro Sacrificio Missæ? Siquidem tam Officium divinum res spiritualis est, quàm Sacrificium, & si unum habet adjunctum laborem corporalem, & alterum; & si Officium divinum impedit Clericum, quò minùs illo tempore possit aliâ ratione victum quærere, nonne idem præstat Sacrificium Missæ? Ergo vel pro utroque licitum est aliquid accipere, vel pro neutro.

46. De titulo disputatur.

Sola difficultas est, quo titulo illud stipendium Missarum sine labe simoniæ accipiatur, an laboris intrinseci, an extrinseci, aut certè titulo sustentationis. Ut autem ab ultima parte Conclusionis incipiamus,

Quis sit labor intrinsecus?

Laborem intrinsecum voco, qui necessariò intervenit in celebratione Missæ: v. g. labor induendi sacras vestes, dicendi Missæ orationes, agendiúque cætera, sine quibus Missa ritè non constat. Numquid ergo labor, qui suscipitur in recitanda Missa sex Epistolarum, vel in Missa, in qua legitur Passio Domini nostri, intrinsecus censendus est? Non dubito, cùm sine illa talis Missa ritè non constet.

47. Ob illum nihil posse accipi tamquam pretium, probatur ex ratione,

Sed unde pùtas probatur, quòd ratione laboris intrinseci nihil possit accipi, tamquam verum ejus pretium sine peccato simoniæ? Existimo; quia ille labor nullam habet utilitatem nisi per ordinem ad actionem sacram; adeoque nullum valorem, nisi ex ordine ad finem spiritualem. Sicuti ergo finis vel fructus ille spiritualis non habet ullum valorem pretio æstimabilem, ita nec ille labor.

& à simili.

Patet in simili ex aliis operibus corporalibus, ut in agricultura & similibus artibus: labor quippe qui fit in exercitio illarum artium, non æstimatur pretio seorsim ab illo opere vel effectu, qui talem laborem intrinsecè requirit, sed ipsum opus, vel effectus simul cum labore; immo ratione talis, vel talis laboris sibi intrinsecè conjuncti, tantam, vel tantam habet æstimationem, & similiter labor tanti vel tanti æstimatur, quia opus, cui conjungitur, tali pretio dignum est. Si ergo effectus laboris non est pretio æstimabilis, nec ipse labor erit: & si labor venditur, etiam effectus laboris, propter quem labor pretio æstimatur.

Ergo similiter impræsentiarùm, cùm labor intrinsecus celebrationi Missæ secundùm se non sit utilis hominibus, sed tantùm ratione fructûs spiritualis, qui sequitur ex opere cui labor ille intrinsecè conjunctus est, si fructus ille non est pretio æstimabilis (sicuti verè non est, utpote res omnino spiritualis) nec ipsum opus, nec labor intrinsecus, pretio possunt æstimari.

Unde hìc locum habet illud Paschalis Papæ 1. q. 3. cap. *Si quis obiecerit.* 7. *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* Tunc enim illud dictum verum est, quando plura ita connexa sunt, ut vel corporale per se sequatur ex spirituali, illudque supponat, vel ita concomitanter se habent, ut unum sit intimè conjunctum alteri in suo esse, origine, & fine. Ita verò se habet labor intrinsecus ad Sacrificium Missæ. 48. Item ex auctoritate Paschalis Papæ,

& natura ipsius Sacrificii.

Quapropter licèt ipsum Sacrificium physicè videatur habere aliquid materiale, equidem totum est invendibile; quoniam totum reverà est spirituale, utpote à principio spirituali procedens, & ad finem spiritualem tendens.

Totum itaque illud opus cum omni suo labore intrinseco, & omnibus conditionibus, quas per se habet adjunctas, totum, inquam, factum est inæstimabile pretio, propter elevationem ad spiritualem ordinem, & intimam conjunctionem cum Sacrificio; & per consequens ministri, eo ipso, quo se dedicarunt tali ministerio, assumpserunt onus ministrandi illud gratis, & non vendendi tales operas vel labores. Ita communiter Doctores; quamquam aliquibus videatur haud parùm difficile explicatu, quomodo ergo liceat aliquid accipere tamquam pretium laboris extrinseci.

Quis labor extrinsecus?

Laborem extrinsecum, sive per accidens conjunctum, vocamus, qui non ex vi ministerii per se ac moraliter intervenit, sed tantùm in casu ratione circumstantiarum, personarum, aut locorum, ut agere iter unius leucæ ad dicendum Sacrum, quando id non est conjunctum Officio, vel Beneficio; expectare quotidie per horam, aut aliud tempus ad celebrandum, dicere Missam statis horis, vel in certis locis, & ad hæc aut similia obligari. Uno verbo, labor accidentarius est, qui sine ordine ad actionem sacram habet aliquam utilitatem, propter quam æstimari potest pretio temporali. 49.

Talis est labor musici exornantis divinum Officium;

Ex quo patet, quare labor Musici, qui ab Ecclesia conducitur, ut suâ modulatione vel instrumento musico exornet divinum Officium, quare, inquam, sit labor extrinsecus; quoniam habet valorem ex modulatione, & recreatione. Per accidens ergo est quòd hìc & nunc actioni sacræ conjungatur. Quid enim si in nuptiis adhiberetur, cum obligatione ad sacras tantùm cantiones, num ideo minùs esset pretio æstimabilis? 50.

imò tota ipsius actionis videatur pretio æstimabilis.

Et ratio ulterior est: quia illi reverà per se non exercent actionem spiritualem, neque in rigore Officium divinum recitant ex vi istius ministerii; ut proinde non solùm pro labore illo, sed pro tota actione pretium recipere possint: quidquid in contrarium sentiat Wiggers de Justitia & Jure Tract. 7. cap. 4. n. 42.

51. Rationes ob quas contrarium docet Wiggers.

Ratio illius Auctoris est; quia actus illi & instrumenta sunt idonea & convenientia ad laudandum Deum & divinas laudes celebrandas, ut ex Scriptura constat, quæ sæpiùs nos hortatur ut laudemus Deum in Hymnis & Canticis, & sono tubæ, in organis & cymbalis benesonantibus: quidni igitur, quando in Ecclesiis & Oratoriis, ad quæ populus Religionis causâ convocatur & convenit, adhibentur, dicenda erunt adhiberi, ut in illis Religiosum Officium exerceatur?

Sanè si tantùm adhibeantur ad demulcendas curiosorum aures, non id sine vanitate & culpa fieri posse in tali loco, & in tali conventu existimarem.

Accedit, quòd totum Officium, ut Laudes, Vesperæ, & aliæ preces decantari possint per tales conductos musicos, & musicalia instrumenta: unde si illi non exerceant actionem spiritualem, nec Officium divinum peragant, consequens videtur quòd populus potiùs censebitur vocari ad Comædos audiendos, quàm ad audiendum, & interessendum divinis Officiis. Hæc ille.

Et ut verum fatear, tam levis hodie auditur musica in quibusdam Ecclesiis, ut vix nomen divini Officii mereatur, & potiùs videatur adhiberi ad demulcendas curiosorum aures, quàm ad laudandum & benedicendum Deum.

52. Sed ad summum probant nihil accipi posse ob musicam ut est divinum Officium.

Atque ut talis sit, qualis esse debet, ad summum ex illo argumento sequitur, quòd musicus nihil pretii possit pro illa musica accipere, quatenus præcisè est Officium divinum; interim quia illi divino Officio per accidens conjungitur talis modulatio & recreatio, quæ sine ordine ad actionem sacram habet aliquam utilitatem pretio æstimabilem, ideo pro illa pretium accipere potest. Porrò quòd illa modulatio & recreatio sit pretio æstimabilis, manifestè patet, quando eadem musica canitur extra Ecclesiam.

Deinde, estò illa tota actio possit ab Ecclesia ordinari ad cultum Dei, imò de facto cultus Dei sit, quatenus ab aliis, obligatis ad illum, attentè auscultatur; attamen prout à musicis illis conductitiis exercetur, non habet rationem cultûs, cùm illi non obligentur ista canere per modum cultûs divini, sed sicut alias cantilenas extra templum, & extra has circumstantias canerent.

53. Assignatur disparitas inter musicos conductitios & Clericos præbendatos.

Ex quo facilè assignatur disparitas inter musicos conductitios, qui nullam habent obligationem legendi divinum Officium, & Clericos in Ecclesia præbendatos ad ministerium Chori; hi enim spiritualia exercent, quæ intrinsecè illam operam & laborem requirunt; isti autem minimè.

Sacerdos cantans Missam nihil potest

Si ergo quæritur; an Sacerdos cantans Missam possit aliquid vendere de labore illius Missæ, sive ratione cantûs sive ratione temporis, aut moræ? Respondet Suarez tom. 1. de Relig. lib. 4. cap. 21. n. 15. negativè; quia, inquit, tota illa actio, prout ita fit, est sacra, & totus ille labor est quasi pars illius. Aliàs Diacono, & Subdiacono ministranti, semper liceret vendere suas operas; quia illud ministerium moraliter non fit sine cantu, & aliis similibus laboribus. vendere de illo labore. Suarez.

54. Quid Lugo respondeat difficile.

Sed hoc difficile putat Lugo disp. 21. n. 11. Et quidem, inquit, si accipi potest pretium pro itinere faciendo ad celebrandum in loco distanti, non apparet cur non possit accipi pro labore celebrandi sub dio, ubi vel æstu, vel gelu nimio, sanitas exponitur magno periculo; quia hoc etiam per accidens conjungitur cum Missa: ergo idem dicendum est de cantu, qui per accidens etiam conjungitur, cùm sine illo posset Missa celebrari.

Assignatur discrimen inter cantum & laborem celebrandi sub dio, vel in loco distanti.

Respondeo, fortè disparitatem esse, quòd cantus ille nullam adferat utilitatem aliis, nisi spiritualem, quæ invendibilis est: at verò celebratio in loco distanti, aufert audientibus difficultatem itineris, vel confert aliquam aliam utilitatem temporalem, quæ pretio est æstimabilis, vel certè causat molestiam Sacerdoti planè extrinsecam actioni sacræ, cùm cantus ille, quamvis molestus & laboriosus, equidem hic & nunc sit ipsa sacra actio.

Unde supposito quòd Sacerdos velit Missam canere, quam alioquin posset solùm legere, tenetur gratis canere, sicuti gratis tenetur legere, cùm non minùs cantus ille, quàm simplex lectio, hic & nunc sit actio sacra.

55. Ratio quam affert Suarez ob probandum Conclus. difficilis eb.

Dico, *Hic & nunc*; quia absolutè & cantus ille, & lectio possunt reperiri sine aliqua spiritualitate; v. g. quando aliquis ante Sacerdotium facit illa omnia, ut discat ritum celebrandi. Ratio (inquit Lugo suprà) quam adfert Thomas Sanchez tom. 1. Cons. lib. 2. cap. 3. dub. 10. quòd labor hic non est separabilis à re spirituali, ideo non est vendibilis, difficilis est; quia si sensus sit, non posse rem spiritualem, hoc est, Missam reperiri sine illo labore, hoc non sufficit, ut labor ille non sit vendibilis: nam benedictio etiam non potest reperiri sine oleo, vel chrismate, vel sine cera in Agnis Dei, & tamen ex natura rei oleum, chrisma, cera, secundùm se vendi possent.

Si verò sensus sit, laborem ipsum non posse reperiri sine spiritualitate, cui conjungitur, falsum est; quia sicut cera, vel oleum possent reperiri sine benedictione, sic hic labor, & hæc opera possent reperiri sine oblatione Sacrificii: idem enim labor, & eadem defatigatio datur, quando aliquis ante Sacerdotium facit illa omnia, ut discat ritum celebrandi: ergo ille labor secundùm se separabilis est à spiritualitate, cui de facto conjungitur. Ita Cardinalis.

Si inferas; ergo labor ille legendi vel cantandi Missam, potest vendi, sicut labor extrinsecus, & sicut oleum benedictum: per accidens quippe

quippe est, quòd hìc & nunc conjungatur rei sacræ, sicuti per accidens est, quòd oleum sit benedictum.

Solutio. Respondeo Negando Consequentiam; quoniam, utì superiùs dixi, labor extrinsecus propriam habet utilitatem seclusâ spiritualitate, veluti etiam oleum sepositâ benedictione; labor autem intrinsecus Missæ nullam, nisi per ordinem ad rem spiritualem.

57. Instantia. Immo, inquis, & hìc propriam habet utilitatem; nam aliqui mirificè delectantur suavi & adæquato cantu Sacerdotis in tantum, ut malint audire Missam cantatam, estò diutiùs duret, quàm privatam. Deinde videns Sacerdotem celebrantem, vel ex hoc addiscit ritum celebrandi; atqui hæc doctrina est pretio æstimabilis extra Sacrificium Missæ: ergo etiam in ipso Sacrificio.

Responsio. Quare potiùs suavitas cantûs extra Sacrificium sit pretio æstimabilis, quàm in Sacrificio. Respondeo iterum Negando Consequentiam; disparitas patet ex suprà dictis: quia in ipso Sacrificio censetur moraliter una & eadem res; cùm ergo ipsum Sacrificium secundùm se non sit pretio æstimabile, neque suavitas illa cantûs nec doctrina, quæ minùs principaliter considerantur, & tamquam quid accessorium, quod naturam convenit sequi principalis.

Wiggers. Neque enim convenienter dici videtur, inquit Wiggers suprà n. 41. quòd in cantu Ecclesiastici Officii prædominetur temporale, sicuti dici solet de calice consecrato, cùm principaliter ipse cantus adhibeatur, & æstimetur, idcirco quia in eo laudatur Deus, non propter aliud temporale..... ipsa tamen specialis ars cantandi & singularis vocis suavitas forsitan possent pretio temporali æstimari. Quamvis contrarium appareat probabiliùs, quia nec grata elocutio Concionatoris, neque ars ejus bene dicendi, immo nec prærequisitum studium, possunt pretio temporali æstimari & vendi. Hæc ille.

58. Discrimen inter laborem musici conductitii & Sacerdotis cantantis Missam. Quæris, quomodo ergo ars musici conductitii possit æstimari? Respondeo ut suprà; quia ille reverà per se non exercet actionem spiritualem, neque in rigore Officium divinum recitat ex vi illius ministerii; quemadmodum exercet actionem spiritualem, & in rigore recitat divinum Officium Sacerdos cantans Missam, aut alii Clerici ministerio Chori deputati, cantantes Horas Canonicas.

Plus stipendii solet accipi pro Missa cantata, quàm privata. Interim certum est, & quotidiana praxis docet, plus stipendii posse accipi pro Missa cantata, quàm pro Missa privata; quo autem titulo, patebit ex prima parte Conclusionis, de qua incipio agere, &

59. Præmotandum pro explicatione 1. part. Conclus. Prænoto, sæpissimè in celebratione Missæ nullum laborem extrinsecum intervenire, vel si aliquis interveniat, communiter non esse talem, qui sufficiat ad justificandum totum stipendium ex justitia debitum. Sicuti ergo si pro calice consecrato daretur pretium excedens valorem calicis secundùm se, præsumeretur dari pro consecratione: sic dando pro labore Missæ stipendium, excedens absque proportione valorem ipsius laboris, præsumeretur dari pro valore Sacrificii, quod conjungitur illi operi seu labori, nisi adsit alius titulus.

Et verò quis iste, si non titulus sustentationis? Sanè omnes alios titulos, ab aliquibus excogitatos, optimè refutat Eminentissimus Lugo disp. 21. à n. 2. usque ad 10. Vide ipsum; quia nihil habeo addendum. Lugo.

60. Distinctio inter pretium & sustentationem. Pro explicatione autem tituli sustentationis, Primò consideranda venit distinctio inter pretium, & sustentationem. Sed quæ illa? Pretium spectatur per commensurationem ad valorem & æstimationem operis seu laboris: at verò stipendium sustentationis in ordine ad personam, quatenus sustentatione indiget, quam acquirere non potest, dum aliis in spiritualibus deservit, ideoque ei ex justitia debetur ratione talis ministerii, saltem ut conditionis necessariæ ad talem obligationem.

61. Secundùm quamdam analogiam stipendium vocatur merces. Atque in hoc sensu poterit vocari illud stipendium merces secundùm quamdam æquiparationem & analogiam: quomodo accipitur ab Apostolo 1. Timoth. 5. *Qui bene*, inquit, *præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo & doctrina* v. 17. Et continuò rationem attexit v. 18. *Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti* (Deut. 25. v. 4.) *&: dignus est operarius mercede suâ.* Matth. 10. v. 10. 1. Timoth. 5. Deut. 25. Matth. 10.

Unde 1. Cor. 9. comparat illud stipendio militis, dicens v. 7. *Quis militat suis stipendijs unquam?* Et addit: *Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Ergo hæc obligatio non procedit ex solo jure positivo, sed etiam ex ipso jure naturali, utique justitiæ. 1. Cor. 9.

An sit debitum ex justitia? Alioquin nec Sacerdos obligaretur ad restituendum stipendium, quando est morti proximus, & non potest satisfacere præcepto celebrandi: nec etiam qui Missam petiit, obligaretur ad solvendum stipendium, quod promisit, postquam jam Sacerdos sustentatus est; quoniam debitum ex solo titulo obedientiæ non obligat ad restitutionem transfactâ occasione.

62. saltem debetur ex præcepto positivo Christi. Profectò licitum esse stipendium sustentationis, immo debitum, saltem ex præcepto positivo Christi, clarissimè testatur Apostolus suprà n. 13. & 14. ubi sic ait: *Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt: & qui Altari deserviunt, cum Altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio vivere.* 1. Cor. 9.

Decimæ non sunt puræ eleëmosynæ, Constantiensis. Confirmatur: Decimas non esse puras eleëmosynas, definitum est in Concilio Constantiensi sess. 8. in damnatione articulorum Wicleff, quorum decimus octavus erat: *Decimæ sunt puræ eleëmosynæ, & Parochiani possunt propter peccata*

peccata suorum Prælatorum ad libitum suum auferre eas.

sed debitæ etiam ex justitia naturali: *Trident.*

Nec tantùm deberi decimas ex obedientia; sed etiam ex justitia naturali, satìs significat Tridentinum, quando sess. 25. de Reform. cap. 12. sic incipit dicere: *Non sunt ferendi, qui variis artibus decimas, Ecclesiis obvenientes, subtrahere moliuntur, aut qui ab aliis solvendas temerè occupant, & in rem suam vertunt: cùm decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt.* Et infrà: *Qui verò eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur; nec ab hoc crimine, nisi plenâ restitutione secutâ, absolvantur.* Porrò quæ decimarum, similis est obligatio stipendii, quod offertur, & debetur pro Missa.

63. In veteri Lege dicebantur pretium pro ministerio, *Num.* 18.

Dices; Decimæ in veteri Lege vocantur à Deo pretium pro ministerio: ergo malè distinguimus inter pretium & stipendium sustentationis. Antecedens patet ex Num 18. v. 30. & 31. *Si præclara & meliora quæque obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis, quasi de area & torculari dederitis primitias: & comedetis eas in omnibus locis vestris, tam vos, quàm familiæ vestræ: quia pretium est pro ministerio, quo servitis in tabernaculo testimonij.*

quod pro majori parte erat temporale.

Respondeo, illa ministeria fuisse pro majori parte temporalia, ut excubias agere, deferre tabernaculum & similia, quæ indubiè erant pretio æstimabilia. Quamquam alii legendum putent: *Quia merces est*, & sic vertunt Septuaginta.

Ly *Merces* est nomen generale, extendens se ad significandum quodlibet præmium. *Matth. 5. Trident.*

Porrò *Merces* est nomen generale, quod abstrahit à propria ratione [illegible]i temporalis, & dici potest de quolibet [illegible]nio, debito ex justitia, quomodo vita æterna merces appellatur Matth. 5. v. 12. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Et alibi.

Unde Tridentinum sess. 6. cap. 16. ait: *Atque ideo bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tamquam gratia filijs Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tamquam merces,* id est, præmium, *ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.*

64. Differentia inter stipendium sustentationis, & pretium, declaratur exemplo pictoris.

Cæterùm in quo differant, dare ut stipendium ad sustentationem, & dare ut pretium, declarat Lugo suprà n. 13. exemplo pictoris, qui nollet vendere suas operas, aut picturas, sed vellet gratìs depingere in obsequium Ecclesiæ, & votum de hoc fecisset. Non esset, inquit, contra hoc votum, si peteret ab Ecclesia illa sumptus necessarios ad colores, ad tabulam, & alia omnia; adhuc enim diceretur depingere gratìs: imò si ipse ad laborandum cibo vel potu peculari indigeret, illud totum computaretur inter sumptus necessarios ad picturam, & posset dici in rigore gratìs, & non pro pretio fecisse illud opus, si solùm acciperet necessaria ad pingendum.

item exem.

Rursum ponamus aliquem à Deo accepisse gratiam curationum; accersitur à Principe, ut ipsum curet, magnis propositis præmiis, posset dicere: *Gratìs accepi, gratìs dabo; nolo pretium;* & hoc, licèt peteret necessaria ad iter illud agendum, & licèt, dum esset in Principis Curia, aleretur Principis expensis; hæc enim non sunt pretium, sed media necessaria ad illic suum ministerium exequendum.

pro habentis gratiam curationum.

Sic ergo Sacerdos, ut Minister Euangelicus non facit contra præceptum Christi gratìs dandi, quod gratìs accepit, si ab illis, quibus ministrat, accipiat necessaria ad ministerium exequendum, v. g. panem, vinum, ceram, & alia necessaria ad Sacrificium. Quid autem magìs necessarium, quàm ipsa vita Sacerdotis? Sicuti ergo sine labe simoniæ, Sacerdos pro aliquo celebraturus, potest exigere panem, vinum, ceram &c. quidni similiter corporis alimentum, æquè, aut magìs necessarium ad ipsum Sacrificium, quod petitur? Non video disparitatem. 65. Applicatio.

Itaque pretium in hoc distinguitur à stipendio sustentationis, quòd pretium spectetur per commensurationem ad valorem & æstimationem operis seu laboris, quod repugnat sanctitati operis ac ministerii sacri: stipendium autem sustentationis, ut superiùs diximus, consideretur in ordine ad personam, quatenus sustentatione indiget, quam accipere non potest, dum proximo suo in spiritualibus deservit. Atque hàc ratione stipendium Missæ appellari posset merces, id est, præmium ex justitia debitum Sacerdoti, pro hoc, vel illo celebranti.

Sed numquid tota sustentatio debetur pro applicatione unius Missæ? Numquid quilibet pro libitu suo plus vel minus potest exigere? Nequaquam; sed illud erit justum stipendium, quod ab Episcopo taxabitur, vel consuetudine fuerit introductum. Quid ergo si nullum fuerit taxatum ab Episcopo, vel consuetudine introductum; nùm licitum erit antecedenter de aliquo certo pacisci? Respondeo: 66. Non debetur tota sustentatio pro applicatione unius Missæ. Quod stipendium sufficiat.

CONCLUSIO IV.

Pacisci de stipendio, alioquin justo, ante celebrationem Missæ, non videtur illicitum ex jure naturæ.

67. Conclusio probatur.

PRobatur primò: quia pactum illud cadit super stipendium formaliter, non ut est pretium rei spiritualis, sed ut est ad sustentationem personæ; igitur non obstante pacto retinet rationem stipendii sustentationis: ergo ex vi talis pacti non venditur spirituale pro

pro temporali, ac per consequens tale pactum non est simoniacum.

68. Objectio solvitur. Quid sit gratis fieri.

Dices; ergo illud ministerium non fit gratis. Respondeo Negando Consequentiam: quia gratis fieri, est sine pretio fieri, minimè sine stipendio sustentationis.

Pro quo nota, Christum utrumque junxisse: *Gratis date*, &: *Cibum sumite*. Matth. 10. v. 8. *Infirmos*, inquit, *curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite: gratis accepistis, gratis date.* Protinùs autem subjungitur: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus enim est operarius cibo suo.*

Matth. 10.

69. Secunda probatio Conclus.

Probatur Conclusio secundò: quia per hoc pactum non additur aliquid, sed exprimitur quòd inest ex natura rei; hoc autem non est simoniacum, ut patet ex Glossa cap. *Ad audientiam* 31. verb. *Renuntiantes* ibi: *Posset dici quod non est simonia: quia ea, quæ præcipiuntur à iure, licitè deducuntur in pactum, etiam in spiritualibus.*

tione desumptâ ex natura rei.

Dubitas de veritate Majoris? Dignus est operarius cibo suo, etiam ante omne pactum; quamquam enim possit velle gratis operari, etiam sine stipendio sustentationis, equidem ex natura rei dignus est, & ex naturali justitia ei debetur, & censetur velle, quando opera ejus expetitur, & expressè contrarium non significat.

Jam verò cur illicitum sit ante opus deducere in pactum, quod opere operato jure naturæ debetur? Neque enim pactum illud auget intensivè hanc obligationem; sed quia quantitas stipendii justi, non est ex natura rei determinata, nec semper est lege, vel consuetudine taxata, idcirco per pactum & conventionem partium determinatur, in qua determinatione non apparet ulla ratio mali secluso scandalo.

Oblatio stipendii est virtualiter pactum.

Immo moraliter loquendo vix fieri potest antecedens oblatio stipendii, sine virtuali pacto: aliàs quippe nec Sacerdos accipiens poterit scire, an exigatur lectio Missæ ex justitia, an non: & similiter dans stipendium non poterit scire, an Sacerdos sit lecturus Missam, an non. Quod ergo hoc jam claris verbis indicetur, parùm facit ad inducendum vitium simoniæ.

70. In hac materia cavendum est scandalum.

Dixi, *Secluso scandalo*; quia summopere cavendum est, ne homines rudes, & simplices suspicentur illa exigi tamquam pretium, & non tamquam stipendium sustentationis; adeoque totum negotium Religionis ad lucrum potiùs & quæstum, quàm ad animarum salutem esse compositum.

Trident.

Quod probè intelligens Concilium Tridentinum sess. 22. in Decreto de observandis & evitandis in Celebratione Missæ sic inquit: *Atque ut multa paucis comprehendantur, in primis quod ad avaritiam pertinet, cuiusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis celebrandis datur; nec non importunas atque illiberales eleëmosynarum exactiones potiùs quàm postulationes, aliaq; hujusmodi, quæ à simoniaca labe, vel certè à turpi quæstu non longè absunt, omnino prohibeant.* Interim tamen quamdiu ab Episcopis talia pacta non prohibentur, nec per ipsos vel consuetudinem stipendia sunt taxata, non apparet ex jure naturæ esse illicita, secluso, sicut dixi, scandalo.

71. Explicatur cap. *Dilectum* de Simonia.

Nec moveat quempiam, quod dicitur in fine capitis *Dilectus* 30. de Simonia: *Illud tamen gratanter recipi poterit* (in admissione ad Religionem) *quod fuerit sine taxatione gratis oblatum.* Siquidem Pontifex loquitur de illis, quæ solùm per liberalem donationem conferri possunt: hic autem agimus de his, quæ seclusâ omni taxatione, ex justitiâ debentur.

Taxatio stipendii laicorum determinationi non relinquendâ.

Et certè si taxatio stipendii deberet relinqui determinationi laicorum, nemo prudens non videt, quàm malè foret provisum Sacerdotibus, maximè pauperibus, qui subinde ex solo stipendio Missarum debent vivere, nec possunt commodè vivere, etiam ex stipendio, ab Episcopo taxato.

72. An Sacerdos pauper pro eadem Missa possit accipere plura stipendia?

Sed numquid Sacerdos pauper potest accipere plura stipendia pro eadem Missa? Multi apud Dianam parte 2. tract. de Celeb. Miss. resol. 8. contendunt id esse licitum: debet tamen talis Sacerdos celebrare quotidie si potest; deinde debet esse contentus victu moderato, domo humili, veste tritâ, licèt decenti. Aliqui volunt, quòd possit etiam accipere ad emendos aliquos libros, si ille Theologus, vel Jurista sit, & libri illi sint necessarii ad exercenda aliqua ministeria spiritualia, si conveniens est, & utile Ecclesiæ, quòd talis Sacerdos exerceat illa ministeria.

Diana.

Multi affirmant.

Deinde, secundùm aliquos, potest etiam talis Sacerdos accipere id, quod necessarium est ad sustentandum patrem & matrem, quando sunt constituti in tali necessitate, quòd non possint sustentari, nisi mendicando; quia sicut non decet Sacerdotem mendicare, ita non decet patrem & matrem illius hoc facere; tenetur enim Sacerdos illos domi habere, & necessaria ad victum tribuere. Hæc ferè omnia, teste Dianâ suprà, Nugnus in 3. parte tom. 1. q. 83. art. 1. dub. 10. concluſ. 4. & ante illum Sapientissimus Magister Orellana apud Vegam in Summa tom. 2. cap. 41. cas. 1. & ipse Vega.

Nugnus. *Orellana.* *Vega.*

73. Quorum opinio modò corruit.

Sed hæc opinio modò corruit, inquit Diana; nam Sacra Congregatio Bullâ *Cùm sæpè* 45. inter Urbanianas §. 3. *sub obtestatione divini iudicii mandat, ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem*

Diana.

attributæ eleëmosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quin immo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

Cardinalium declar.

utpote contraria, saltem juri positivo;

Id verò ut deinceps observetur exactiùs, §. 4. *Sacra Congregatio eâdem auctoritate revocat privilegia & indulta omnia, quibusvis personis, Ecclesiis, ac locis piis, tam sæcularibus quàm regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu Orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.* Quis ergo adhuc ambigat id esse illicitum, saltem ex jure positivo, suppositis supponendis? Plus dico:

CONCLUSIO V.

Plura stipendia accipere pro una Missa prohibet jus naturæ, non tantùm divitibus, sed etiam pauperibus.

74. imò & naturali. *Diana.*

DIana suprà testatur de communi, Auctores vide apud ipsum. Et sanè divitibus id esse prohibitum, facilè Adversarii admiserint: de pauperibus autem inquiunt, haud unico illo stipendio possunt sustentari; cùm tamen scriptum sit: *Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt: & qui altari deserviunt, cum altari participant?* 1. Cor. 9. v. 13.

Probatio oppositæ sententiæ; 1. Cor. 9.

75. Rejicitur primò.

Sed contrà primò: eadem ratio militat in divitibus; nam & ipsi altari deserviunt: ergo & de altari vivere debent, aut saltem possunt.

Rejicitur secundò.

Secundò; ubi scriptum legitur, quòd illis, qui altari deserviunt, pro uno tantùm ministerio debeatur integra sustentatio? Nusquam. Quid ergo? Quòd debeatur integra sustentatio pro omnibus, quibus possunt isto die occupari. Missa verò numquid est integra occupatio diei?

Integra sustentatio tantùm debetur integræ occupationi diei.

Absit ut simplex Sacerdos æquè multùm mereatur tantùm legendo Missam, atque Pastor, qui integro die se occupat auditionibus Confessionum, Concionibus, aliisque spiritualibus ministeriis: & tamen Pastor cùm totum fecerit, quod debet facere, aliquando accipit vix necessaria ad honestam sustentationem.

76. Simplex Sacerdos aliis honestis operibus quærat victum.

Debet ergo simplex Sacerdos præter celebrationem Missæ, aliis honestis operibus, sive corporalibus, sive spiritualibus, reliquum diei impendere, iisque reliquum sustentationis diurnæ promereri.

Appositè Concilium Carthaginense IV. cap. 51. *Clericus, quantumlibet verbo Dei eruditus, artificio victum quærat.* Et cap. 52. *Clericus victum, & vestimentum sibi artificiolò, vel agriculturâ, absque officii sui dumtaxat detrimento, præparet.* Accedat cap. 53. *Omnes Clerici, qui ad operandum validi sunt, & artificiola, & literas discant.* Carthag. IV.

Ex quo fit, ut majus stipendium taxetur pro solemni Missa, quàm pro Missa privata, majus pro Vigiliis defunctorum novem lectionum, quàm trium lectionum, majus pro Officio nocturno, sive Matutino cum Laudibus, quàm pro singulis parvis Horis: quò enim Clerici plùs temporis insumunt divino Officio recitando, vel cantando, eò minùs aliis honestis operibus possunt vacari: ergo plùs quàm rationabile est, ut proportionatè crescat stipendium sustentationis, quam alioquin illis aliis operibus possent promereri. 77. Pro qualitate occupationis, debet esse qualitas stipendii.

Igitur qui altari deserviunt, cum *altari participant*, utique cum proportione, *juxta occupationem & laborem ministerii*, quod exhibent, si multùm laborent, multùm, si parùm, parùm. Alioquin qui unum Responsorium diceret pro defuncto, posset exigere stipendium integræ diei, quo nihil absurdiùs.

Si dixeris; Sacerdotes non possunt mendicare. Respondeo, fideles ex charitate debent illis subvenire; interim nisi sit extrema necessitas, non possunt proprio jure res alienas accipere: & potiùs ad Episcopum pertinet ipsis providere de necessariis, utpote qui non potest aliquem ordinare, nisi habeat patrimonium sufficiens, vel beneficium, aut officium, cap. 2. de Præbendis: *Non licet ulli Episcopo ordinare Clericos, & eis nullas alimonias præstare; sed duorum alterum eligat: vel non faciat Clericos, vel si fecerit, det illis, unde vivere possint.* 78. Neque idcò Sacerdotes mendicare oportet. Non Episcopus ab eligendi.

Et cap. 4. eodem: *Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit, tamdiu ei necessaria subministret, donec in aliqua Ecclesia ei convenientia stipendia militiæ Clericalis assignet: Nisi talis ordinatus de sua vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere.* Ita Alexander III. in Concilio Lateranensi cap. 5. Si quando ordinaverit. Lib. III. Cap. 2. & 4. de Præbend.

Et quoniam faciliùs est non ordinare pauperes Clericos, quàm ordinatis dare unde vivere possint, Concilium Tridentinum re maturè consideratâ: *Cùm non deceat, inquit, eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere,* sess. 21. de Reform. cap. 2. *statuit, ne quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientiâ & ætate ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitimè constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod* 79. Tridentinum prohibet promoveri ordinandos.

quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere ..... Patrimonium verò vel pensionem obtinentes ordinari post hac non possint, nisi illi, quos Episcopus indicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum; eo quoque priùs perspecto, patrimonium illud, vel pensionem verè ab eis obtineri, taliaq; esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint &c. Ecce quanta sollicitudo Ecclesiæ!

80. Objectio. *Proverb.* 21. Sed, inquis, *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum*, Proverb. 21. v. 30. Quem Deus prævidit pauperem Clericum, sive ex malitia vel negligentia Episcopi ordinantis, vel ex casu aliquo superveniente, quis poterit ipsum corrigere?

Solvitur. Respondeo, Episcopus, cujus negligentiâ vel malitiâ est ordinatus: aut certè si casu ad paupertatem devenerit, non est liber ab illa sententia Gen. 3. v. 19. *In sudore vultûs tui vescêris pane.* Gen. 3.

Quapropter, ut suprà dixi ex Concilio Carthaginensi IV. arte aliquâ, vel agricultûrâ quærat sibi victum, exemplo Apostoli, qui de labore manuum vivebat. *Si Apostoli*, scribit Hieronymus ad Rusticum Monachum (& refertur de Consec. dist. 5. cap. *Numquam* 33.) *habentes potestatem de Euangelio vivere, laborabant manibus suis, ne quem gravarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia: cur tu in usus tuos cessura non præpares? Vel fiscellam texe iunco, vel canistrum lentis pecte viminibus: sarriatur humus: areolæ æquo limite dividantur* &c. S. Hieron.

81. Ratio Conclusionis assignatur. Quæ ergo ratio Conclusionis? Quia offerentes integrum stipendium, ab Episcopo, vel consuetudine taxatum, contra justitiam fraudantur aliquo fructu Sacrificii: nam, ut probavimus sect. 4. concluf. 8. effectus satisfactionis, quem habet Sacrificium Missæ ex opere operato, eò minor est in singulis, quò pro pluribus offertur. Si ergo peccet contra justitiam, vel saltem contra fidelitatem, qui promisit integrum stipendium, & peracto Sacrificio non solvit nisi dimidiam partem, quidni similiter peccet Sacerdos, qui promisit integrum fructum, accipiendo integrum stipendium, & non solvit, nisi partem? Non dubito.

82. Peccat contra justitiam qui accipit stipendium majus taxato, Et verò nonne peccat contra justitiam, qui vendit merces suas ultra pretium lege, vel communi æstimatione taxatum? Nemo ambigit: igitur pari ratione peccat contra justitiam, qui accipit stipendium pro Missa ultra illud, quod legitimè taxatum est; licèt enim non sit propriè Missæ pretium, est tamen ad instar illius, ut ex dictis constat.

nisi offerentes libere consentiant, Rogas: quid si aliqui, sequentes opinionem eorum, qui concedunt Sacrificio infinitam vim, dent singuli integra stipendia, & sint contenti unicâ Missâ, licebitne Sacerdoti illis acquiescere? Licebit planè, quia scienti, & volenti non fit injuria.

Sed contrà, inquis, Sacra Congregatio, id vetat. Respondeo; Sacra Congregatio supponit offerentes stipendium esse invitos: cæterùm si consentiant, erit perinde ac si ex mera liberalitate pinguem eleëmosynam elargiantur Objectio solvitur.

Nota tamen consensum hunc non posse dari nisi ab iis, pro quibus Missa debet offerri, non verò ab hæredibus, legatariis, aut alienæ voluntatis executoribus; siquidem illi Domini non sunt, sed ministri. Hic consensus dari debet ab eo pro quo offertur Missa.

Porrò sicut licitum est, tam jure naturæ, quàm positivo, accipere plura stipendia à pluribus, qui liberaliter tribuunt; ita etiam accipere majus stipendium taxato, ab uno, qui liberaliter offert. 83. Perinde est sive plures, sive unus offerat.

Similiter licitum est stipendium taxatum vel ex integro, vel ex parte liberaliter remittere; taxa enim solùm posita est, ne ex vi stipendii ipsa excedatur, non verò ne remittatur liberaliter, vel augeatur. Non est enim verisimile, vel Sacram Congregationem, vel Episcopum velle prohibere officia pietatis & liberalitatis. Sacerdos potest remittere stipendia ex toto vel ex parte.

Itaque Conclusio intelligenda est de pluribus stipendiis integris, quæ à pluribus, vel etiam ab uno offeruntur, ut habeatur integer fructus plurium Sacrificiorum.

Dices; si res ita se habet, quo jure Pontifex potest reducere onera Missarum, imminuendo earum numerum; quod etiam olim per Tridentinum concessum fuerat Episcopis, Abbatibus & Generalibus Ordinum? Numquid dispensare potest in jure naturæ, aut pecuniam meam, me rationabiliter invito, alteri dare? Absit. Quid ergo? 84. Quo jure Pontifex reducat onera Missarum?

Dico neque Pontificem, neque alium quempiam posse facere hujusmodi reductionem sine justa causa; quando autem illa adest, Pontificis & aliorum est, benignè interpretari mentem Institutorum, maximè defunctorum, qui ipsi amplius suas voluntates nequeunt declarare.

Et si à me quæritur, quæ sint justæ causæ minuendi numerum Missarum? Respondeo verbis Concilii Tridentini sess. 25. de Refor. cap. 4. *Contingit sæpè in quibusdam Ecclesiis vel tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex varia defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus à Testatoribus præscriptis nequeat satisfieri; vel eleemosynam huiusmodi pro illis celebrandis adeò tenuem esse, ut non facilè inveniatur, qui velit huic se muneri subicere; unde depereunt piæ testantium voluntates; & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur. Sancta Synodus cupiens hæc, ad quos usus relicta, quo plenius & utilius potest, impleri, facultatem dat Episcopis* &c. 85. Quæ sint justæ causæ reducendi onera Missarum? *Trident.*

Immunitio reddituum,

augmentum expensarum,

defectus Sacerdotum,

tenuitas eleëmosynæ,

augmentum in victu,

restauratio domûs &c.

Causæ itaque justæ sunt: Prima, si lapsu temporis redditus Ecclesiæ seu Conventûs sint immuniti. Secunda, si expensæ majores nunc fiant in pertinentibus ad Missam, quàm anteà, puta in emendis paramentis, vino, pane, & aliis similibus. Tertia, si numerus v. g. Religiosorum sit notabiliter minor, unde non valent integro Missarum numero satisfacere, & ex alia parte non possit augeri talis numerus ob defectum eleëmosynarum. Quarta, si eleëmosyna relicta sit valde tenuis. Quinta, si nunc ea, quæ pertinent ad victum & cultum Sacerdotis, sint multò majora, quàm anteà, quando fundata est Missa. Sexta, si ad reficiendam domum, unde fructus pro Missis solvendi sunt, factæ sint extraordinariæ expensæ, vel ad litigandum &c.

86. Potest Pontifex vel Episcopus taxare vel augere stipendium Missarum;

non potest facere ut pluribus justis stipendiis unicâ Missâ satisfiat.

Posset etiam Pontifex vel Episcopus taxare seu augere, editâ lege, stipendium Missarum; ita ut unusquisque fidelis, si velit ex integro pro se offerri Missam, talem aut tantam quantitatem stipendii debeat offerre.

Cæterùm facere, ut si, spectatâ communi æstimatione, pro unoquoque Sacro quis obtulit sufficiens stipendium, & vult sibi dici multa Sacra, satisfaciat ejus intentioni & voluntati Sacerdos uno tantùm Sacro peracto, vel paucioribus, neque Pontifici concedimus, minùs particularibus Sacerdotibus; esset enim pecuniam ab illo accipere contra suam rationabilem voluntatem.

Et verò quæ justa causa illam voluntatem mutandi? Sanè non est rationabile, velle, ut aliqui pauci, & non volentes, sed sæpissimè expressè renuentes, alant, oblatis suis stipendiis pro Missis, Sacerdotes integrè & omnino, qui non nisi valde parùm laborant in eorum commodum.

87. Objicitur privilegium Leonis X. & Clement. VII. *Bruno Chassaing.*

Objicitur privilegium Leonis X. concessum Fratribus Minimis Bullâ *Exposcit Dilectorum* (ut refert Bruno Chassaing. de Privil. Regul. p. 2. tract. 8. cap. 1. prop. 9.) extensum postea ad Carmelitas à Clemente VII. Bullâ *Ex Clementi Sedis.*

Subscribo verba privilegii ex Brunone: *De cætero perpetuis futuris temporibus possint in una Missa facere commemorationes novem, quæ satisfacient ex Apostolica dispensatione pro novem Missis debitis, vel minorem numerum descendendo, qui etiam satisfaciat pro tot Missis promissis, quot sient commemorationes, & quidem tam plenè ut conscientiæ eorum penitus exonerentur à promissionibus, & fidelibus tantopere suffragentur; ac si diversis diebus integraliter Missas impositas sigillatim celebrassent.* Quid clariùs? Inquit præfatus Auctor.

88. Respondetur primò.

Respondeo nihil clariùs veritate. Et quid est veritas? Respondeo primò, in Bulla Clementis VII. (sive ut habetur in Bullario magno Romano, sive ut refertur apud Rodriguez & Confectium) ne umbra quidem similium verborum reperitur.

Respondetur secundò.

Secundo, privilegium istud Leoninum non extat apud Cherubinum in Bullario magno; sed neque in Bullario Rodriguez: apud Confectium autem sic lego: *Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus Fratribus domorum dicti Ordinis in partibus Alemaniæ, & Bohemiæ, pro tempore existentium, ut de cætero perpetuis temporibus, in celebratione unius Missæ, septem vel novem commemorationes ad eorum devotionem pro tempore recitare, pro septem vel novem specialibus Missis, etiamsi illæ specialiter de Requiem, vel de quibuscumque Sanctis recitandæ forent, vel aliàs quomodocumque, etiamsi pro illis recitandis eleëmosynæ recepissent, seu imposterùm reciperent, pleræ satisfacere valeant. Ac commemorationes huiusmodi de quibuscumque Sanctis, vel etiam defunctorum, vel aliàs per eorumdem Fratrum devotionem taliter factæ, eisdem fidelibus, qui eleëmosynas huiusmodi, pro ipsis Missis celebrandis eisdem Fratribus pro eorum sustentatione dederint, seu imposterùm eas dare contigerit, plenè suffragentur. Ipsique Fratres sub singulis Missis huiusmodi cum septem vel novem collectis, ad eorum devotionem totaliter recitatis, integraliter in eorum conscientiis exonerentur, perinde ac si Fratres ipsi singulas Missas huiusmodi, & earum quamlibet specialiter de Requiem, vel de ipsis Sanctis, aut eorum quolibet vel aliàs quomodocumque iuxta piam benefactorum huiusmodi, & cuiuslibet eorum devotionem & intentionem, diversis diebus integraliter celebrassent, celebrare. Quodque dicti Ordinis generalis Corrector pro tempore existens cum omnibus Fratribus, quarumcumque domorum dicti Ordinis Minimorum in dictis, & aliis quibusvis regnis & locis consistentium, super dictis Missis, modo præmissis, celebrandis dispensare liberè & licitè valeat auctoritate Apostolicâ tenore præsentium licentiam concedimus pariter & indulgemus, non obstantibus quibuscumque Constitutionibus, ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris die 25. Iunii 1513. Pontificatûs nostri anno primo.* Ecce textus genuinus, & privilegium satìs amplum, si satìs verum.

89. Privilegium Julii II.

Simile concesserat Julius II. prædecessor Leonis Bullâ 28. apud Rodriguez, quæ incipit: *Sacer Ordo*, ibi: *Et si in huiusmodi visitatione tua, vel aliàs in aliquibus domibus & locis dicti Ordinis Minimorum, tam pro Ecclesiarum fabricis, quàm aliis Fratrum necessitatibus Missarum multitudinem copiosam invenires, & cognoscerес quid illa per Fratres domorum & locorum huiusmodi in Ecclesiis illorum iuxta obligationem per eosdem Fratres factam, aut relinquentium ordinationem celebari non possint (prout in Parisiensibus, & Iauuensibus domibus per illarum Fratres esse cognovisti) ut cum Fratribus domorum, & locorum huiusmodi nunc & pro tempore ibidem degentibus, & eorum quolibet dispensare possis, & quòd dispensatio super his per te facienda, à nobis facta censeatur, eisdemque Fratribus, ut novem collectas*

per

per eos, seu eorum quemlibet in unaquaque Missâ recitare pro novem Missis, ac septem collectas pro septem Missis, sicq; de aliis descendendo, seu citra dictum numerum cum omnium & singularum domorum, & locorum huiusmodi Fratrum, ac etiam totius Ordinis Minimorum huiusmodi suffragiorum, orationum, Sacrificiorum, ieiuniorum, vigiliarum, disciplinarum, & aliorum quorumcumque bonorum generalitate singulis eiusdem Ordinis benefactoribus, & benefactricibus, qui Missas ipsas in Ecclesiis domorum & locorum huiusmodi recitandas dederint, adeò planè & integrè valeant, & sufficiant, ac si Missæ huiusmodi pro eis & eorum quolibet iuxta piam eorum devotionem & intentionem particulariter recitarentur, & particulariter recitatæ forent, licentiam concedimus. Hactenus Pontifex piè & rationabiliter, si bene intelligatur.

90. hujus mens explicatur,

Neque enim mens ipsius fuit, dare potestatem Minimis quemcumque numerum Missarum acceptandi (cui hìc & nunc sciunt se impares solvendo) & postea unâ Missâ satisfaciendi: quis namque illam potestatem dedit Pontifici, auferendi scilicet bona mea à me, qui non magìs obligor, quàm cæteri, & ea dandi Minimis? Præsertim cùm fideles passim ignorent talem voluntatem Pontificis, & si scirent, fortè ex centum non unus offerret stipendium Religiosis, quos norunt illo privilegio uti. Unde credendum non est, Pontificem, si sic informaretur, concessurum hujusmodi facultatem, quæ fidelibus scandalum generaret, avertens ipsos ab oblatione eleëmosynarum pro Missis faciendis.

à res concessa manifestatus.

Quid igitur Julius concessit Minimis? Arbitror potestatem unâ Missâ, in qua fierent novem commemorationes, satisfaciendi novem Missis, quando ex aliquo casu superveniente, Generalis, vel alius ex ipsius commissione (est enim hæc potestas quasi ordinaria, utpote in perpetuum concessa, & Officio perpetuò annexa) judicaret omnibus maturè consideratis, numerum Fratrum alicujus Monasterii haud sufficere posse explendis omnibus Missis in particulari. Sic enim rationabiliter Pontifex, non dico, dispensat; quia non est propria dispensatio, id est, relaxatio juris, ut consideranti patet; sed rationabiliter interpretatur, sive mutat voluntatem eorum, qui stipendium pro pluribus Missis obtulerunt. Insuper ut minorem haberent ansam conquerendi, quantùm potest, supplet defectum fructûs satisfactionis & impetrationis, per communicationem suffragiorum, orationum, Sacrificiorum, jejuniorum &c. totius Ordinis, nec non per thesaurum Ecclesiæ, cujus dispensatio ad ipsum spectat.

91. Similiter exponendum Leonis privilegium.

Simili modo explico privilegium Leonis, ut sit justum & rationabile; quamvis enim aliquid ampliùs sonet, tamen non alia videtur fuisse mens hujus Pontificis, quàm extendere privilegium, concessum à suo prædecessore Correctori Generali Francisco Biver, ad Correctorem pro tempore suo existentem Hermanum Lioner, & ad omnes ejus successores, ut patet ex principio Bullæ, in quo refertur privilegium Julii.

3. Sententia Navarri de dicto privilegio.

Unde desuper interrogatus Navarrus lib. 3. Consil. de Celebr. Miss. Cons. 10. Ad secundam quæstionem respondet, quòd potest Corrector Generalis pro tempore existens dispensare, non solùm super Missis receptis tempore Generalium, qui præerant tempore datarum Bullarum prædictarum, sed etiam pro postea receptis ante suam visitationem, & tempus, in quo petitur dispensatio: sed non potest facere facultatem recipiendi Missas, seu eleëmosynas ad dicendas eas, ita quòd Fratres suscipientes eas, possint satisfacere sine dispensatione subsecuta. Tum quia dispensatio & absolutio peccati non debent dari, antequam fiat, ne videatur dari occasio nimis propinqua peccandi. Tum quia non decet Fratres dolo & fraude ac deceptione rogantium Missas, accipere onus dicendi eas cum proposito illud tollendi. Tum quia Leo X. licèt faciat facultatem recipiendi Missas, cum facultate redimendi onus eis impositum modo posito in sua Bulla in Alemania, & Bohemia, non tamen facit illam omnibus Monasteriis Ordinis; licèt Generalibus faciat facultatem dispensandi super eis, quas invenerint receptas, per quam diversitatem videtur sentire id, quod dicimus. Tum quia negari non potest, valde indecens esse viris adeò perfectis, accipere dolosè Missas onustas, cum proposito tollendi onera, nescientibus id iis, qui rogarunt illas, saltem sine causa justa, quæ fortè inveniebatur in Alemania & Bohemia propter parvitatem eleëmosynæ, quæ dabatur pro eis dicendis. Tum quia negari non potest propinquiorem causam peccandi dari concedendo vel dispensando pro Missis committendis & accipiendis, quàm pro jam acceptis. Hactenus Navarrus, optimè concordans explicationi nostræ, & justitiæ naturali.

quæ concordat ratio-ni & explicationi Auctoris.

92. Negat Navarrus posse Generalem per alium dispensare;

Qui ibidem ad quæstionem tertiam docet, æquius videri Generalem non posse dispensare per alium, delegando ipsi potestatem suam. Tum quia est potestas de faciendo, & non de dando, inter quæ est differentia. Tum quia est factum, quod communiter non potest fieri æquè bene per quemlibet. Tum quia in utraque Bulla loquitur Pontifex de solo Generali. Tum quòd potestas hæc est magna, & videtur requirere constantiam magnam & concernit utilitatem publicam animarum. Tum quia concessio hujus potestatis non est principaliter concessio tam jurisdictionis, quàm cujusdam arbitrii, & auctoritatis, & motûs animi qui non potest per alium concedi &c.

93. Contrarium est probabile.

Nihilominus contrarium, quod superiùs insinuavimus, est probabile, argumento cap. finalis

finalis extra de Officio Judicis delegati ibi: *Si iudex tertius licet ex officio nostro, vel de assensu partium pro communi à nobis datus eisdem, alij delegaverit vices suas (cùm delegato à Principe id concedatur à iure) delegatio valebit ipsius.*

cap. fin. extra de Officio iudicis delegati,

& fundatum in jure *l. 5. Cod.* de Judiciis.

Quæris quod sit illud jus? Respondeo, Lex 5. Cod. de Judiciis: *A iudice iudex delegatus, iudicis dandi potestatem non habet, cum ipse iudiciario munere fungatur, nisi à Principe iudex datus fuerit.*

94. Satisfit primo argumento Navarri.

Ex qua Lege patet responsio ad primam rationem Navarri: quis enim dubitat in his juribus sermonem esse de potestate faciendi, id est, judicandi? Et tamen hæc potestas potest subdelegari.

Neque in eo ponit differentiam inter potestatem de dando, & de faciendo Lex, quam citat Navarrus (1. Cod. de Cad. toll. §. 9. *Ne autem*) sed potiùs insinuat contrarium, ut patet ex ejus verbis. *Ne autem hoc, quod non inelegantèr summi ingenij vir Vlpianus in hac parte cum omni subtilitate disposuit, prætereatur: sanctione nostrâ hoc apertius inducimus. Cùm enim iam statuimus hoc cum suis oneribus ad eum, qui lucratur, pervenire: sancimus si quidem conditio, vel aliud gravamen in dando sit constitutum: hoc omnimodò lucrantes pro modo lucri agnoscere. Sin autem in faciendo aliquid impositum est: si quidem hoc per alium impleri possit, simili modo & à lucrante agnosci, puta si honorata persona iubeatur insulam, vel monumentum, vel aliud tale suis sumptibus facere, vel hæredi vel Legatario, vel alij fortè cui testator voluerit: vel rem ab hærede testatoris emere, vel locationem, vel fidei-iussionem subire, & si quid huiusmodi facti simile est. Nil enim refert, sive per eum, de quo testator locutus est, sive per alium eiusdem lucri successorem adimpleatur. Sin verò talis est verborum conceptio, & facti natura, ut quod relictum est ab alio, impleri non possit: tunc etsi lucrum ad aliquem pervenerit, non tamen & gravamen sequi, quia hoc neque ipsa natura concedit, neque testator voluit.* Hucusque Imperator Justinianus; parùm ad propositum Navarri meo judicio.

95. Satisfit secundo argumento.

Imò, inquis, multùm; quia, ut habet secunda ejus ratio, hoc factum, de quo disputamus, communiter non potest æquè bene fieri per quemlibet.

Respondeo, neque sententia judicialis, tamen est subdelegabilis. Sicuti ergo judex à Principe delegatus, non cuilibet debet suam potestatem subdelegare, sed idoneo ad judicandum; ita quoque Generalis, non cuilibet debet subdelegare suam potestatem dispensandi, sed viro ad id faciendum idoneo.

96. Tertia Navarri ratio discutitur.

Ad tertiam rationem, concedo solum Generalem exprimi in utraque Bulla, sed quid tum? Ergo, inquis, eligitur industria & fides personæ: ergo illa potestas non est subdelegabilis, juxta illud cap. finalis de Officio Judicis delegati: *Is autem cui iniungitur, ut personaliter negotium exequatur, potest (dummodo partes consentiant) hoc alijs delegare: Præterquam si inquisitionem fieri, vel Ecclesiis de Prælatis, vel alijs ministris provideri mandaremus, cùm in his omnibus casibus industriam & fidem personæ, cui talia committimus, eligere videamur.*

cap. fin. extra de officio Judicis delegati.

Concordat Lex 1. Cod. de Cad. toll. §. suprà allegato ibi: *Quid enim si testator iusserit eum in certum locum abire, vel liberalibus studijs imbui, vel domum suis manibus exstruere, vel pingere, vel uxorem ducere? quæ omnia testatoris voluntas in ipsius solius persona intelligitur conclusisse, cui in suam munificentiam relinquebat.*

l. 1. Cod de Cad. toll.

Respondeo nihilominus negando primam Consequentiam: quia quoties aliquid conceditur Prælatis præsentibus & futuris in perpetuum, non potest dici electam esse industriam personæ, cùm personæ incognitæ delegetur, ut tradit Jason. l. *More* n. 65. ff. de Iurisdic. omn. jud. & alii apud Sanchez lib. 2. de Matrimonio disp. 40. n. 17.

97. Ad illam respondetur.

Iason. *Sanchez.*

Qui ibidem n. 14. docet Episcopum posse delegare facultatem dispensandi in impedimentis Matrimonium dirimentibus, casu quo ipse potest dispensare; quia, inquit, jurisdictio ex Principis privilegio competens non personæ, sed perpetuò dignitati, vel officio, non est delegata, & potestatis ordinariæ jura habet & sequitur, ut docent Bartholus l. *Ambitiosa* n. 34. ff. de Decret. ab Ord. fact. & plurimi alii, quos ibi Sanchez citat.

Iurisdictio competens perpetuò dignitati, non est delegata.

Bartolus.

Jam verò inter jura potestatis ordinariæ, numeratur delegatio: argumento leg. 5. ff. de Jurisdictione, quæ sic habet: *More Maiorum ita comparatum est, ut is demùm iurisdictionem mandare possit, qui eam suo iure, non alieno beneficio haberet.*

An fortè quispiam negaverit potestatem dispensandi in impedimentis Matrimonii magnam esse, & requirere constantiam magnam & concernere utilitatem publicam animarum? Non arbitror. Similiter magna est potestas absolvendi ab hæresi, magnam requirit constantiam, & concernit utilitatem animarum; nihilominus Episcopus, quam sibi olim concessam habebat per Tridentinum sess. 24. de Refor. cap. 6. alteri in casu particulari poterat delegare, ut multi probabiliter docent.

98. Obstat cap. fin. de officio Iudicis delegati.

Nec obstat, quod communiter allegatur ex capite finali de Officio judicis delegati ibi: *Cæterùm (salvâ Legatorum Sedis Apostolicæ auctoritate) nulli cui commissum fuerit prædicare Crucem, excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus, vel iniungere pœnitentias, licèat hæc de cætero alijs demandare: quia non sibi iurisdictio, sed certum ministerium potiùs committitur in hac parte.* Intelligendum quippe est, quando nudum ministerium committitur singulari personæ; secùs quando ex privilegio perpetuo dignitati concesso.

Solitur.

99. Et quamquam jura potissimùm loquantur de con-

Occurritur alteri objectioni.

de concessione jurisdictionis (qualis non est concessio hujus potestatis, cùm reductio Missarum ad minorem numerum non sit vera dispensatio, sed mutatio voluntatis eorum, qui stipendium obtulerunt) equidem par ratio est de potestate arbitrandi, & concessione cujusdam auctoritatis ad aliquid faciendum, quidquid in contrarium videatur dicere Glossa in Lege *Sicuti* 18. ff. de Receptis, qui arbitrium receperunt, ut sententiam dicant, ubi verb. *Omnes*, sic inquit: *Et nota hic, quòd cùm aliquid est à pluribus faciendum, omnes facere debent, nec sufficit unum alteri committere animi sui motum.*

Resp. ad Gloss. in leg. *Sicuti* ff. de Recept.

Respondeo; unum alteri ex illis pluribus: vel loquitur de arbitris non constitutis à supremo Principe. Lex sic habet: *Sicuti tribus judicibus datis, quod duo ex consensu absente tertio, judicaverunt, nihil valet: quia id demùm, quod major pars omnium judicavit, ratum est, cùm & omnes judicasse palam est.*

Imprimis non quæritur hìc, an tertius absens potuerit alteri subdelegare suam potestatem judicandi cum duobus aliis; sed an duo isti soli, fortè ex compromisso tertii absentis, validè judicaverint. Secundò, ut manifestissimùm est, agitur non tantùm de concessione alicujus auctoritatis, aut motûs animi, sed de vera potestate jurisdictionis, & verâ juridicâ sententiâ, quam proinde sententiam intellexit Glossa per moutm animi. Ergo frustra Navarrus adducit Glossam istam pro sua opinione, & ex illa petit distinctionem inter concessionem jurisdictionis, & concessionem cujusdam arbitrii, vel auctoritatis.

Sed hæc superabundè de privilegio Minimorum; de simili autem privilegio ejusdem Leonis, concesso Fratribus Minoribus dicam Conclusione sequenti.

100. Non valet argumentum à Pontifice ad pauperem Sacerdotem.

Redeo ad principalem controversiam, & dico, etsi Papa posset ex justa causa dare licentiam accipiendi plura stipendia pro una Missa, non per modum dispensationis propriè dictæ, sed mutando fidelium voluntates, sibi in hoc subjectas, sicuti irritat vota, beneficia regularia sæcularibus confert, & vice versâ, redditus beneficiorum à laicis injustè perceptos condonat &c. quâ veri apparentiâ infertur: ergo idem potest quilibet Sacerdos pro libitu suo, & titulo meræ paupertatis? Planè nulla, aut certè perexigua, estò etiam, quòd una Missa, pro pluribus oblata, æquè prodesset illis, ac si pro singulis offerretur, ut aliqui volunt.

Probatur primò.

Primò: quia saltem hoc incertum est; non potest autem pro certo stipendio dari incerta solutio, cùm pacisens censeatur petere totum & certum valorem: quamquam in aliis materiis sufficiat probabilis impletio, v. g. legis, voti, seu promissionis Deo factæ, jejunii, lectionis Horarum &c. quia Legislator, & ipse Deus non plùs censentur exigere: sicut bene exigit æqualitas justitiæ commutativæ ex sensu communi contrahentium.

Deinde, ut certus esset valor satisfactionis & impetrationis, numquid unâ Missâ tantus honor defertur Deo & Sanctis, atque centum & millibus? Quis credat? Quid si ergo offerens stipendium pro centum Missis, velit centies Deum honorari per oblationem Sacrificii? Sanè nec ipse Pontifex ex thesauro Ecclesiæ potest illam voluntatem dantis supplere. Secundò.

Tertiò: stipendium non datur pro valore & fructu Missæ, qui, utpote res spiritualis, est pretio inæstimabilis; sed titulo tantùm vel laboris extrinseci, vel sustentationis: atqui ex hoc quòd Sacerdos offerat unam Missam pro pluribus, non multiplicantur incommoda statui Sacerdotali annexa, nec indiget majori sustentatione; quo ergo jure accipit multiplex stipendium? Tertiò.

101. Objectio duplex.

Dices; eodem jure, quo ille, qui recipit stipendium ratione obligationis celebrandi Missam in aliquo loco, adhuc licitè recipit, juxta plerosque Doctores, novum stipendium ab illo, cui specialem fructum Sacrificii applicat. Et eodem jure, quo aliquis operam suam unicam, duobus æquè valituram, singulis locans in solidum, potest à singulis petere integrum pretium.

102. Solutio primæ, scienti & volenti non fit injuria.

Sed contra primum; scienti & volenti non fit injuria, ille, qui stipendium offert solùm pro præsentia, sive officiatura, eo ipso implicitè consentit, ut aliud stipendium accipiat pro intentione, quam relinquit ipsi liberam; sicuti si expressè diceret: Ego volo tibi dare integrum stipendium hujus diei, pro labore extrinseco eundi ad talem locum; sic tamen, ut absque ullo onere restituendi possis recipere stipendium ab alio, & offerre pro illo, perinde ac si à me nihil accepisses.

Quid si aliquis liberaliter offerat pauperi Sacerdoti integram sustentationem diei, num ideo gratis debet applicare Sacrificium illius diei Petro v. g. qui illud petit? Quomodo ergo Sacerdos ex patrimonio dives poterit accipere stipendium sustentationis?

Et verò quis non videt multiplicari incommoda statui Sacerdotali annexa, quando Sacerdos, ut celebret, debet facere iter unius vel alterius leucæ, debet singulis momentis ad beneplacitum alterius esse paratus ad celebrandum, & similia?

Numquid majori indiget sustentatione, qui pro aliquo laborat ad duas aut tres horas, quàm qui solùm per mediam horam? Quis audeat negare? An fortè etiam major labor est offerre pro pluribus, quàm pro uno? Non credo.

103. Respons. ad 2. Lessium.

Ad secundum Respondeo, & illud à quamplurimis negari: sed estò verum sit, ut putat Lessius de Justitia & Jure lib. 2. c. 24. n. 28. disparitas adhuc est: quia quòd unâ eâdemque operâ pluribus æquè possim commodare ac uni, non minuit æstimationem operæ respectu singulo-

singulorum: non enim opera mea minoris tibi valet, quòd eadem, dum tibi impenditur, simul alteri prosit: ergo si tibi soli exhibita valet tibi duobus aureis, non minoris tibi valebit,, quòd simul alteri per eam possim commodare. Hâc ratione probat Lessius suam doctrinam.

In Sacrificio non consideratur fructus ejus, sed labor Sacerdotis.

Igitur in hoc contractu consideratur æqualitas inter datum & acceptum, inter operam meam & pretium propriè dictum, quod pro ea solvitur: porrò in casu Conclusionis, non consideratur fructus Sacrificii, ut pro eo detur pretium æquivalens, non enim est pretio æstimabilis; sed juxta laborem Sacerdotis in spiritualibus, datur ipsi stipendium proportionatum sustentationis corporalis, secundùm

1. Cor. 9. illud Apostoli 1. Cor. 9. v. 11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?*

Nonne æqualis fructus Missæ privatæ & solemnis? Prorsus: & tamen inæquale stipendium, propter inæqualitatem laboris. Herculè non est ambigendum fructum unius Missæ longè præstare fructui totius divini Officii, tam diurni, quàm nocturni, & tamen quis nesciat stipendium Horarum canonicarum, quæ nocte, & die cantantur in choro, superare stipendium sustentationis unius Missæ? Quare, nisi quia longiori tempore occupatus rebus spiritualibus, minùs idoneus est, ut aliis operibus corporalibus victum & amictum sibi acquirat?

104. Objectio. Dices; non plùs laborat, qui applicat mihi integrum fructum Sacrificii tum satisfactionis, tum impetrationis, quàm qui applicat solum fructum satisfactionis, vel solum fructum impetrationis, & tamen pro applicatione utriusque fructûs majus stipendium potest accipere, quàm pro applicatione alterius tantùm.

Responsio. Sacerdos semper potest accipere integrum stipendium & non ultra sive a pluribus sive ab uno.

Respondeo; quia labor æqualis est, ideo semper potest accipere integrum stipendium, & non ultra, sive ab uno solo, cui applicat integrum fructum, sive à pluribus, inter quos dividit fructum Sacrificii. Non enim dicit Apostolus suprà: *Si nos spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia metamus?* Sed inquit: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus?*

Carnalia, inquam, *vestra*, quibus utique seminavimus spiritualia. *Qui* autem *parcè seminat, parcè & metet.* 2. Cor. 9. v. 6. *Et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Qui

2. Cor. 9. ergo parcè mihi seminat spiritualia, quidni etiam parcè metet mea carnalia? Æquitas naturalis sic dictat.

105. Objectio. Sed contrà; qui pluribus applicat integrum fructum Sacrificii, pluribus seminat spiritualia in benedictionibus; ergo de benedictionibus metet carnalia singulorum, id est, accipiet à singulis integrum stipendium.

Solvitur. Respondeo: à singulis copulatim, concedo totum; à singulis disiunctim, nego Consequentiam: quia unicum Sacrificium Missæ, sive uni, sive pluribus applicatum, non meretur nisi unicum stipendium sustentationis, tantum scilicet, quantum, omnibus consideratis, ab Episcopo vel consuetudine legitimè fuerit taxatum.

Unicum Sacrificium non meretur nisi unicum stipendium.

Unde Lessius suprà limitat suam assertionem: nisi alioquin merces annua, vel diurna, ita sit taxata auctoritate publicâ, vel recepta usu, ut sive unius, sive plurium causam agas, non possis ampliùs exigere.

Atque ita se res habet in præsenti negotio, numquam enim auditum fuit vel Episcopum, vel consuetudiné majus stipendium taxasse pro Missa oblata pro pluribus, quàm pro uno solo; imò est contra communem sensum eorum, qui stipendium solent offerre, qui indubiè nollent dare integrum stipendium, si scirent Missam etiam pro aliis offerri. Et quidquid sit de fructu satisfactionis & impetrationis, certum est, quòd unâ Missâ non tantùm honoratur Deus, vel Sancti, quàm pluribus, cùm tamen illum honorem sæpè intendant offerentes stipendium. Quin communiter censentur velle omnem fructum ex opere operato, nisi contrarium explicent.

Numquam fuit taxatum majus stipendium pro Missa oblata pro pluribus.

106. Qui ratione teneatur in Natali Domini petere vel recipere stipendium. Sententia Lugonis.

Ex his facilè respondetur ad illam Consequentiam: *Ergo in natali Domini non potest Sacerdos accipere stipendium pro tribus Missis*, quia non indiget majori tunc sustentatione, quàm alio die.

Licèt, inquit Lugo disp. 21. n. 18. non plus insumat ad sui sustentationem illâ die, quàm aliis, atque ideo per unicum stipendium videatur illi satisfactum pro sumptu necessario ad personam ministri: aliunde tamen totum, quod fit ex illis tribus stipendiis, & aliis, quæ accipit toto anno, non excedit, quod requiritur ad victum pro toto anno. Cùm ergo ad celebrandum hâc die, sit necessaria persona Sacerdotis, non solùm sustentata hâc die vel horâ, sed toto anno, meritò & rationabiliter distribuuntur expensæ illæ totius anni inter omnes petentes Missas, ut singuli concurrant per partes æquales, juxta partem, quam habent in illis Sacrificiis. Hæc ille.

Sed si eadem dixerim de pluribus stipendiis pro eadem Missa (neque enim quod sit ex pluribus illis stipendiis, & aliis, quæ accipit toto anno, excedit quod requiritur ad victum pro toto anno) manet profectò difficultas. Sententia Auctoris.

Hinc Respondeo aliter; unum stipendium etiam integrum, haud sufficit ad integram sustentationem, saltem commodam illius diei: igitur sicuti pro alio officio, sive corporali, sive spirituali, quod tempore aliarum Missarum faceret Sacerdos, posset aliquam sustentationis partem accipere: ita pariter pro aliis Missis, quod constat non habere locum in casu,

casu, quo plura integra stipendia accipiuntur pro eadem Missa.

Ponitur resolutio finalis.

Sit ergo resolutio finalis, suppositâ legitimâ taxatione stipendii, jus naturæ prohibet plura stipendia integra pro eadem Missa accipere propriâ auctoritate.

Si autem adhuc dubitas, an Sacerdos, cui ab uno datum stipendium minus, quàm sit legitimè taxatum, possit tantum accipere ab alio, quantum sufficit ad justam unius Missæ eleëmosynam, & deinde unicâ Missâ utrique satisfacere? Respondeo:

CONCLUSIO VI.

Ex natura rei potest Sacerdos ab uno, vel à diversis tot parva stipendia accipere, quæ justæ eleëmosynæ æquivaleant, & unum tantùm pro omnibus illis Missæ Sacrificium offerre.

107. Pluribus parvis stipendiis unica Missa satisfit.

Est communis; & ratio patet, quia non est fraudandus Sacerdos suâ justâ mercede. Vel sic, quia per oblationem stipendii minoris justo, fit injuria Sacerdoti: ergo potest se indemnem servare. Suppono quippe Sacerdotem accipiendo illud exiguum, jure suo nequaquam cessisse.

nisi aliter fuisset cum Sacerdote conventum.

Quòd si expresè suo jure cessit, atque expresè acceptavit, & promisit ob illam tenuem stipem totam Missam applicare, censent plerique tunc non posse ab alio quidpiam accipere; quia tunc suo pacto seu promissione, cui semper standum est, se ad totam obligavit, jure suo cedendo.

Sicut tametsi vir innocens ob adulterium uxoris jus habeat negandi debitum; equidem si ante adulterium cesserit jure suo, constat, quia obligatur reddere. Ergo similiter licèt Sacerdos jus habeat exigendi integrum stipendium pro qualibet Missa, equidem si cesserit jure suo, spontè acceptando dimidium, haud dubium quin obligetur.

Sit ergo Sacerdos dives & promittat homini pauperculo offerenti exiguum stipendium integram Missam: quis adeò desipiat, ut audeat ipsum excusare ab obligatione, saltem ratione suæ promissionis? Quid si enim omnino liberaliter promisisset? Indubitanter obligaretur, ad minus ex fidelitate. Hinc Suarius disp. 86. sect. 4. §. *Vnde consequenter*. Si Sacerdos (inquit) omnino voluntariè contentus sit illo stipendio, & promittat se integrè Sacrum oblaturum pro tali persona, tunc ad implendum tenebitur magis ratione promissionis simplicis, quâ stipendii.

108. Tamburinus.

Interim si probabile foret (quod negat Thomas Tamburinus lib. 3. de Sacrificio c. 1. §. 3. nu. 11.) unicum Sacrificium pro pluribus oblatû tantùm prodesse singulis, ac si pro uno tantùm offerretur, fortè videretur alicui probabile, unâ Missâ posse satisfieri duabus obligationibus, vel pluribus, quæ non sunt justitiæ. Accipit v. g. ex una parte Sacerdos eleëmosynam à Petro, ut pro ipso unam Missam offerat; ex alia parte idem Sacerdos ex liberalitate, vel ex charitate, vel alio titulo qui non sit justitiæ, promittit Paulo unam Missam, poterit unicâ Missâ Petro & Paulo satisfacere. Idem est si pro nullo intercedat titulus justitiæ, id est, adequati stipendii; sed tum Petro, tum Paulo v. g. debeat Sacerdos ex charitate, vel promissione.

Aliquibus videtur probabile unâ Missâ posse satisfieri pluribus obligationibus quæ sunt justitiæ.

Sicuti enim sufficit probabilis adimpletio voti sive promissionis factæ Deo, ita quoq; videtur sufficere probabilis adimpletio promissionis factæ homini. Talis autem Sacerdos probabiliter utrique confert integrum fructum Sacrificii, ac si pro singulis particulariter offerret; ergo probabiliter implet suam promissionem.

Probatur à simili.

Ex quo sequitur ad propositum principale; si Sacerdos accepisset exiguum stipendium ab uno cum promissione integri fructûs Sacrificii, posse nihilominus ab altero reliquum justi stipendii accipere cum simili promissione, & unicâ Missâ utrique obligationi satisfacere.

Hæc fortè aliquibus videbuntur plausibilia; sed interrogo ego unum verbum: Nùm ambigendû per duplex Sacrificium majores agi gratias Deo, quàm per unicum? Nùm honor, qui Deo & Sanctis provenit ex Sacrificio, minor erit ex uno, quàm ex pluribus? Quid si ergo plures illi, qui offerunt stipendium inadæquatum, voverint singuli Deo Missam in gratiarum actionem, vel in honorem alicujus Sancti?

109. Sententiâ Auctoris.

Existimo, quòd Sacerdos qui liberaliter promisit singulis integrum fructum Missæ, existimo, inquam, haud satisfacturum unicâ Missâ, etiam in quacumque sententia: nisi dixeris promissionem tantùm debere intelligi de fructu impetrationis & satisfactionis, utpote ad ad quem solùm, offerens adæquatum stipendium, habeat jus. Verùm quo fundamento facis illam distinctionem? Numquid Episcopi taxantes stipendium, illius aliquando meminerunt? Non recordor.

Igitur Sacerdos qui spontè cessit jure suo, acceptando à pluribus exigua stipendia, pro singulis in particulari offerat Sacrificium, ac si à singulis integrum stipendium accepisset. Qui verò coactè acceptavit, nonne eandem habet obligationem? Negat Suarius suprà probans à simili: Sicuti, inquit, famulus aut operarius, cui condigna merces non tribuitur, potest damnum suum, ut potuerit, resarcire, etiamsi in principio ob paupertatem coactus sit paciscì pro injusto & inæquali stipendio: & similiter qui ob necessitatem cogitur triticum emere injusto pretio, potest sine injustitia, aliâ viâ se indemnem præstare. Hæc ille.

110. Sacerdos qui coactè acceptavit à pluribus exigua stipendia, non tenetur pro singulis offerre integrum Sacrificium.

Sicut emptor, qui injusto pretio rem emit, potest se indemnem servare.

Et quidem injustus venditor meritò potest & debet præsumere eum, qui ob necessitatem triticum emit, verè non consentire tali pretio, ad quod extorquendum ipse nullum titulum habet. Quidni igitur talis emptor possit sine injustitia, aliâ viâ se indemnem præstare? Injustum enim patitur damnum.

III. An etiam famulus, qui suum cogitur famulatum vendere?

Quoad famulum autem vel operarium, qui ob paupertatem cogitur minori, quàm sit justum pretium, suum famulatum vendere, putat Tamburinus suprà nu. 59. ipsum nunc regulariter in tanta multitudine servorum non posse se occultè indemnem servare, damnumque suum contra Dominum resarcire.

Sententia Tamburini,

Ratio ejus est; quia Dominus damnum patitur causâ hujus famuli, ne alium conducat, qui minori pretio serviat; si enim sciret Dominus, quòd hic famulus se occultè resarcire vellet, non de illo, sed de alio, in tanta multitudine servorum, sese exhibentium, provideret; quâ igitur justitiâ famulus occultè à Domino surripiat illud, quod Domino alius remitteret, nisi ipsemet famulus suâ fraudulentâ exhibitione impediret? Unde quia famulus hic fuit causa damni emergentis in Domino, obligabitur Dominum indemnem servare, & consequenter ipse famulus, indemnem se contra Dominum servare non poterit.

Dixi autem: *Regulariter in tanta multitudine servorum*; nam si quando tale damnum non pateretur Dominus, quia scilicet alium servum minori illo pretio famulantem non invenisset, non erit famulus suâ justâ mercede fraudandus. Ratio est; quia licèt infideliter egerit, mendaciumque dixerit, se contentum esse minori illo pretio, tamen de facto vendidit suum famulatum, dignum tantâ illâ mercede; & ex alia parte, posito quod Dominus voluit famulatum illum emere, se implicitè ad justum pretium obligavit, nec ullum damnum, dum hunc famulum acceptat, patitur, ut supponimus. Hactenus Tamburinus.

ab Auctore rejicitur.

Qui advertere debuisset, nunc regulariter in tanta multitudine servorum, vix ullum esse, qui, si aliter posset, vellet famulatum suum vendere minori, quàm sit justum pretium: ergo etiam nunc regulariter Dominus nullum justum damnum patitur causâ hujus famuli.

112. Sententia Lugonis & Suarii affirmativa, *Lugo.*

Lugo de Justitia & Jure tom. 1. disp. 16. sect. 4. §. 2. n. 81. existimat cum Suario posse sibi hunc famulum integrè resarcire; quia, inquit, ipse non cogit ullo modo Dominum ad contrahendum, sed ipse liberè contrahit, & eo ipso vult subire obligationem, quæ intrinsecè inest contractui, ut scilicet fiat cum æqualitate pretii justi.

Exemplum usurarii,

Sicut quando in necessitate petis mutuum promittendo usuram, non decipis injustè mutuantem; nam ipse potest liberè non mutuare: si tamen dat mutuum, eo ipso obligat se ad servandas leges intrinsecas mutui, & ad non accipiendum usuram.

Quare non debes, etiam quoad partem, illi usuras dare propter fraudulentam promissionem, quâ induxisti illum ad mutuum: quia mutuans ad nullam usuræ partem jus acquirere potuit; sed eo ipso quo voluit mutuum dare, voluit servare æqualitatem naturalem intrinsecam mutuo, de cujus intrinseca ratione est dare sine lucro. Sic etiam qui in necessitate vendit infra justum pretium, non privatur, etiam quoad partem, jure suo ad totum pretium; ad hoc enim voluit se implicitè obligare emptor, eo ipso quòd liberè voluit emere, quod idem in conductione dicendum est, cùm sit eadem prorsus ratio. Hucusque Eminentissimus.

qui utuali tam nitur partem re quirit in.

Verè, an falsò? Sanè verissimè, non solùm si spectemus ipsum contractum emptionis, vel conductionis nudè secundùm se, sed etiam ut nunc regulariter; neque enim ex centum, fortè nec ex mille unus erit, qui velit rem suam, vel operam vendere pretio injusto, quando justum potest accipere.

Approbatur sententia Lugonis.

113. Cæmus ejus sententiæ.

Interim tamen si casus occurreret, in quo Dominus posset conducere servum pretio minori justo, ipso servo reliquum liberaliter condonante, indubiè peccaret contra justitiam, & per consequens teneretur ad restitutionem, qui oblato suo servitio pro eodem pretio minori, postea sibi resarciret damnum.

in quo esse facienda restitutio.

Et si quæris, ad quam restitutionem teneretur? Respondeo, totius excessûs suprà pretium expresè conventum, cùm totus ille excessus sit damnum secutum Domino ex tua injusta actione: siquidem jus habebat Dominus conducendi famulum, qui liberaliter ipsi condonaret dimidium justi pretii, quod tu impediviſti mendacio, simulans eandem conditionem.

Appellatur ad casum Confessarii spectando præcise jus autem.

Idem existimo dicendum in nostra quæstione, de eo, qui cogitur ob paupertatem inæquale stipendium acceptare; si enim offerens illud stipendium, invenisset alium (quod ex conjectura v. g ex paucitate, & numerositate Sacerdotum, ac petentium Missas, vel simili colligendum erit) qui minori illo stipendio liberaliter celebraret, non poterit Sacerdos se indemnem servare, applicando offerenti partem tantùm Missæ: sin autem non invenisset, utique poterit, quantùm est præcisè ex vi juris naturæ; qui enim metu coactus aliquid facit, aliàs non facturus, non censetur cedere juri suo, ut patet in conjuge innocente ex metu cognoscente compartem adulteram, qui propterea non perdit jus dissolvendi thorum, alioquin perditurus, si absque metu fecisset, & similia exempla innumera in omni materia occurrunt.

114. Quid dicendum ad mentem declarationis Cardinalis.

Dixi autem, *Præcisè ex vi iuris naturæ*; quia aliter videtur resolvendum, attento Decreto Cardi-

Cardinalium, de quo superiùs fecimus mentionem: nam §. 2. sic lego: *Vbi pro pluribus Missis, etiam eiusdem qualitatis celebrandis, plura stipendia quantumcumque incongrua & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus &c. Sacra Congregatio sub obtestatione divini iudicij mandat ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleëmosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ij, ad quos pertinet suæ obligationi non satisfaciant, quin immo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.*

Et desuper eadem Congregatio interrogata, an verba illa (*Præscriptæ fuerint*) intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario: Respondit, *esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleëmosynam tribuit, non autem ab Ordinario: quòd si tribuens eleëmosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundùm morem Civitatis vel Provinciæ.*

115. Putat Tamb. stante Declar. Sacerdotem posse accipere plura parva stipendia,

Nihilominus puto (inquit Tamburinus suprà n. 53.) adhuc posse (Sacerdotem accipere plura exigua stipendia pro eadem Missa) nec timendum Decretum, cùm nobis contrarium non sit; quia non est credibile voluisse Sacram Congregationem fraudare Sacerdotes justâ mercede.

Expendens verba juris: *Ad rationem &c.*

Ad quod confirmandum expendit primò illa verba Decreti: *Ad rationem attributæ eleëmosynæ*; nam significant Missas celebrari debere, non sicuti ab offerente absolutè præscriptæ sunt, sed sicuti ab eodem juxta rationem & computum datæ eleëmosynæ præscriptæ sunt. Cùm igitur eleëmosyna non sit data nisi limitatè, limitatè debebitur applicatio Missæ.

Quando ergo Congregatio respondit se loqui de præscriptione facta ab offerente, non verò facta ab Ordinario, solùm explicuit personas, quæ facere debeant præscriptionem, non verò ad quam ratam; quia hanc fieri debere ad rationem eleëmosynæ datæ, dixerat in Decreto.

Quando item præcipit ut ad stipendia, quantumvis incongrua & exigua, etiam data ab una persona, Missæ præscriptæ celebrentur, præcipit quidem ut celebrentur Missæ ad eleëmosynam præscriptam, sed juxta ratam, seu ad rationem dictæ eleëmosynæ, non verò ad merum arbitrium dantis.

Item *Suæ obligationi &c.*

Notat secundò illud: *Suæ obligationi non satisfacere.* Ubi per *suam obligationem* non intelligitur, nisi ea, quæ erat ante Decretum; hæc enim erat sua, id est, Sacerdotum obligatio, & Decretum solùm illius meminit, illamque inculcat, non verò inducit. Quoniam ergo ante Decreti promulgationem Sacerdotes hâc obligatione non obstringebantur, nec in præsenti constringentur. Hæc Tamburinus.

116. Sed nescio, an ad mentem Cardinalium; videntur enim aliquid ampliùs voluisse decernere, quàm illud, quod erat debitum ex jure naturæ, & omnibus satis notum, & ubique praticatum. Reverà offerentes stipendium frustra præscribent numerum Missarum, si illa præscriptio fieri debeat ad ratam eleëmosynæ; non enim ipsorum est taxare stipendium, sed potiùs Episcopi, qui proinde taxando stipendium, jam implicitè præscribit numerum Missarum; adeò ut in potestate offerentium stipendium non sit, obligare Sacerdotem ad plures Missas celebrandas, quàm stipendium juxta voluntatem Episcopi exigit.

Dubitat Auctor an ad mentem Cardinalium.

Et verò hæc verba: *Sub obtestatione divini iudicij mandat, ac præcipit*; nùm tibi videntur solùm inculcare obligationem, quæ erat ante Decretum? Quibus ergo deberet Congregatio uti, si vellet novam obligationem inducere? Planè ignoro.

117. Allegantur varia privilegia.

Præterea argumentor contra Tamburinum ex iis, quæ ibidem docet §. 4. ubi inquirit quæ sint illa privilegia, quæ Sacra Congregatio Cardinalium revocavit in eadem Bulla §. 3. ut deinceps exactiùs observaretur Decretum, de quo in præsenti agimus.

Primum Iulii II.

Respondet autem esse ferè sequentia. Primum Julii II. & Leonis X. concessum Generali Fratrum Minimorum, quod retulimus Conclusione præcedenti. Secundum ejusdem Leonis X. concessum Minoribus Bullâ 7. apud Confectium, quod sic habet: *Cùm sicut accepimus propter devotionem, quam utriusque sexus Christi fideles ad Ordines Fratrum Minorum de Observantia gerunt, contingat sæpiùs, ut fideles ipsi plures Missas per eosdem Fratres celebrandas, elargita eis aliquâ eleëmosynâ committant, & in aliquibus Regionibus in eleëmosynam celebrationis unius Missæ certa pecuniæ quantitas valde parva & tenuis dari consuevit; adeò quòd vos ob eleëmosynam, quæ singulariter à pluribus elargitur, tot Missas, quot sunt largientes, pro singulis celebrare non valeatis.* Et infrà: *Nos.....vobis ac pro tempore existentibus Fratribus Ord. & Obser. prædictorum, quòd celebrando unam Missam dumtaxat, si eleëmosyna æquivalens unius Iulij non elargitur, etiamsi duas, tres, aut quatuor, aut plures Missas celebraturi, occasione diversarum, vel plurium eleëmosynarum huiusmodi, & in dicta celebranda Missa pro omnibus, qui dictis Missis in eleëmosynam usque ad summam huiusmodi contribuerint, vel contribuent in futurum, commemorationem in genere faciendo, in hac conscientiarum vestrarum puritati satisfactum fore & esse auctoritate Apostolicâ decernimus pariter & indulgemus.*

Secundum Leo X.

Tertium privilegium est concessum Monasterio Sancti Benedicti Vallisoletani per Nicolaum Francum Nuntium Sixti IV. in hanc formam: *Reverendissime Pater supplicatur Paternitati vestræ Reverendissimæ, ut Fratres quascumque eleëmosynas, vel quæcumque legata, etiam pro tempore per quascumque personas supra dictis Monasterijs huius observantiæ, pro perpetuis Capellanijs, vel aliàs*

Tertium concessum per Nuntium Sixti IV.

liberè & licitè possint ea recipere, habere, & retinere sine prædicto onere &c. Fiat, ut petitur. Nicolaus Francus Legatus. Habetur apud Rodriguez in Bulla Sixti IV. Bullâ. 44.

Quartum Martini V.

Quartum privilegium est Martini V. concessum Patribus Divi Hieronymi in Hispania, in quo conceditur, quòd illi non teneantur dicere pro qualibet Capellania fundata in Monasterio de Guadalupe, ultra quatuor Missas in qualibet hebdomada, etiamsi earum Fundatores & Institutores defuncti ordinaverint quotidie Missam celebrari, & quod idem Papa dixit hanc esse amplam satisfactionem per has quatuor Missas. Vide Portel V. Missa n. 2. ubi addit hæc verba: Ego quoad concessionem hanc non dubito quin fuerit facta; sed non consulo quòd fiat propter non usum; immo quòd non publicetur sæcularibus ob periculum pusillorum.

Portel.

118. quæ revocavit in hoc Decreto S. Congr. secundùm Tamb.

Hæc privilegia, inquit Tamburinus suprà n. 7. in fine, & si quæ alia fortasse fuissent, revocavit in hoc Decreto Sacra Congregatio.

Quæris ab illo, quâ ratione Pontifex hæc privilegia concedere tunc potuit in præjudicium eorum, qui eleëmosynas obtulerant? Respondet ad primum, secundum, & quartum, Pontificem solùm declarasse justum stipendium Missæ. Ad tertium quod est Legati Pontificis, si potes, inquit, prædictâ vel aliâ interpretatione defendere, bene est; secùs concedere Legatum suæ potestatis limites excessisse (licèt bonâ fide) non est inconveniens.

119. Argumentum Auctoris contra Tamb.

Nunc ex dictis sic argumentor contra prædictum Auctorem: Cardinales §. 2. solùm decernunt, ut ipse vult, neminem posse recipere plura stipendia justa pro eadem Missa, sive ab eadem persona, sive à diversis; ergo §. 3. tantùm revocant privilegia, quæ concedebant recipere plura stipendia justa, sive ab eadem persona, sive à diversis pro eadem Missa. Ut quid enim revocarent, quod jure naturæ erat licitum, scilicet recipere justum stipendium pro singulis Missis?

120. Objectio.

Dices: non revocant quod jure naturæ est licitum, sed declarant illam taxam excedere justum stipendium; sicuti si Princeps sæcularis revocaret legem taxativam justi pretii alicujus rei, per hoc non prohiberet illam rem vendere justo pretio, sed solùm declararet, pretium anteà taxatum, non esse legitimum.

Responsio.

Sed contrà: nùm ideo injustum, quia non legitimum? Certè legitimum esse non poterit, nisi fuerit justum: lex quippe injusta non est lex; neque lex justa erit, quæ decernit pretium, omnibus consideratis, excedens valorem rei. Quod ergo Pontifex tunc judicavit justum stipendium unius Missæ, quidni & hodie in eisdem circumstantiis posset esse tale, tametsi ampliùs non foret legitimum? Ergo hæc revocatio Cardinalium parùm vel nihil conducit ad magìs exactam observationem præcedentis Decreti: nam etiam sine privilegio poterunt Fratres Minores recipere plura parva stipendia ab una vel à diversis personis excrescentia ad unum stipendium justum, & satisfacere unicâ Missâ. Et verò, nonne Tamburino teste suprà n. 9. etiam nunc in tanta Sacerdotum multitudine unus Julius seu argenteus solet esse justum stipendium?

Quidam tabiliverint Cardinales per suum Decretum.

Quomodo ergo verosimile est, Cardinales voluisse revocare privilegia, quæ taxabant stipendium justum, supposito quòd non prohibeant accipere plura parva stipendia pro eadem Missa? Igitur vel prohibent plura parva stipendia accipere pro eadem Missa, ut sic meliùs evitent Sacerdotes quæstum turpem, & præcipiunt pro singulis quantumcumque incongruis stipendiis singulas legere Missas sub gravi peccato & onere restituendi; vel certè tantùm revocant privilegia (si aliqua talia sint justa, vel injusta) quæ concedunt recipere plura stipendia justa pro eadem Missa. Hæc discursûs gratiâ.

121. Quid sit privilegium.

Si autem aliquis me interrogat, quid erit opus Fratribus Minoribus privilegio suprà relato, si id liceat ex natura rei, & aliunde non est prohibitum? Aut quomodo est privilegium, quo tantùm conceditur, quod jure naturæ est licitum? Respondeo; privilegium est constitutio Principis, specialem favorem concedens. Et quamvis ordinariè per privilegium aliquid concedatur ultra jus commune; equidem nonnumquam privilegium nihil aliud est, quàm confirmatio ejus, quod jure communi est permissum.

An confirmatio juris communis sit privilegium?

Si dixeris, illa confirmatio non concedit specialem favorem; ergo non est privilegium. Respondeo Negando Antecedens: Primò quippe inducit aliquam certitudinem, etiam speculativam, quæ confert ad rectè operandum sine aliquo remorsu vel gravamine conscientiæ. Secundò addit specialem admonitionem Principis, ut servetur aliquibus jus commune.

122. Pars affirmans probatur ex cap.

Dubitas, an illa certitudo vel admonitio sit specialis favor? Consule legem 5. ff. de Injuriis, & §. 26. dicet tibi, *Ea quæ notabiliter fiunt, nisi specialiter notentur, videntur quasi neglecta.* Ideo quæ generaliter concessa sunt, per privilegia aliquando renovantur; magìs enim timentur, quæ specialiter caventur, quàm quæ generaliter prohibentur: argumento cap. 11. dist. 11. *Quis nesciat* (inquit Innocentius I. ad Decentium Episcopum Eugubinum Epistolâ 1.) *aut non advertat, id quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditum ab omnibus deberi servari?* Et infrà: *Quod sufficere arbitraremur ad informationem Ecclesiæ tuæ vel reformationem si prædecessores tui minùs aliquid, aut aliter tenuerint, & satis certum haberemus, nisi de aliquibus consulendos nos esse duxisset:*

& omnino eo loco.

duxisset : quibus idcirco respondemus ; non quòd te aliqua ignorare credamus ; sed ut maiori auctoritate tuos instituas. Cap. autem 6. dist. 23. ex Concilio Toletano XI. cap. 10. sic dicitur : *Solet plùs timeri quòd singulariter pollicetur, quàm quod generali sponsione concluditur.*

Tolet. XI.

Confirmat itaque Princeps jus commune, ut suo nomine majori auctoritate servetur, aut fiat. Testis est Innocentius III. cap. 7. de Procur. rescribens Scholaribus Paris. *Quia*, inquit, *in causis, quæ contra vos, & pro vobis inventur, vestra Universitas ad agendum & respondendum commodè interesse non potest, postulatis à nobis, ut procuratorem instituere super hoc vobis de nostra permissione liceret. Licèt igitur de iure communi hoc facere valeatis ; instituendi tamen procuratorem super his auctoritate præsentium vobis concedimus facultatem.* Simile privilegium habes cap. *Etsi Christus* 26. de Jurejurando in fine.

Innoc. III.

123. Plura talia privilegia obtinuerunt Regulares.

Et Regulares, ut notat Rodriguez qq. regul. tom. 1. q. 7. art. 1. à Sede Apostolica multa hujusmodi privilegia impetrarunt. Quæ licèt nihil aliud concedant, quàm id, quod ipso jure communi poterant facere ; hæc tamen privilegia operantur, ut faciliùs & clariùs jus habeant, & sic provideatur ipsorum consciențiis timoratis, & litibus, quæ super eorum dubia oriri possunt, finis faciliùs detur, quod volunt Summi Pontifices, maximè in causis Regularium. Ita Rodriguez.

Rodriguez.

Atque his privilegiis meritò annumerari potest illud, de quo impræsentiarùm tractamus : licèt enim Fratres Minores ex jure naturæ pro singulis Missis, singulos Julios possent recipere, sive simul, sive per partes ab una, vel pluribus personis, tamen ut faciliùs & clariùs id fieret, & sic provideretur ipsorum consciențiis timoratis, à Pontifice privilegium expostularunt, & obtinuerunt.

Nec hoc tantùm, sed insuper conceditur, quod jure naturæ non erat licitum, scilicet tantum stipendium accipere, estò stipendium vulgare esset minus, nisi manifestè constaret de injustitia. Ratio est ; quia Pontifex stipendium illud taxavit in gratiam Sacerdotum celebrantium ut non minuatur : eo modo, quo Magistratus aliquando taxat pretia rerum in commodum vendentium, qui tunc illa pretia possunt exigere (nisi ex mutatione circumstantiarum manifestè pateat injustitia) estò excedant pretia vulgaria, ut communiter docetur in materia de emptione & venditione.

124. Decretum Cardinalium suprà relatum non videtur hic usu receptum.

Cæterùm, ut revertamur ad Decretum Cardinalium ; autumo non esse in his partibus usu receptum, nisi juxta intellectum Tamburini. Unde dicitur (verè vel falsò, Deus scit) sic hodie in Belgio ab aliquibus practicari, quòd videlicet acceptas à pluribus eleëmosynas, in unum congestas, ad taxam Episcopalem computent, & tot Missas celebrent, quòd inveniunt multiplicatos octo asses ; decem v. g. si decies octo asses reperiantur.

Notandum etiam post illud Decretum duo privilegia fuisse concessa Regularibus. Nam primò Urbanus VIII. anno sequenti post evulgata dicta Decreta, id est, 13. Julii anno 1626. concessit (teste Peyrino t. 2. constit. 5. Urban. VIII. & Marchino de Ord. tract. 3. part. 2. cap. 20. nu. 7.) concessit, inquam, Procuratori Generali Minimorum, ut legata Missarum perpetua exigua, & oneri annexo imparia, ad rationem quinquaginta scutorum monetæ Romanæ pro qualibet Missa quotidiana reducerentur.

Atque post illud alia fuerunt concessa privilegia ab Urbano VIII. unum Minimis,

Secundò, idem Urbanus VIII. 6. Aug. anno 1639. approbando Constitutiones Fratrum Minorum concessit (ut testatur Lezana V. Missa n. 31.) ut ii in primo eorum Capitulo, Missas, quas haberent annuas quotidianas, reducerent ad rationem sexaginta scutorum annuorum. Neque te offendat modò quinquaginta, modò sexaginta audire : stipendia enim hæc ad modum pretii rerum habent medium, infimum & summum. Ita Tamburinus suprà nu. 15.

alterum Minoribus,

An his fruantur alii Religiosi ? Affirmat Marchinus,

Et si rogas, an his duobus privilegiis fruantur alii Religiosi, participantes in privilegiis? Concedit Marchinus suprà. Negat Lezana. Ille, ob rationem universalem, quòd participantes communicant in privilegiis concessis, & concedendis. Hic, quia putat hæc non esse privilegia ; sed reductiones particulares, quas Pontifex ad petitionem particularium fecit, quæ certè aliis non communicantur. Alioquin quando Pontifex concedit v. g. uni Conventui alienationem alicujus boni immobilis, concederet omnibus participantibus. Adde, quòd jam ampliùs hi Religiosi non tenerentur adire Pontificem ob reductionem Missarum, cùm ipsi possint eam facere, & tamen praxis est in contrarium.

negat Lezana,

125. Affirmativam partem approbat Tamburinus quoad concessionem secundam.

Sed quid ad hæc Tamburinus ? Sententia concedens (inquit n. 17.) est probabilior quoad concessionem allatam n. 15. (id est, secundam) Ratio est ; quia illa privilegium est, non verò reductio ; nam non reducit ipse Pontifex, sed dat facultatem reducendi ; & quidem per diploma approbans Constitutiones Fratrum, id quod satis ostendit esse Constitutionem universalem.

respondetur ad opposita fundamenta ;

Ad id quod additur, Respondeo primò, estò propter reductiones Missarum quotidianarum illi non obligarentur ad Pontificem confugere : obligarentur tamen propter alias reductiones non quotidianas, & quando reductio instat, ut fiat extra Capitulum. Respondeo secundò, concessionem solùm loqui de reductione facienda in primo Capitulo, & non ampliùs, quare si occurrat facienda alia reductio post illud Capitulum, certè ad Sanctam Sedem erit recurrendum. Hactenus Tamburinus.

126. *sed non satisfacit;*

Sed non satisfacit: nam primò posset aliquis dicere, Pontificem non voluisse limitare suam concessionem ad primum Capitulum, quasi cum illo expiraret; sed idcirco addidisse, *in primo Capitulo*, quia extra Capitulum nolebat fieri ejusmodi reductionem, juxta Concilium Tridentinum sess. 25. de Reform. cap. 4. ubi concedit reductionem Missarum Generalibus Ordinum faciendam in suis Capitulis Generalibus.

cùm non sit ratio diversitatis inter primam & secundam concessionem.

Deinde unde constat secundam concessionem magis esse privilegium quàm primam? In utraque enim Pontifex dat potestatem reducendi, quantùm colligere possum ex verbis à Tamburino allegatis. Quid enim refert, sive dicatur *reducerent*, quod est verbum activum, sive *reducerentur*, quod est passivum? Nonne idem sunt *me reducere Missas*, &, *Missas à me reduci*? Qui ergo concessit Procuratori Generali Minimorum, ut legata Missarum perpetua exigua ab ipso *reducerentur*, etiam concessit Procuratori, ut ipse legata illa *reduceret*. Ergo vel neutra concessio communicatur aliis Religiosis, vel utraque. Sed satis de his privilegiis, quorum authentica verba non potui videre.

127. *Ad quid se extendat potestas reducendi Missas per Tridentinum concessa,*

Solùm adverto, potestatem reducendi onera Missarum, à Concilio Tridentino concessam Episcopis, Abbatibus, & Generalibus Ordinum sess. 25. de Refor. cap. 4. ampliùs non extendi ad onera Missarum imposita post Concilium, aut ad Missas impositas Beneficiis, aut Capellaniis in fundatione.

declaratur per Cardinales.

Patet ex Bulla Urbaniana de Celebratione Miss. ubi §. 1. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum auctoritate Apostolicâ sibi specialiter attributa *districtè prohibet atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, aut aliàs quomodocumque reducant onera Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium* (Tridentinum) *imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ re diligenter perspectâ, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur. Alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.*

128. *Hanc declarationem quidam Auctor rejicit,*

Respondet Bruno Chassaing. lib. de privilegiis Regularium parte 2. tract. 8. cap. 1. propos. 8. illud Decretum tanti ponderis non esse, ut Concilio prævaleat.

sed malè.

Responsio sanè aptissima ad facilè enervandum omnes interpretationes & omnia Decreta Cardinalium, quæ quoquo modo videntur contrariari generalibus Constitutionibus Concilii. An fortè existimas, quia Concilium ligaverit manus Pontifici, qui est supra Concilia Generalia, ne, salvâ fide, mutare possit, quæ pro loco & tempore rationabiliter judicat Sancta Sedes esse mutanda? Quis adeò desipiat, ut id audeat affirmare? Ubi ergo hæc Decreta Urbaniana legitimè sunt promulgata & usu recepta, estò Concilium Tridentinum contrarium in terminis disponeret, judico tamen observanda.

129. *Marchantius existimat eum non obligare extra Italiam.*

Dico: *Vbi legitimè sunt promulgata & usu recepta*; quia Marchantius tom. 2. sui Tribunalis tract. 2. parte 2. tit. 4. q. 2. resol. 5. existimat præfatum Decretum non obligare extra Italiam defectu promulgationis; sic quippe discurrit: Quod quidem Decretum vidi, & ex plano ipsius contextu adverti, illud intrà Italiam tantùm obligare: quamvis postea eadem Congregatio, nullâ factâ Decreti ampliatione, per simplicem responsionem quibusdam superfluè interrogantibus, responderit etiam extra Italiam Decretum debere vim habere.

Ratione cujus responsionis aliæ controversiæ sunt exortæ super illius Decreti obligatione extra Italiam; quia cùm principale Decretum pro sola Italia, ut patet ex ipsius contextu, datum fuerit, non videtur extra Italiam legitimè promulgatum fuisse, aut obligasse, & allegata declaratio non potuit extra Italiam illius obligationem inducere, cùm ipsum Decretum extra Italiam ampliatum aut promulgatum non fuerit, utpote pro sola Italia datum; & declaratio legitimè non censeatur fuisse postulata, cùm non dicatur requisita à personis extra Italiam existentibus, sed ab ipsis Italis, quos res externæ non contingebant.

Donec igitur aliquid certiùs decernatur in hac opinionum diversitate, standum censeo capitalibus Decretis Sacri Concilii Tridentini, & probatæ praxi cujuslibet Ecclesiæ. Hactenus Marchantius.

130. *cujus fundamentum Auctor elidit.*

Sed, pace illius doctissimi viri, à quibus fuerit postulata illa declaratio, an ab ipsis Italis, an ab aliis personis extra Italiam existentibus, ex plano contextu illius declarationis non possum advertere. Et dato quòd ab Italis; ergo illegitimè: ergo declaratio nulla, quomodo sequitur? Nonne si Papa ex instinctu & ad petitionem Italorum concederet Episcopis Belgii potestatem dispensandi in votis sibi reservatis, ideo concessio esset nulla? Credo quòd omnes ambabus manibus illam amplecterentur, nec ullus conquereretur de illegitima postulatione.

Præterea, quæsitum non fuit, an totum Decretum habeat locum in Italia dumtaxat, an verò etiam extra Italiam; sed, *An idem Decretum* (ita lego apud Cherubinum in Bullario magno Romano) *ubi disponit, ut nullibi recipiantur Monasteria nisi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum Decretum proximè antecedens, an verò etiam extra Italiam?* Pro quo

Nota

131. De quibus rebus disponat Bulla Urbaniana.

Nota Bullam præfatam primò disponere de celebratione Missarum, ac de prohibitione illas moderandi seu reducendi absque Sedis Apostolicæ licentiâ. Secundò de earumdem oneribus perpetuis suscipiendis. Tertiò de Religiosorum numero ultra redditus & consuetas eleëmosynas locorum Regularium non habendo.

Et quidem non meminit Italiæ, nisi quando disponit de numero Religiosorum, scilicet §. 10. ubi sic ait: *Postremo Illustrissimi Patres non sine gravi animi dolore intelligentes mala ferè omnia, quæ Regularem disciplinam evertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fovent in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex maiori Regularium numero, quam forent redditus & eleëmosynæ cuiusq; Monasterii; inhærentes summorum Pontificum, ac Sacri Tridentini Concilii Decretis hâc de re editis, Sanctissimi Domini nostri auctoritate præcipiunt ac mandant omnibus & singulis Generalibus, Provincialibus &c. cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti existentium intrà fines Italiæ, & Insularum adiacentium, ut singuli, ad quos pertinet* &c. Ergo omnia Decreta antecedentia pro sola Italia fuerunt data; nego Consequentiam.

Cur potiùs unum Decretum sit latum pro sola Italia, quàm aliud.

Si autem à me quæritur, cur unum Decretum potiùs sit latum pro sola Italia, quàm aliud? Respondeo; stat pro ratione voluntas, & aliunde nullum est inconveniens quòd unum obliget extra Italiam, & non aliud.

Iterum ergo dico; Decreta illa Urbaniana, ubi legitimè sunt promulgata, & usu recepta, indubitanter obligant.

132. Expenditur 4. Decretum.

Sanè non videtur hactenus usu fuisse receptum in his partibus quartum Decretum, sequentis tenoris: *Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleëmosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem eleëmosynæ sibi retenta, celebrandam committat.*

Super quo quæstio prima.

Interim Alex. VII. in Decreto aliquo, edito anno 1665. & 2. Octob. promulgato, damnat & prohibet ad minimum tamquam scandalosam hanc propositionem: *Post Decretum Vrbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ.*

Cæterùm super hoc Decreto, cùm quæsitum fuisset à Cardinalibus, Primò, *An permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam Eleëmosynæ portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Aliarum, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ & similium?*

Responsio Cardinalium.

Respondit Congregatio: *Permittendum non esse, ut Ecclesiæ ac loca pia, seu illorum administratores, ex eleëmosynis Missarum celebrandarum ullam utcumque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cùm Ecclesiæ & loca ipsa alios non habent reditus, quos in usum earumdem expensarum erogare luciè possint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tamùm Missæ Sacrificio necessariò sunt subeundæ, & nihilominus eo tantùm casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis, ut suprà, deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab Offerentibus eleëmosynas.*

Quæ autem Rectoris Ecclesiæ, eadem est ratio Sacerdotis legatarii, qui non est Rector, imò cujuslibet Sacerdotis recipientis eleëmosynam manualem; nemo enim cogitur insùmere de suo in gratiam alterius. Unde in aliquibus taxantur hæ expensæ separatim ab ipsius Missæ stipendio; communiter tamen in taxatione stipendii habetur earum ratio.

133. Quæsitum secundum.

Secundò quæsitum fuit: *An hoc Decretum habeat locum in beneficiis, quæ conferuntur in titulum, id est, an Rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redduum beneficii?*

Responsio Cardinalium.

Respondit Congregatio: *Non habere locum; sed satis esse, ut Rector beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleëmosynam congruam, secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione beneficii aliud cautum fuerit.*

Eadem est ratio Capellani, vel Legatarii pinguis, sive sint principales, sive subrogati, quia subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur, modo non sit eleëmosyna manualis; ut patebit ex quæsito 3.

134. Quæsitum tertium.

Quæsitum ergo fuit tertiò: *An Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleëmosyna major solitâ pro celebratione Missæ, debeant dare eandem integram eleëmosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt?* Respondit Congregatio:

Responsio Cardinalium.

Debere absolutè integram eleëmosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.

Hujus responsionis elucidatio prima.

Intellige primò, si illa eleëmosyna quanta quanta erat, data fuit præcisè & simpliciter pro Missa; secùs si etiam intuitu personæ Sacerdotis, utpote quia amicus, vel pauper. Ratio est; quia in priori casu integrum stipendium fuit pro Missa: ergo integrum debet dari ex Decreto Sacræ Congregationis; in posteriori verò etiam pro alio titulo: ergo pars correspondens isti titulo potest retineri; sicuti si separatim daretur à stipendio. Et hæc fortè est ratio, quare superiùs Congregatio exceperit Beneficiarios: quia videlicet Fundatores dant etiam eleëmosynam pro commodiore sustentatione beneficiati, ut alacriùs serviat &c.

Elucidatio secunda.

Intellige secundò, nisi Sacerdos, cui ego committo Missam celebrandam, sciens & volens liberaliter condonet mihi excessum stipendii, contentus modicâ parte, etiam infra infimum

nostræ Religionis & aliarum, quæ tantùm obligant ad pœnam; sed quia de natura legis est inducere obligationem.

Respondet Tamburinus n. 16. Sed eam, quam ex verbis legis, & ex circumstantiis prudenter conjicimus, nimirum sive ad culpam, sive interdum ad solam pœnam.

Optima responsio! Sed interrogo, hæc verba: *Iubemus ne quis de nocte deferat arma*, obligationem significant in conscientia, an non? Significant, inquis, quando non apponitur pœna; secùs quando apponitur.

Instantia pro illa sententia, Tamburinus.

Nam (inquit Tamburinus num. 17.) quando fertur præceptum cum appositione pœnæ, ipsa vis præcepti restringitur ad solam pœnam; quando verò fit præceptum absolutè, cùm non sit unde restringatur, obligat ad totum, ad quod se extendit vis præcepti, adeoque in materia gravi, graviter: atque ita esse ex communi consuetudine, usuque fidelium testantur Doctores.

Unde nec negamus, quòd, etiam quando additur pœna, si lex sub illa pœna à communi existimatione, fideliumque usu, acceptetur ut obligans sub mortali, idque certò constet (nam in dubio pro libertate) sub mortali obligabit. Cujus rei ratio est; tum quia optima legum interpres est consuetudo; tum quia ipsa consuetudo legitima vim habet legis; tum quia Legislatores expresè vel tacitè volunt ita communitatem obligare, sicuti ipsa communitas, pro majori saltem sui parte, liberè (non autem per ignorantiam, vel coactè) vult ad aliquid obligari.

Atque id videre est in jejuniis Ecclesiasticis, in abstinentia à carnibus certis diebus, auditione Missæ diebus Festis, in annua Confessione, & Communione Paschali, & similibus, quorum gravis obligatio, etiamsi colligi ex alio capite non posset, certè ex communi existimatione, & consuetudine recepta esset colligenda. Hactenus Tamburinus.

142. cui satisfit.

Sed contrà, Legislator non solet apponere pœnam ad restringendam vim præcepti, sed magis ut muniat & quodammodo augeat obligationem, saltem extensivè; idque quia non rarò inveniuntur, qui parùm curant obligationem in conscientia ad actum, vel omissionem, valde autem timent externam punitionem.

Objectio solvitur.

Et si dixeris; ergo obligatio ad actum in destructionem potiùs vergit animarum, quàm in ædificationem: Respondeo, etiam plurimos esse, qui nisi timerent Deum offendere, parùm curarent pœnas externas, quas vident facili negotio se posse evadere.

Legislator vult obligationem

Utraque ergo obligatio aliquando est necessaria pro bono communi, & ideo censetur Legislator illam intendere, nisi ex verbis vel aliis circumstantiis contrarium colligatur. Declarat autem sufficienter suam voluntatem, quando utitur verbo præceptivo circa actum, vel omissionem; v. g. *Præcipio ut omnes ieiunent, & si non ieiunaverint, subeant talem, vel talem pœnam.* 141. In conscientia, quando utitur verbo præceptivo circa actum.

Dicere porrò Legislatores sæculares, etsi tali modo exprimant suam voluntatem, attamen nolle obligare in conscientia ad actum, caret solido fundamento, & si affirmare est probare, negare est reprobare. Sanè verba accipienda sunt sicut sonant, nisi aliquid obstet: cùm ergo Legislatores, etiam sæculares, possint, quando sic expedit bono communi, obligare simul ad actum, & ad pœnam; quidni censeantur id velle, quando verba legis sic sonant? Præsertim quando apponunt pœnam mortis aut aliam æquivalentem.

Non ignoro Reg. Juris 23. de Reg. Juris in 6. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus*: ex qua sequitur pœnam in foro externo, non semper supponere culpam Theologicam; sed dico, Legislatorem sæcularem communiter non apponere pœnam mortis, aut etiam similem pro sola culpa materiali seu juridica; utique quia improportionata. 143. Occurritur objectioni.

Quin sicuti Legislator Ecclesiasticus pœnam excommunicationis latæ sententiæ non nisi pro peccato mortali infligit, ut omnes admittunt; ita nec Legislator sæcularis pœnam mortis, nisi pro vera & Theologica culpa mortali; quod enim inter pœnas spirituales est pœna excommunicationis, hoc inter pœnas temporales est mors. Communitas non infligit pœnam mortis nisi pro culpa mortali.

Respondent Adversarii disparitatem esse, quòd excommunicatio numquam infligitur nisi propter contumaciam aut inobedientiam contra Ecclesiam, argumento cap. Ex parte 23. ibi: *Ad intelligendam autem clausulam privilegii memorati credimus distinguendam, utrùm in aliquem interdicti vel excommunicationis sententia sit prolata pro contumacia tantùm, quia scilicet citatus stare noluit iuri, vel etiam pro offensa, quia scilicet, iussus noluit malefacium emendare.* Unde hæc vox Christi Matth. 18. v. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* 144. Discrimen inter excommunicationem & pœnam mortis. Cap. Ex parte 23. Matth. 18.

Si replices; etiam quando lex est solùm pœnalis, potest quis esse contumax & Ecclesiam non audire; negant Assumptum: nam lex purè pœnalis non præcipit mihi ut actum faciam, sed sub disjunctione, ut vel actum faciam, vel pœnam subeam; si ergo pœnam subeo, estò actum non faciam, minimè censeri debeo contumax aut inobediens.

Acce-

Excommunicatio est pœna medicinalis;

Accedit, excommunicationem esse pœnam medicinalem: contra rationem autem est dare alicui medicinam valde asperam, quando aliter à morbo posset curari; quod præsumitur de unoquoque, quamdiu Ecclesiæ monitiones & præcepta non spernit. Atque hæc est ratio, quare Ecclesia numquam ferat excommunicationem propter peccatum merè præteritum; sic enim non magis esset medicinalis pœna, quàm cæteræ omnes: quamvis ergo sit pœna, est tamen etiam medicina. Jam autem mors & similes pœnæ temporales, liquet profectò quòd imponantur propter peccatum præteritum; neque sunt pœnæ medicinales, sed mera punitio. Quidni ergo possint imponi ex justa causa sine culpa?

Serùs mors aut similes pœnæ temporales.

Haud clarè video quid obstet, nisi gravitas pœnæ, ut sit major proportio inter pœnam & culpam. Et ideo signanter dixi, *Communiter*; quia communiter sine culpa mortali non subest justa causa mortis, aut alterius pœnæ æquivalentis.

145. Ex Augustino ostenditur non esse multiplicanda præcepta humana sine causa.

Neque hoc est multiplicare præcepta obligantia sub mortali, contra libertatem & suavitatem legis Euangelicæ, ut sole meridiano clariùs apparebit ex verbis Divi Augustini loco superiùs citato, quæ hìc exscribo: *Quod instituitur præter consuetudinem, ut quasi observatio Sacramenti sit, approbare non possum, etiamsi multa huiusmodi propter nonnullarum, vel sanctarum, vel turbulentarum personarum scandala devitanda, liberiùs improbare non audeo. Sed hoc nimis doleo, quia multa, quæ in divinis libris salubertima præcepta sunt, minus curantur, & tam multis præsumptionibus sic plena sunt omnia, ut gravius corripiatur, qui per octavas suas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem violentiâ sepelierit. Omnia itaque talia quæ neque Sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Concilijs Episcoporum statuta inveniuntur, nec consuetudine universæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diversorum locorum diversis moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omnino numquam inveniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione resecanda existimo. Quamvis enim neque hoc inveniri possit, quomodo contra fidem sint, ipsam tamen Religionem, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt, ut tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui etiamsi tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subiiciuntur.* Hæc Magnus Pater Augustinus contra illos, qui sine justa causa multiplicant præcepta humana, quæ multiplicatio indubiè reprobanda est.

146. Ex quo non recte infertur leges pœnales non ligare in conscientia.

Equidem hinc inferre: ergo omnes leges sive Ecclesiasticæ, sive Civiles, in quibus apponitur pœna, præter excommunicationem latæ sententiæ, obligant ad solam pœnam, & non ad actum, vel omissionem, nullam habet apparentiam veri.

Et verò plurimas leges Ecclesiasticas, quæ neque apponunt pœnam excommunicationis latæ sententiæ, neque in actu signato significant obligationem ad mortale, usus fidelium ex subjecta materia & fine legis interpretatur obligare ad peccatum mortale; nescio autem cur communitas (quæ magis propendet in libertatem, quàm necessitatem) vellet se obligare (nisi fortè ex ignorantia, quod non sufficit) ad peccatum mortale, si verba istarum legum solùm significarent peccatum veniale.

Reverà si omnes fideles in particulari interrogarentur, an velint sub mortali obligari ad jejunia, ad auditionem Missæ, & similia, an verò sub veniali tantùm, credo quòd ex mille vix unus eligeret peccatum mortale. Quòd ergo jam istæ leges obligent sub mortali, non provenit ex liberâ acceptatione communitatis, ut volebat suprà Tamburinus; sed ex sola voluntate Legislatoris obligandi sub peccato mortali, quam communitas intellexit ex verbis præceptivis in materia gravi. Atque hæc satis de quæstione incidentali.

147. Quæstio principalis resumitur.

Revertor ad quæstionem principalem, ad Decretum scilicet, quod nullâ pœnâ appositâ prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleëmosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleëmosynæ sibi retentâ, celebrandam committat, & dico probabile esse, quòd obliget sub mortali, probabile etiam esse, quòd solùm sub veniali; quia aliquibus prudens ratio dictat gravitatem materiæ, aliis autem levitatem.

Sed progrediamur ad alia magis fundata in jure naturali, quàm positivo, & ideo magis certa; sicuti jus naturale magis certum est & immutabile, quàm positivum.

CONCLUSIO VII.

Non potest Sacerdos absque peccato mortali notabiliter diù differre celebrationem Missarum, pro quibus recepit stipendium, absque consensu illorum, à quibus recepit.

148. Probatio Conclus. 7. prioti.

Est communis. Ratio: talis celebratio Missarum est debita ex justitia; hæc autem ex genere suo obligat sub mortali, & alitunde qui stipendium obtulit, minimè censetur consentire (nisi aliud exprimat) in notabilem dilationem, idque rationabiliter; quia illa dilatio nata est vergere in notabile ipsius detrimentum: etenim frequenter contingit, interea elabi opportunitatem obtinendi beneficium, pro quo Sacrificium petiit,

v. g. si infirmus moriatur, cujus sanitatem per fructum impetrationis expectabat, si victoria perdatur &c. Vel si sint Missæ offerendæ pro satisfactione defuncti, liquet profectò quantum damni illa dilatio adferat animæ in pœnis Purgatorii fructum Sacrificii præstolantis.

Confirmatio à simili aliorum debitorum.

Confirmatur; quia etiam sic peccat, qui nullâ legitimâ excusante causâ solvere differt alia similia debita. Differt, inquam, notabiliter diù; nam quod parum est in moralibus, pro nihilo reputatur. Sanè qui offerunt stipendium pro Missis, communiter supponunt aliquam dilationem celebrationis; unde necessitate premente solent explicitè petere ut quantocitiùs celebrentur.

149. Decretum Cardinalium.

Quæ omnia, ut manifestiùs appareant, profero Decretum Cardinalium Bullâ 45. inter Urbanianas *Cùm sæpè contingat*, sequentis tenoris: *Eleëmosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis ita demùm iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant, alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleëmosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis.*

Circa quod movetur dubium primum.

Cùm autem super hoc Decreto quæsitum fuisset, An prohibeat absolutè, quò minùs accipiant novas eleëmosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt: & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere? Respondit Congregatio: *Non prohibere absolutè. Ac propterea etsi oneribus iam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodò infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.*

Responsio Cardinalium.

Dubium secundum.

Iterum dubitatum fuit: Quid si offerens eleëmosynas, audito impedimento, consentiat ut Sacerdos Missam celebret cùm primùm poterit? Responsum fuit: *Quamvis onera suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si tamen tribuens eleëmosynam pro aliarum Missarum celebratione, sciat & consentiat, ut illæ tunc demùm celebrentur, cùm susceptis oneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quò minus eleëmosyna eo casu accipiatur pro iisdem Missis iuxta benefactoris consensum celebrandis.* Et ideo dixi in fine Conclusionis: *Absque consensu eorum, à quibus illud recepit.* Scienti enim & consentienti non fit injuria.

Responsio.

150. Dubium tertium.

Tertiò quæsitum fuit: An Administratores Ecclesiæ, magnæ devotionis, & concursûs, possint eleëmosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ & devotio, ac concursus fidelium, ut ajunt, minuatur? Respondit Congregatio: *Non posse, nisi de consensu eorum, qui eleëmosynas tribuunt.*

Responsio.

Dubium quartum.

Quartò dubitabatur: An illud Decretum comprehenderet privatos Sacerdotes; quia aliquibus videbatur directum solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus & singulis Ecclesiarum & piorum locorum, tam sæcularium, quàm Regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio. Responsum fuit: *Comprehendi etiam privatos Sacerdotes*, utique propter clausulam generalem: *Et aliis ad quos pertinet.* Sic enim incipit Decretum VII. *Ad hæc Sacra Congregatio quibusvis Capitulis, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tam sæcularium, quàm Regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet districtè prohibet* &c.

Resp. Decretum etiam comprehendere privati Sacerdotes.

Quando ergo Decreto VIII. de quo hic agimus, iisdem prohibet suscipere nova onera, nisi oneribus anteà impositis satisfeceriut, meritò sub illa particula, *vel aliis, ad quos pertinet*, comprehenduntur privati Sacerdotes; siquidem & ad illos pertinet eleëmosynas manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis accipere.

Hoc Decretum etiam comprehendere privati Sacerdotes.

Et verò ut illo Decreto non comprehenderentur, certum est eandem cum Superioribus ex jure naturali habere obligationem. Unde Conclusio generaliter de omnibus intelligenda venit.

Sed restat dubitatio, quantùm importet illud modicum tempus, quo differre licet Sacerdoti Missas, pro quibus accepit stipendium, quando non adest pactum & conventio, ut nunc seu in tali determinato die celebrentur.

151. Quid importet per modicum tempus?

Respondeo; aliqui docent arbitrio prudentis, juxta Missarum numerum, necessitatem illas petentium, & similes circumstantias, id esse decernendum. Alii licere existimant, novis Missarum oneribus se gravare, si intrà mensem possit quis se veteribus deonerare.

Quidam prudentis arbitrio standum decernit: alii exigunt omnino non transire mensem.

Lugo disp. 21. n. 34. cum aliis, quos citat, determinat quinquaginta, aut sexaginta dies non esse nimium, ideoque tot Missas posse simul recipi, non tantùm ab eodem (quod clarum est) sed etiam à diversis. Hæc sunt verba Cardinalis. Quid verò intelligatur per *modicum tempus*, Ledesma in Sum. tom. 1. c. 18. concluf. 17. Villalobos in Sum. part. 1. tract. 8. diff. 18. n. 2. dicunt intelligi illud quo quinquaginta vel sexaginta Missæ possint dici, quæ mensura satis rationabilis apparet.

Lugo, alii determinant ut sexaginta dies. Ledesma. Villalobos.

Ergo perperàm citat eum Tamburinus lib. 3. de Sacrificio Missæ cap. 1. §. 9. n. 4. pro sententia, quæ extendit illud tempus ad tres menses, nisi fortè in partibus ubi Ledesma, Villalobos & Lugo scripserunt tres menses non contineant ultra sexaginta dies.

Aliqui tendunt ad tres menses.

Interim tamen cujuscumque illa sententia sit, existimat Tamburinus & istam & alias jam recensitas esse probabiles, nisi tamen ex circumstantiis colligatur à postulantibus Missas majorem celeritatem requiri. Ratio autem ejusmodi probabilitatis est; quia hoc judicari solet communiter modicum tempus, prout

Tamburinus.

conformiter ad Jus Canonum,

prout colligitur ex cap. *Præsentium* 3. 7. q. 1. ubi absens à suâ Ecclesia per duos menses causâ ægritudinis, non dicitur defuisse ibi: *Hortamur itaque Fraternitatem tuam, ut causam eius solicitè perquiras, districtèq; discutias, & si manifestæ ægritudinis, sicut dicitur, causâ Ecclesiæ suæ eum defuisse* (per duorum mensium spatium) *repereris, nullum ei ex ordinatione alterius Presbyteri permittas præiudicium generari; sed in locum suum sine aliqua eum fac dubietate restitui.* Ita scribit Gregorius lib. 3. Epistolâ 13. Maximiano Episcopo Syracusano.

spatium duorum mensium reputans tempus modicum.

Tridentinum absentium trium mensium vocat modicum.

Porrò Concilium Tridentinum sess. 23. de Reform. cap. 1. Rectoribus Ecclesiarum concedit posse à suis Ecclesiis abesse per tres menses; & vocat illam absentiam modicam ibi: *Quoniam autem qui aliquantisper tantum absunt ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia statim reversuri sunt: Sacrosancta Synodus vult, illud absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, extra prædictas causas nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere.*

Idem tempus absentiæ præscribit Canonicis, & similibus sess. 24. de Reform. cap. 12. ibi: *Præterea obtinentibus in eisdem Cathedralibus, aut Collegiatis Dignitates, Canonicatus, præbendas aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse.*

153. Dilatio per tres annos indubiè notabilis.

Scio, addit Tamburinus, Peyrinum modicum tempus hìc intelligere spatium trium annorum: sed profectò ei acquiescere non possum. Existimo ego neque Peyrinum acquieturum dilationi solutionis centum florenorum, qui hodie debentur, dilationi, inquam, ad tres annos. Nolim ergo dicere illam sententiam esse probabilem, cujuscumque tandem sit, quia nullo nititur fundamento; & meritò, qui stipendium pro Missis offerunt, graviter offenderentur, si scirent celebrationem earum differri ad tres annos.

Imò etiam aliquando ad tres menses, quando, v. g. negotium, pro quo petuntur, exigit acceleronem, v. g. salutaris exitûs agonizantis, aut recuperatio sanitatis, felix successus sententiæ jam jam ferendæ. Et ideo bene dixit Tamburinus suprà illas sententias esse probabiles, nisi tamen ex circumstantiis colligatur à postulantibus Missas majorem celeritatem requiri.

154. An notabilis dilatio etiam unius Missæ semper sit mortalis.

Sed quæstio movetur, an notabilis dilatio, etiam unius Missæ tantùm, semper sit peccatum mortale? Et an teneatur ad restitutionem, qui diutiùs distulit?

Certum est, quòd sicut in cæteris debitis invenitur parvitas materiæ, ita etiam in debito Missarum. Parvitas autem illa, vel est in exigua temporis dilatione, de qua nemo dubitat, vel etiam esse potest, ut aliqui volunt, in paucitate Missarum, ut si de una vel altera Missa agatur.

Rursus, inquit Tamburinus suprà nu. 8. parvitas & gravitas in hac re, non est pensanda quoad damnum spirituale, sed quoad ipsum tantummodò temporale. Sed hoc ego commodè intelligendum puto, ut patebit ex dicendis de omissione Missæ, pro qua acceptum est stipendium. Et quoniam similis est ratio dilationis & omissionis, ex his quæ subjicio de omissione Missæ, facilè quisque colliget, quid sit dicendum de dilatione.

CONCLUSIO VIII.

Peccat mortaliter, qui omittit unam Missam pro qua accepit stipendium, & tenetur stipendium restituere.

155. Omissio unius Missæ pro qua acceptum est stipendium, est peccatum mortale, *Petrus Navarra. Suarez.*

ITa docet Petrus Navarra lib. 2. de Rest. dub. 10. n. 381. in secunda verò editione cap. 2. dub. 7. coroll. 3. n. 329. Eandem sententiam videtur tenere Suarius disp. 86. ante primam sectionem ibi: Deinde constat etiam ex voto aliquem posse obligari ad Missam pro aliquo dicendam; nam cùm sit opus Religionis & pietatis, potest esse materia voti, &, cùm res sit gravis, tale votum in rigore, & sub culpa mortali obligabit. Eademque ratio est de promissione humana, seu homini facta, ita enim in hac materia obligationem inducit sicut & in aliis. Hæc ille. Qui indubiè idem, potiori jure, dixisset de obligatione orta ex stipendio accepto.

ob notabile detrimentum spirituale, quod ex illa sequitur.

Ratio ergo Conclusionis est; quia detrimentum spirituale, quod sequitur ex omissione unius Missæ, est simpliciter magnum, non tantùm per comparationem ad damnum temporale, sed in ordine damnorum spiritualium. Quod indè probatur; quia promittens Deo unum Sacrum, & non implens promissionem, peccat mortaliter.

156. Oppositum docet Sanchez.

Respondet Sanchez (qui tenet oppositum Conclusionis lib. 1. de Matrim. disp. 5. n. 25.) non esse simile de voto; nam pertinet ad Religionem, & est in ordine ad Deum, & ita multò strictiùs obligat; qui enim voveret quotidie se recitaturum tertiam circuli Virginei partem, semel omittens peccaret mortaliter; quod secùs esset, si homini promitteretur.

Ratio ejus

Rogas Sanchium, quod ergo fundamentum tuæ opinionis? Respondet illicò; quia in genere damnorum spiritualium, non est tanti momenti omissio unius Sacri, ut censenda sit mortalis.

elicitur;

Sed hoc est quod quæritur, & non sufficienter à Sanchio, & alijs Auctoribus probatur, nisi per illud commune proverbium: *Videtur*

hoc mihi non esse grave. Si autem quæras, quo fundamento? Profundum silentium. Quidni, inquis, qui enim negat, non debet probare; sed qui affirmat, & fundamentum sufficiens sententiæ negantis est, negatio fundamenti sententiæ affirmantis. Præclara responsio! sed quid ad propositum? Non enim quodcumque *videri* satis est ad levitatem materiæ constituendam, sed prudens *videri*; prudens autem non est, quod nullo nititur fundamento.

157. Et sanè quod attinet ad disparitatem inter votum & promissionem humanam, consentio minorem esse obligationem hujus, quàm illius: ergo ubi votum obligat sub mortali, promissio humana in eadem materia solùm obligat sub veniali; nego Consequentiam.

Si dixeris cum aliquibus, votum etiam in quacumque minima materia obligare sub mortali: Respondeo cum communi sententia id esse falsissimum; nec puto à Sanchez admittendum. Nam licèt omnis infidelitas respectu Dei sit altioris ordinis & speciei, quàm quæcumque infidelitas respectu hominis; equidem non rectè concluditur in individuo quemcumque actum unius, esse graviorem quocumque actu alterius, quia unusquisque augetur vel minuitur in suo ordine, juxta proportionem materiæ.

Gravitas ergo & levitas culpæ non est consideranda ex sola excellentia divina, quæ semper est eadem; sed ex materia cum habitudine ad Deum, quæ habitudo est proportionata materiæ, & ideo fieri potest, ut sit tantùm proportionata veniali peccato, quia videlicet tantùm leve bonum Dei.

Cæterùm quod est grave bonum Dei, sicuti est cultus, qui per unam Missam defertur, quidni etiam sit grave bonum hominis? Et si Deus graviter ac rationabiliter est invitus, & offenditur ex omissione unius Missæ sibi promissæ, quidni etiam homo qui patitur detrimentum intrinsecum, utpote privatur fructu speciali Sacrificii tam satisfactionis, quàm impetrationis, cùm Deus solùm accipiat aliquod detrimentum extrinsecum cultûs & honoris?

Accedit, quòd offerens stipendium pro Missa, sæpiùs intendat cultum illum extrinsecum Dei, quo proinde Deus privatur per omissionem, non tantùm infidelem, sed verè injustam; nam, ut suprà dictum est, Missa pro stipendio debetur ex justitia, & non solùm ex fidelitate.

158. Igitur Sacrum, primarius utique cultus Dei, vel secundùm se est materia gravis, vel non; si primum, putas quòd perdet suam gravitatem, quia promittitur homini? Sin autem est materia levis, nec sic fiet materia gravis, estò virtus Religionis ad illud obliget, nisi omnia peccata contra Religionem, sine ullo fundamento, & contra omnem rationem dixeris esse mortalia. Itaque non ex hoc præcisè quòd alquid sit contra Religionem, sed quòd præsuppositivè res sit gravis vel levis, colligitur esse peccatum mortale vel veniale.

Profectò si interrogarem Sanchium, an qui homini promisisset se recitaturum tria circula Virginea, an, inquam, si omitteret ea recitare, peccaret mortaliter, quid putatis responsurum? Vix dubito quin affirmaret, si verum est quod ibi supponit, omissionem tertiæ partis unius circuli, debitæ ex voto, esse peccatum mortale. Et verò quid est fructus trium circulorum ex opere operantis respectu fructûs ex opere operato unius Missæ?

Scio aliquos docere, nullam promissionem humanam obligare sub mortali, quia tantùm ex fidelitate; alios autem, quòd in promissionibus quadruplo major, quàm sit in furto, debeat esse quantitas, quæ constituat materiam peccati mortalis; quæ tametsi vera essent, quod non puto, equidem impertinentia ad Conclusionem, quæ loquitur de omissione Missæ pro qua receptum est stipendium; adeoque debetur non tantùm, ut jam suprà diximus, ex fidelitate, sed ex justitia, sicut & alius ex justitia tenetur dare stipendium.

159. Dices cum Tamburino suprà n. 8. parvitas & gravitas in hac re non est pensanda quoad damnum spirituale, sed quoad ipsum tantummodò temporale; secùs (inquit n. 18.) promissam Salutationem Angelicam non recitare, mortale esset, quia adfert damnum spirituale, quod longè majus est, quàm quodcumque damnum temporale. Metiri igitur debemus hujus materiæ quantitatem, non ex quantitate damni, sed ex quantitate stipendii, ita ut qui Missam promittit, perinde se habeat, ac si promitteret unum argenteum, qui duas, duos. Ita hic Auctor.

Qui ibidem n. 21. ita sibi objicit: Dices, sequi ex hoc, quòd, si quis accepto stipendio, unam v. g. Missam promitteret, nec celebraret, numquam mortaliter peccaret; quia ex una parte materia stipendii est levis, & ex alia non habetur ratio boni spiritualis, cujus tamen contrarium visi sumus dixisse n. 9.

Respondet, ex accepto stipendio strictiorem oriri obligationem ad Missam promissam, quàm, eo non accepto, ipsa naturalis ratio dictat. Hoc posito, dico mortaliter peccari accepto stipendio, Missam denegare in urgente necessitate, quod solùm dicto n. 9. diximus; quia ad strictam obligationem consensit per receptionem stipendii Sacerdos, unde & consensit se habere respectum ad illam urgentem necessitatem sive spiritualem, sive temporalem, ad quod non consensit in simili liberali promissione ex dictis n. 11. In utroque autem casu non esse considerandam nisi quantitatem stipendii, non verò damni, quia de hoc non contrahere præsumuntur fideles, ibidem diximus. Hactenus Tamburinus. Sed quàm inconsequenter? Enim-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

160. Sed inconsequenter,

Enimverò n. 8. generaliter docet, gravitatem in hac re non esse pensandam quoad damnum spirituale; hìc autem asserit peccare mortaliter, qui accepto stipendio denegat Missam in urgenti necessitate, sive spirituali sive temporali: quia, inquit n. 22. hìc est quid grave propter respectum ad urgentem necessitatem. Sed quæ illa? Gravis v.g. filii ægritudo, graves tentationes, à quibus offerens stipendium sperat se liberari per Sacrificium Missæ, detrimentum grave, quod causatur per omissionem Sacri v.g. in altari privilegiato animæ purganti &c.

ut ab Auctore ostenditur,

Quomodo ergo verum est, quòd in hac re gravitas non sit pensanda quoad damnum spirituale, sed tantummodò quoad ipsum damnum temporale, id est, ex quantitate stipendii, ut explicat n. 18? Nùm quia est urgens necessitas, majus datur stipendium? Et nonne semper est urgens necessitas animarum in Purgatorio præstolantium suffragia vivorum?

Præterea, quid si aliquis mihi promittat gratuitò Missam in urgenti necessitate, quam aliàs oblato stipendio legi curassem, nùm ideo excusabitur ille à peccato mortali si non legat, præcisè quia tantùm promisit?

Minimè, inquis; quia generaliter omnis promissio graviter obligat promittentem, quando ob non servatam fidem, promissario obveniret grave detrimentum. Hæc tamen exceptio, inquit Tamburinus, videtur quoad damnum spirituale non habere locum in casu nostro, quia hoc non attenditur in hujusmodi promissionibus.

Quo sensu hic gravitas materiæ non sit pensanda quoad damnum spirituale.

Mirum certè attendi debere necessitatem spiritualem, & non damnum spirituale. Interim aliquo sensu verum est, in hac materia gravitatem, aut levitatem non esse pensandam quoad damnum spirituale, scilicet comparando damnum spirituale, cum damno temporali; nec aliud probat promissio Salutationis Angelicæ, ut liquidò patet.

161. Auctor putat probabilius omissionem Sacri, pro quo est acceptum stipendium, esse mortalem Dicastillo. Quod omnino verum est, si stipendium sufficiens ad mortale non restituatur.

Propter hæc judico probabiliùs, omissionem unius Sacri, maximè pro quo recipitur stipendium, esse peccatum mortale. Illud omnino verum videtur, inquit, Dicastillo disp. 4. n. 422. quando quis accepit stipendium satis magnum, ita ut tantumdem furto ablatum, esset materia gravis furti, si non dicat Sacrum, & retineat stipendium, peccare mortaliter; nam retineret sine titulo pecuniam notabilem, eamque deberet restituere; titulus enim retinendi est ob causam dicendi Sacrum, atque ipsa oblatio Sacri est, sub cujus conditione datur.

Et si objicias: Sacerdos est factus Dominus stipendii, & tantùm manet obligatio dicendi Sacrum; illa autem obligatio est levis. Respondet n. 424. Sacerdos ita sit Dominus illius pecuniæ, ut semper maneat obnoxius restitutioni sub conditione, si non impleatur; cumque conditio dicendi Missam non impleatur, retentio pecuniæ jam est retentio rei gravis in materia justitiæ sine titulo, atque adeò peccatum mortale est illam retinere.

Objectio solvitur.

Sed dicet aliquis: hoc est quod quæritur, an Sacerdos factus sit Dominus illius pecuniæ sub conditione dicendi Missam, an verò simpliciter & absolutè cum onere tantùm dicendi Missam; v.g. aliquis dat Monasterio centum aureos, ut Fratres orent pro ipso, valet donatio, nec Monasterium tenetur ad restitutionem, etsi postea Fratres non orent. Ratio; quia censetur donatio absoluta, licèt cum isto onere, nisi aliunde constet contraria mens donatoris. Ergo similiter dicam, quòd oblatio stipendii sit absoluta donatio istius pecuniæ, licèt cum onere & obligatione dicendi Missam, præsertim cùm obligatio dicendi Missam, sive ipsa Missa nullo pretio sit æstimabilis.

162. Alia objectio,

Respondeo; haud clarè video quin sic posset dici, nihilominus sensus communis est in contrarium, obligans hujusmodi Sacerdotem ad restitutionem stipendii, sive dicatur transiisse in ipsius dominium, sive non: nam ut bene notat Doctor Subtilis 4. dist. 15. q. 2. n. 26. in fine, dans usuram *etsi transferat dominium* (id est, gratis admisso, quòd transferret dominium) *tamen recipiens tenetur restituere: sicut in mutui datione transfertur, & tamen debitor tenetur tandem restituere creditori.* Et sicuti qui rem suam vendidit pretio injusto, quamvis totius pretii fiat dominus, equidem excessum justi pretii tenetur restituere.

Responsio. Perinde est ad obligationem restituendi stipendium sive transierit in dominium Sacerdotis, sive non. *Scotus.*

Sed contrà; Sacerdos in nostro casu posset satisfacere suæ obligationi per alium, dando ipsi exiguum stipendium; nemo autem graviùs peccat, quàm sit gravitas obligationis, quâ tenetur: ergo si solùm obligatur ad id, quod in se leve est, non potest committere culpam gravem.

163. Tertia objectio.

Respondeo cum Dicastillone n. 426. fieri potest ut quis faciendo rem parvam, excusetur à gravi culpa, quam aliàs incurreret, v.g. si quis det alicui centum florenos sub conditione recitandi unum Ave Maria, si non recitet, peccat graviter retinendo illam summam pecuniæ sine justo titulo; siquidem hìc gravitas pensanda est, non ex parte conditionis non impletæ; sed ex parte rei acceptæ & retentæ sine titulo; quoniam illi data non fuit nisi dependenter à tali conditione: donatio autem conditionata, non impletâ conditione, irrita est.

Solutio. Fieri potest, ut quis faciendo rem parvam excusetur à gravi culpa quam aliàs incurreret.

Sic ergo in nostro casu, quamvis dicere unum Sacrum in se non esset materia gravis; nihilominus gravis materia pecuniæ, data Sacerdoti sub ea conditione dicendi Sacrum, retinetur sine titulo, eo ipso quòd Sacrum non dicatur, ac proinde gravitas materiæ non pensanda est ex parte conditionis, quæ non impletur, sed ex parte pecuniæ, quæ retinetur, & data non fuit, nisi sub conditione illa quantumvis levi, aut dependenter ab illa conditione; ita, ut si non impleatur conditio, resultet obligatio resti-

restituendi totam illam gravem pecuniam, quæ obligatio est justitiæ, & sub mortali.

164. Quarta objectio solvitur.

Dices; excessus justi stipendii censetur donari merè liberaliter, vel titulo paupertatis, vel specialis amicitiæ &c.

Respondeo, aliquando sic dari, & tali casu non erit obligatio gravis restituendi; quòd autem semper sic detur, unde constat? Sanè offerens pingue stipendium potuit hoc totum velle dare præcisè & simpliciter pro Missa, ita ut liberalitas exercita fuerit in favorem, ut ita dicam Missæ, ipsiusque obsequium, & tunc procedit sententia Dicastillonis.

165. *Dicastillo.* Offerre alteri Sacrum, non semper inducit obligationem, ut quidam volunt;

Notat autem hic Auctor n. 427. cum Suario suprà, non semper fieri promissionem Missæ, quando quis alteri dicit se Missam pro illo oblaturum; nam sæpè tantùm est simplex declaratio animi & propositi, quod tunc habet sine intentione se obligandi ad non mutandum illud, sed implendum; & tunc non est rigorosa obligatio, sed solùm, ut ait Suarez, ex quadam decentia, ut animus sine gravi causa non mutetur.

sed repugnat communi apprehensioni.

Ego autem existimo id esse contra communem apprehensionem illorum, quibus Missæ tali modo addicuntur; si enim sint Sacerdotes, & aliunde Missas habeant ex justitia legendas, non sunt ampliùs de illis soliciti, ut tamen esse deberent, si ille, qui addixit Missas, non obligatur nisi ex quadam decentia.

166.

Cæterùm si à me quæritur, an omissio Sacri, pro quo acceptum fuit stipendium, obliget ad restitutionem omnium damnorum sequentium sive temporalium, sive spiritualium. Respondeo, in communi omnium existimatione non videntur fideles, expostulantes Missas, ad aliud onus Sacerdotes velle obligare, nec Sacerdotes ad aliud onus se velle obstringere, nisi ad restitutionem stipendii.

Sacerdos omittens Sacrum, solùm debet restituere stipendium

Et meritò; quia cùm effectus impetrationis sit fallibilis, humano modo sciri non potest, quid emolumenti, positâ etiam Missâ, habuisset ille, qui Missam petiit, adeoque quantum damni passus sit ex omissione Missæ. Præterea impetratio, seu spes impetrationis, & similia bona spiritualia, cùm sint inæstimabilia, sub pretium temporale cadere non possunt; adeoque non præsumuntur fideles de illis contrahere sub obligatione illa restituendi. Hinc Doctores de hac re differentes, dum absolutè sine mentione alterius docent, debere reddi eleëmosynam, videntur docere non habendum esse respectum ad illud aliud damnum spirituale.

absque respectu ad aliud damnum.

167. Proponitur argumentum contra Conclus.

Hic fuisset finis Conclusionis, nisi hujusmodi incidisset scrupulus: qui obligat se ad ordinarium stipendium unius Missæ, non tenetur sub peccato mortali illud solvere (suppono illud stipendium non esse materiam notabilem furti) ergo nec Sacerdos sub peccato mortali tenetur Missam legere: non enim æquum est, ut majorem subeat obligationem Sacerdos, quàm offerens stipendium.

Argumentum difficile satìs, ostendens probabilitatẽ oppositæ sententiæ; interim Respondeo Neg. Conf. Quid miraris? *Omnis Pontifex* (inquit Apostolus Heb. 5. v. 1.) *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Æquum ergo est, ut qui pro hominibus constituitur, & ipsis præfertur in honore & dignitate, etiam majorem, quàm ipsi, subeant obligationem. Dilficultas. Hæb. 5.

Igitur qui voluntariè se obligat ad ministranda spiritualia pro temporalibus, quid mirum si gravius obligetur, quàm ille, qui subministrat temporalia? Gravitas enim obligationis non est desumenda ex obligatione reciproca alterius, sed ex gravitate materiæ; nec tamen committitur injustitia, quia stipendium non datur ut pretium Sacrificii, sed ut aliquid necessarium ad sustentationem Sacerdotis; sustentatio autem, quæ debetur pro unico Sacrificio, non est materia notabilis inter res temporales, sicut unicum Sacrificium est materia notabilis inter res spirituales. Unde qui voveret Deo, dare illud stipendium Sacerdoti, estò non daret, equidem à mortali excusaretur, propter parvitatem materiæ; secùs qui voveret Sacrificium, ut constat ex dictis. 168. Gravior est obligatio ministrandi spiritualia, quam temporalia.

Et verò Parochus, nonne singulis sub mortali tenetur administrare Sacramenta necessaria ad salutem, tametsi singuli non teneantur sub mortali ipsi ministrare temporalia? Itaque probabilius apparet peccare mortaliter cum obligatione restituendi, qui accepto ordinario stipendio, omittit unam Missam; quamquam contrarium non sit omnino improbabile. Probatio.

Sed numquid etiam peccat mortaliter Prælatus Ecclesiæ, si quotidie non curet fieri Missam Conventualem? Nota ex Tamburino de Sacrificio Missæ l. 1. cap. 6. §. 2. n. 4. In Ecclesiis Collegiatis, Cathedralibus, Conventualibus, ubi competens est Sacerdotum numerus, solet primò quotidie saltem una Missa privata celebrari. Solet secundò altera cantari, quæ dicitur Conventualis seu Solemnis. 169. An peccet Rector Ecclesiæ omittens Missam Conventualem?

Dico, inquit ille, quamvis aliqui in Rectoribus ejusmodi Ecclesiarum mortale peccatum agnoscant, si aliquo die in hoc deficiant, tamen probabile est (præscindendo ab aliqua peculiari talis Ecclesiæ obligatione) Missam sive privatam sive solemnem semel vel bis omittere in hebdomada, non esse saltem mortale. Negatur: bis si semel tantum aut bis omittat.

Ratio ejus est; quia nullus est obligandus sub culpa lethali, nisi manifestè constet de præcepto obligante; at non apparet tale præceptum, nec quòd tantum onus susceptum fuerit à Collegiatis, eo ipso, quòd Collegiatæ sint. Pro hac sententia citatur solus Victoria de Eucharistia n. 95. Dico ego: Ratio ejus.

CON-

CONCLUSIO IX.

Rector Ecclesiæ Collegiatæ peccat mortaliter, si aliquo die non curet legere Missam.

170. Triplex probatio Conclus. Suarez.

INtellige, nisi adsit aliqua rationabilis causa. Ita docet Suarius disp. 80. sect. 2. §. *Dico secundo*, & alii communiter. Probatur primò; quia ex omissione populus graviter scandalizatur. Secundò, est contra consuetudinem Ecclesiarum. Tertiò, contra caput: *Cùm Creatura*, de Celebratione Missarum.

ad quam respondet Tamburinus.

Respondet Tamburinus suprà n. 5. ad primum, non fore ad summum, nisi meram populi admirationem. Ad secundum, hanc non esse consuetudinem acceptatam sub mortali, quia de hac non constat. Ad tertium, negat colligi præceptum grave ex dicto capitulo, quod, inquit, hìc exscriptum jam profero.

Cap. Cùm creatura de Cèleb. Missæ.

Cùm Creatura non habeat quid pro meritis respondeat Creatori: & infrà: *Mandamus quatenus nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quò minùs & pro anniversarijs defunctorum & pro Festo vel Feriâ, secundùm temporum congruentiam Missarum solemnia conventualiter celebretis.* Hæc Canon. Ubi nota primò illud: *Mandamus*, quod ex aliquibus bonis Doctoribus non notat præceptum sub mortali.

Nota secundò illud: *Secundùm temporum congruentiam*, & illud: *Torporem*, quæ solùm notant moneri Prælatum, ut sine torpore, temporum Officia, & Missæ juxta Rubricas, non omittantur: non igitur novum præceptum afferunt. Hactenus Tamburinus. Nunquid audiendus? Non puto.

171. Ejus responsio refutatur.

Enimverò quantùm attinet ad scandalum populi, per illud Doctores non intelligunt propriè dictum scandalum, sed potiùs offensionem populi, quæ signum est obligationis, ut quid enim offenderetur populus ex omissione alicujus actûs, si non esset obligatio ad actum? Quando ergo graviter offenditur, ut supponitur in præsenti casu, signum est gravis obligationis.

Vel scandalum hìc intelligitur offensio populi.

Objectio solvitur.

Dices; supponitur quidem, sed non probatur. Respondeo, probari non posse nisi per experientiam, an Suarius illam habuerit, nescio; tu quando casus acciderit, quo sine justa causa Missa fuerit omissa, interroga populum, & continuò perspicies veritatem. Ego in illo scandalo haudquaquam fundo meam Conclusionem; sed magìs in consuetudine & præcepto illius capituli.

Quæro autem à Tamburino, unde constat consuetudinem vel semel in hebdomada celebrandi Missam, esse acceptatam sub mortali? Deinde si ex verbis dicti capituli non colligitur obligatio quotidiana sub mortali, quomodo colligitur præceptum grave tertiò aut quartò singulis septimanis celebrandi? Si non ex isto capitulo, ex quo alio?

172. Vel nulla est obligatio quotidiè celebrandi Missam conventualem, vel est gravis.

Dico ergo, vel nullam esse obligationem quotidie celebrandi unam Missam, vel esse obligationem sub mortali, proportionatam utique materiæ, quæ indubiè gravis est; nam multùm pertinet, ut ait Suarez suprà, ad commune bonum fidelium. Et sanè si graviter obligat auditio Sacri singulis diebus Dominicis, & Festis, quidni etiam celebratio Missæ quotidianæ graviter obliget? Nisi tamen aliud expresè constet de mente Legislatoris, qui potest materiam gravem præcipere sub veniali.

Objectio solvitur.

Dices; constat mens ex illo verbo, *Mandamus*. Non credo. Quæ enim tanta differentia inter verbum, *Præcipimus*, & verbum, *Mandamus*, ut unum significet voluntatem obligandi sub mortali, alterum tantùm sub veniali?

Sed estò: infero; ergo neque ex illo capitulo colligimus præceptum grave vel semel in hebdomada celebrandi Missam. Ex quo ergo? Ex consuetudine, inquis. Optimè! sed, sicut anteà dixi, unde constat illam esse acceptatam sub mortali? Nùm quia Doctores communiter sic censent? Etiam communiter docent esse obligationem sub mortali singulis diebus unam Missam celebrandi. A qua utique doctrina propter particulare judicium Victoriæ, Tamburini, & si qui alii pauci sint, arbitror non esse recedendum.

Hæc obligatio pertinet per se ad Rectores Ecclesiarum.

Per se autem pertinet hæc obligatio ad Rectores Ecclesiarum Collegiatarum; nam licèt ipsi non teneantur per se quotidie celebrare, tenentur tamen curare, ut non omnino desit in sua Ecclesia Sacrificium: hoc est enim unum ex muneribus, propter quod à fidelibus aluntur.

173. An semper dicendæ duæ Missæ?

Addunt aliqui, in dictis Ecclesiis semper, etiam in diebus Festis, dicendas esse necessariò duas Missas, alteram de defunctis, alteram de Festo, vel Feria occurrente: ni dicantur, peccari mortaliter à Prælato. Colligunt ex capitulo: *Cùm Creatura*, superiùs allegato.

Sententia affirmans malè colligitur ex cap. *Cùm creatura* de Celeb. Miss.

Sed immeritò; nam in eo solùm dicitur præter Missam defunctorum, ad quam fortè talis Ecclesia illo die obligatur, non esse omittendam Conventualem Missam de Festo, vel de Feria, juxta temporum congruentiam celebrandam: & è converso præter Missam Conventualem de Festo, vel de Feria, non esse omittenda anniversaria defunctorum, juxta cujusque Ecclesiæ obligationem. Cæterùm nequaquam præcipit ut singulis diebus etiam Festivis celebretur Missa de defunctis. Quis enim non videt inconveniens esse in die Paschatis Missam celebrari defunctorum? Adde praxim Ecclesiæ, quæ palàm est contraria, non tantùm celebrationi Missæ de Requiem, sed etiam alterius Missæ, quæ pro defunctis offerri deberet.

restituendi totam illam gravem pecuniam, quæ obligatio est justitiæ, & sub mortali.

164. Quarta objectio solvitur.

Dices; excessus justi stipendii censetur donari merè liberaliter, vel titulo paupertatis, vel specialis amicitiæ &c.

Respondeo, aliquando sic dari, & tali casu non erit obligatio gravis restituendi; quòd autem semper sic detur, unde constat? Sanè offerens pingue stipendium potuit hoc totum velle dare præcisè & simpliciter pro Missa, ita ut liberalitas exercita fuerit in favorem, ut ita dicam Missæ, ipsiusque obsequium, & tunc procedit sententia Dicastillonis.

165. *Dicastillo.* Offerre alteri Sacrum, non semper inducit obligationem, ut quidam volunt;

Notat autem hic Auctor n. 427. cum Suario suprà, non semper fieri promissionem Missæ, quando quis alteri dicit se Missam pro illo oblaturum; nam sæpè tantùm est simplex declaratio animi & propositi, quod tunc habet sine intentione se obligandi ad non mutandum illud, sed implendum; & tunc non est rigorosa obligatio, sed solùm, ut ait Suarez, ex quadam decentia, ut animus sine gravi causa non mutetur.

sed repugnat communi apprehensioni,

Ego autem existimo id esse contra communem apprehensionem illorum, quibus Missæ tali modo addicuntur; si enim sint Sacerdotes, & aliunde Missas habeant ex justitia legendas, non sunt ampliùs de illis soliciti, ut tamen esse deberent, si ille, qui addixit Missas, non obligatur nisi ex quadam decentia.

166.

Cæterùm si à me quæritur, an omissio Sacri, pro quo acceptum fuit stipendium, obliget ad restitutionem omnium damnorum sequentium sive temporalium, sive spiritualium. Respondeo, in communi omnium existimatione non videntur fideles, expostulantes Missas, ad aliud onus Sacerdotes velle obligare, nec Sacerdotes ad aliud onus se velle obstringere, nisi ad restitutionem stipendii.

Sacerdos omittens Sacrum, solùm debet restituere stipendium

Et meritò; quia cùm effectus impetrationis sit fallibilis, humano modo sciri non potest, quid emolumenti, posità etiam Missâ, habuisset ille, qui Missam petiit, adeoque quantum damni passus sit ex omissione Missæ. Præterea impetratio, seu spes impetrationis, & similia bona spiritualia, cùm sint inæstimabilia, sub pretium temporale cadere non possunt; adeoque non præsumuntur fideles de illis contrahere sub obligatione illa restituendi. Hinc Doctores de hac re differentes, dum absolutè sine mentione alterius docent, debere reddi eleëmosynam, videntur docere non habendum esse respectum ad illud aliud damnum spirituale.

absque respectu ad aliud damnum.

167. Proponitur argumentum contra Conclus.

Hìc fuisset finis Conclusionis, nisi hujusmodi incidisset scrupulus: qui obligat se ad ordinarium stipendium unius Missæ, non tenetur sub peccato mortali illud solvere (suppono illud stipendium non esse materiam notabilem furti) ergo nec Sacerdos sub peccato mortali tenetur Missam legere: non enim æquum est, ut majorem subeat obligationem Sacerdos, quàm offerens stipendium.

Argumentum difficile satìs, ostendens probabilitatẽ oppositæ sententiæ; interim Respondeo Neg. Cons. Quid miraris? *Omnis Pontifex* (inquit Apostolus Heb. 5. v. 1.) *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis.* Æquum ergo est, ut qui pro hominibus constituitur, & ipsis præfertur in honore & dignitate, etiam majorem, quàm ipsi, subeant obligationem.

Igitur qui voluntariè se obligat ad ministranda spiritualia pro temporalibus, quid mirum si gravius obligetur, quàm ille, qui subministrat temporalia? Gravitas enim obligationis non est desumenda ex obligatione reciproca alterius, sed ex gravitate materiæ; nec tamen committitur injustitia, quia stipendium non datur ut pretium Sacrificii, sed ut aliquid necessarium ad sustentationem Sacerdotis; sustentatio autem, quæ debetur pro unico Sacrificio, non est materia notabilis inter res temporales, sicut unicum Sacrificium est materia notabilis inter res spirituales. Unde qui voveret Deo, dare illud stipendium Sacerdoti, estò non daret, equidem à mortali excusaretur, propter parvitatem materiæ; secùs qui voveret Sacrificium, ut constat ex dictis.

Et verò Parochus, nonne singulis sub mortali tenetur administrare Sacramenta necessaria ad salutem, tametsi singuli non teneantur sub mortali ipsi ministrare temporalia? Itaque probabilius apparet peccare mortaliter cum obligatione restituendi, qui accepto ordinario stipendio, omittit unam Missam; quamquam contrarium non sit omnino improbabile.

Sed numquid etiam peccat mortaliter Prælatus Ecclesiæ, si quotidie non curet fieri Missam Conventualem? Nota ex Tamburino de Sacrificio Missæ l. 1. cap. 6. §. 2. n. 4. In Ecclesiis Collegiatis, Cathedralibus, Conventualibus, ubi competens est Sacerdotum numerus, solet primò quotidie saltem una Missa privata celebrari. Solet secundò altera cantari, quæ dicitur Conventualis seu Solemnis.

Dico, inquit ille, quamvis aliqui in Rectoribus ejusmodi Ecclesiarum mortale peccatum agnoscant, si aliquo die in hoc deficiant, tamen probabile est (præscindendo ab aliqua peculiari talis Ecclesiæ obligatione) Missam sive privatam sive solemnem semel vel bis omittere in hebdomada, non esse saltem mortale.

Ratio ejus est; quia nullus est obligandus sub culpa lethali, nisi manifestè constet de præcepto obligante; at non apparet tale præceptum, nec quòd tantum onus susceptum fuerit à Collegiatis, eo ipso, quòd Collegiatæ sint. Pro hac sententia citatur solus Victoria de Euchatistia n. 95. Dico ego:

CON-

CONCLUSIO IX.

Rector Ecclesiæ Collegiatæ peccat mortaliter, si aliquo die non curet legere Missam.

170. Triplex probatio Conclus. Suarez.

INtellige, nisi adsit aliqua rationabilis causa. Ita docet Suarius disp. 80. sect. 2. §. *Dico secundo*, & alii communiter. Probatur primò; quia ex omissione populus graviter scandalizatur. Secundò, est contra consuetudinem Ecclesiarum. Tertiò, contra caput: *Cùm Creatura*, de Celebratione Missarum.

ad quam respondet Tamburinus.

Respondet Tamburinus suprà n. 5. ad primum, non fore ad summum, nisi meram populi admirationem. Ad secundum, hanc non esse consuetudinem acceptatam sub mortali, quia de hac non constat. Ad tertium, negat colligi præceptum grave ex dicto capitulo, quod, inquit, hìc exscriptum jam profero.

Cap. Cùm creatura de Cons. Miss.

Cùm Creatura non habeat quid pro meritis respondeat Creatori: & infrà: *Mandamus quatenus nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quò minùs & pro anniversariis defunctorum & pro Festo vel Feriâ, secundùm temporum congruentiam Missarum solemnia conventualiter celebretis.* Hæc Canon. Ubi nota primò illud: *Mandamus*, quod ex aliquibus bonis Doctoribus non notat præceptum sub mortali.

Nota secundò illud: *Secundùm temporum congruentiam*, & illud: *Torporem*, quæ solùm notant moneri Prælatum, ut sine torpore, temporum Officia, & Missæ juxta Rubricas, non omittantur: non igitur novum præceptum afferunt. Hactenus Tamburinus. Nunquid audiendus? Non puto.

171. Ejus responsio refutatur.

Enimverò quantùm attinet ad scandalum populi, per illud Doctores non intelligunt propriè dictum scandalum, sed potiùs offensionem populi, quæ signum est obligationis, ut quid enim offenderetur populus ex omissione alicujus actûs, si non esset obligatio ad actum? Quando ergo graviter offenditur, ut supponitur in præsenti casu, signum est gravis obligationis.

Pet scandalum hìc intelligitur offensio populi.

Objectio solvitur.

Dices; supponitur quidem, sed non probatur. Respondeo, probari non posse nisi per experientiam, an Suarius illam habuerit, nescio; tu quando casus acciderit, quo sine justa causa Missa fuerit omissa, interroga populum, & continuò perspicies veritatem. Ego in illo scandalo haudquaquam fundo meam Conclusionem; sed magìs in consuetudine & præcepto illius capituli.

Quæro autem à Tamburino, unde constat consuetudinem vel semel in hebdomada celebrandi Missam, esse acceptatam sub mortali? Deinde si ex verbis dicti capituli non colligitur obligatio quotidiana sub mortali, quomodo colligitur præceptum grave tertiò aut quartò singulis septimanis celebrandi? Si non ex isto capitulo, ex quo alio?

172. Vel nulla est obligatio quotidiè celebrandi Missam conventualem, vel est gravis.

Dico ergo, vel nullam esse obligationem quotidie celebrandi unam Missam, vel esse obligationem sub mortali, proportionatam utique materiæ, quæ indubiè gravis est; nam multùm pertinet, ut ait Suarez suprà, ad commune bonum fidelium. Et sanè si graviter obligat auditio Sacri singulis diebus Dominicis, & Festis, quidni etiam celebratio Missæ quotidianæ graviter obliget? Nisi tamen aliud expresè constet de mente Legislatoris, qui potest materiam gravem præcipere sub veniali.

Objectio solvitur.

Dices; constat mens ex illo verbo, *Mandamus*. Non credo. Quæ enim tanta differentia inter verbum, *Præcipimus*, & verbum, *Mandamus*, ut unum significet voluntatem obligandi sub mortali, alterum tantùm sub veniali?

Sed estò: infero; ergo neque ex illo capitulo colligimus præceptum grave vel semel in hebdomada celebrandi Missam. Ex quo ergo? Ex consuetudine, inquis. Optimè! sed, sicut anteà dixi, unde constat illam esse acceptatam sub mortali? Nùm quia Doctores communiter sic censent? Etiam communiter docent esse obligationem sub mortali singulis diebus unam Missam celebrandi. A qua utique doctrina propter particulare judicium Victoriæ, Tamburini, & si qui alii pauci sint, arbitror non esse recedendum.

Hæc obligatio pertinet per se ad Rectores Ecclesiarum.

Per se autem pertinet hæc obligatio ad Rectores Ecclesiarum Collegiatarum; nam licèt ipsi non teneantur per se quotidie celebrare, tenentur tamen curare, ut non omnino desit in sua Ecclesia Sacrificium: hoc est enim unum ex muneribus, propter quod à fidelibus aluntur.

173. An semper dicendæ duæ Missæ?

Addunt aliqui, in dictis Ecclesiis semper, etiam in diebus Festis, dicendas esse necessariò duas Missas, alteram de defunctis, alteram de Festo, vel Feria occurrente: ni dicantur, peccari mortaliter à Prælato. Colligunt ex capitulo: *Cùm Creatura*, superiùs allegato.

Sententia affirmans malè colligitur ex cap. *Cùm creatura* de Celeb. Miss.

Sed immeritò; nam in eo solùm dicitur præter Missam defunctorum, ad quam fortè talis Ecclesia illo die obligatur, non esse omittendam Conventualem Missam de Festo, vel de Feria, juxta temporum congruentiam celebrandam: & è converso præter Missam Conventualem de Festo, vel de Feria, non esse omittenda anniversaria defunctorum, juxta cujusque Ecclesiæ obligationem. Cæterùm nequaquam præcipit ut singulis diebus etiam Festivis celebretur Missa de defunctis. Quis enim non videt inconveniens esse in die Paschatis Missam celebrari defunctorum? Adde praxim Ecclesiæ, quæ palàm est contraria, non tantùm celebrationi Missæ de Requiem, sed etiam alterius Missæ, quæ pro defunctis offerri deberet.

Interim oppositam sententiam haud obscurè significat Gloss. in illud cap. verb. *Esto Anniversarijs*, dicens: *Anniversarium dicitur quod pro defuncto fit anno revoluto à die mortis suæ: sed dicitur hic anniversarium officium scilicet quod fit quotidie pro defunctis, quod facere debent Sacerdotes; quia animæ defunctorum solvuntur aut orationibus & Sacrificijs Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut ieiunijs, & eleëmosynis cognatorum* &c. Hæc Gloss. Sed praxis optima legum interpres.

174. Majorem difficultatem habet, an Rector Ecclesiæ Collegiatæ peccet mortaliter, si Festo occurrente in Feriis privilegiatis (quales dumtaxat sunt omnes Feriæ Quadragesimæ, Quatuor temporum, Rogationum & Vigiliarum) omittat Missam solemnem de Feria secundùm Rubricas post Nonam canendam, sic enim videtur declarasse Cong. Cardinalium apud Tamburinum de Jure Abbatum tom. 2. d. 5. quæsito 9. n. 37.

Tamburinus.

Rector Ecclesiæ omittens Missam Feriæ privilegiatæ, non peccat mortaliter;

Nihilominus placet responsio negativa; quia non manifestè constat de tam rigoroso præcepto. Ad declarationem Cardinalium dico cum Tamburino de Sacrificio suprà n. 7. de illa non constare authenticè. Porrò Rubrica has duas Missas, nempe currentis Festi, & Feriæ privilegiatæ injungens, præceptum non denotat; sic enim ait: *In Ferijs Quadragesimæ, Quatuor temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiamsi duplex vel semiduplex Festum, vel Octava occurrat, in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis dicuntur duæ Missæ, una de Festo post Tertiam, altera de Feria post Nonam.*

175. *Dicuntur*, inquit, quod non est verbum imperativum; adeoque Rubrica illa potiùs directiva censenda est, quàm præceptiva. Immo addit Tamburinus suprà, etiamsi diceret, *Cantentur*, vel, *Dicantur*, non statim probaretur præceptum sub mortali, nam verba imperativa non semper præceptum grave important, ut clarè constat ex Clemente V. Extravagante *Exivi de Paradiso* (quæ est declaratio Regulæ Fratrum Minorum) ibi: *Licèt Fratres non ad omnium, quæ sub verbis imperativi modi ponuntur in Regula, sicut ad præceptorum, seu præceptis æquipollentium observantiam teneantur.*

eò quòd Rubrica illa ficcensenda solùm directiva;

Clemens V.

etsi verbo modi imperativi foret expressa.

Interim aliquando important, ut patet ex illis, quæ ibidem Pontifex enumerat tamquam æquipollentia præceptis sub mortali obligantibus. Unde si Rubrica verbo imperativo uteretur, cùm sit materia notabilis, fortè obligaret sub mortali, nisi ex circumstantiis contrarium posset colligi.

176. Quæstio supereſt; an Ecclesiæ Regularium comprehendantur nomine Ecclesiarum Collegiatarum. Rodriguez tom. 1. qq. Regular. q. 43. art. 12. Ecclesia, inquit, Collegiata non dicitur ex eo, quòd plures in ea Clerici ei administrantes congregari soleant; nec enim personarum, Clericorumque multitudo sola collecta facit Collegium, nisi alia præter hæc interveniant, nempe ut principio velut Collegium ibi institutum, erectumque sit non minori trium Clericorum numero, prout tenet quædam Glossa, Innocentius, Joannes Andreas, & alii, quos refert & sequitur Marcus Antonius Cuquus.

An Ecclesiæ Regularium nomine Collegiatarum comprehendantur. *Rodriguez.*

Quæ sit Ecclesia collegiata?

Si autem primæ institutionis nulla extant documenta, ex quibus Collegii privilegium tributum esse appareat, signa tamen nonnulla Collegii vestigiaque ibi enitescant, Collegiata tenebitur. Ut si constituere Syndicum consueverit, ac per eum jurare & lites movere, sigillumque commune habere, & si consuevit Prælatum suum eligere & similia facere. Non autem desideratur, ut quispiam velut eis caput ac Rector præsit, juxta Felinum, & traditur à Marco Antonio Cuquo. Hæc ille.

Et post pauca subjungit: Unde sequi videtur, quòd in Ecclesiis Regularibus secundùm supradictam Constitutionem & Rubricam duæ Missæ sunt dicendæ in prædictis Feriis.

Sed numquid, quia sequi videtur, ideo sequitur? Contrarium tamen (prosequitur Rodriguez) est dicendum, prout declaratum fuit in Ceremoniali nostræ Religionis auctoritate Congregationis Generalis Toletanæ edicto, ubi dicitur, quòd Monasteria nomine Ecclesiarum Collegiatarum minimè comprehenduntur. 177. In Ecclesia Regularium audiatur decretum duas Missas inferius positum.

Ad suprà dicta autem respondet: Licèt Monasteriis nomen Collegii competat, necesse tamen erat ut in Constitutione supradicta diceretur, quòd in Ecclesiis Collegiatis sæcularibus & Regularibus duæ Missæ dicerentur. Sicut enim nomine Ecclesiasticorũ in odiosis Regulares minimè comprehenduntur; ita etiam nomine Ecclesiarum in hoc onere Monasteria minimè veniunt. Quod probabile vocat Tamburinus suprà nu. 8.

Ex quo sequitur nec teneri Regulares in suis Ecclesiis celebrare quotidie Missam Conventualem, aut aliam Missam privatam, quantùm est præcisè ex vi capituli *Cùm Creatura*; quia ibi tantùm agitur de Ecclesiis Collegiatis, ut patet ex Summario capitis, quod sic incipit: *In Ecclesiis Collegiatis debent celebrari duæ Missæ.* 178. Neque ex hoc loco habetur quod Regulares in suis Ecclesiis teneantur ad aliquam Missam conventualem aut privatam. quamvis de jure communi

Nihilominus esse obligationem docet Rodriguez suprà art. 14. In Conventibus, inquit, ubi mediocris est Sacerdotum numerus, culpam gravem committet Superior, si non curet, ut quotidie hoc sacrum Sacrificium pro vivis & defunctis offeratur, cùm res hæc maximè pertineat ad bonum commune fidelium, & ad consolationem spiritualem Fratrum, & ad Religionis decorem. Et obligationem teneantur Regulares celebrare.

Et ideo in Regno Portugalliæ diligentiâ Serenissimi Infantis Henrici Sanctæ Romanæ Ecclesiæ

Ecclesiæ Cardinalis fuit reformata Religio Beguinorum, in qua non erant aliqui Sacerdotes, qui quotidie Sacrosanctum hoc Mysterium peragerent, ut in eo essent Sacerdotes Domini ejusdem instituti professi. Hæc ille.

Verumenimverò quamvis multum conveniens sit, ut quotidie in Ecclesiis Regularium Sacrificium Missæ pro vivis & defunctis offeratur; attamen si Ecclesiæ eorum non sint Collegiatæ, ut probabile est, & aliunde ex consuetudine aut speciali fundatione non probetur obligatio, ex jure communi scripto, aut etiam ex jure naturali, haudquaquam ostenditur.

179. Quid de Ecclesiis Monialium censeat Rodriguez. Unde miror prædictum Auctorem tom. 3. q. 6. a. 7. generaliter dicere, quòd jure communi teneantur Moniales facere celebrare Missam Conventualem in suis Ecclesiis; præcipitur enim, inquit, in quadam Decretali (cap. *Cùm Creatura* de celeb. Miss. juncta Rubrica) quòd in Ecclesiis Collegiatis quotidie conventualiter Missa celebretur de Festo, aut de Feria, secundùm quod tempori convenit; & in alia Decretali (cap. *Dolentes* eodem titulo) mandatur in virtute obedientiæ Prælatis & Clericis, quòd celebrent Officium diurnum & nocturnum; quæ Decretalis videtur, quòd expressè loquatur tam de celebratione Missarum, quàm de aliis Horis; quia priùs loquitur ibi de Matutinis, & post de Missis, & post hæc omnia dicitur ibidem: *Hæc igitur & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus, districtè præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantùm eis Deus dederit, studiosè celebrent pariter & devotè.*

Vocat illas Collegiatas. Probè autem intelligens Rodriguez hæc jura parùm efficacia esse, nisi Ecclesiæ Monialium comprehendantur sub Ecclesiis Collegiatis, illico attexit (sui ut videtur oblitus) Nunc autem Monasteria Religiosorum & Religiosarum sunt Collegia, ut colligitur ex quadam Rubrica (in dicto capitulo *Cùm Creatura*) seu sunt Conventus ex quo habent Prælatum vel Prælatam; ut etiam specialiter quoad Moniales habetur in hymno ad laudes Festi Sanctæ Claræ, ubi habetur: *Ducis ad Sponsum Dominum puellarum Collegia.* Ergo tenentur conventualiter Missam celebrare. Hæc ille.

180. Sed numquid etiam bene sequitur: Ergo in Quadragesima, Adventu, Quatuor temporibus & in Vigiliis tenentur duas Missas celebrare, unam de Feria, & alteram de Festo occurrente? Sanè sic consequenter loquendum foret: & tamen, ut suprà vidimus, hæc obligatio negatur ab illo Auctore; idque quia in odiosis Ecclesiæ Religiosorum non comprehenduntur sub Ecclesiis Collegiatis. An fortè obligatio celebrandi unam Missam favorabilis est? Nulla alia est evasio contradictionis.

sed inconsequenter loquitur.

Neque obstat, prosequitur Rodriguez, si aliquis dicat, jura loqui tantùm de Ecclesiasticis & Clericis, non autem de Monasteriis Monachorum aut Monacharum: nam prædicta Clementina (intelligit cap. *Dolentes*, quod non est Clementis, sed Innocentii III. in Concilio Lateranensi cap. 17.) clarè loquitur de Regularibus, ut constat ex ejus tenore, & colligitur ex quadam Decretali (cap. *Ex parte* 2. de Postulando) ubi Panormitanus, & communiter Doctores notant, quòd quando aliqua Constitutio Papalis fit respectu Religionis, quæ potest convenire Monachis & Canonicis Regularibus, & non signantur, nisi aliqui eorum, ligat utrosque utriusque sexûs, etiamsi diversa nomina habeant, quia ubi est eadem ratio, & idem jus debet adesse.

Respondeo; idem jus debet adesse, quando diversitas juris esset injusta & irrationabilis, sive quando idem jus requiritur ad evitandum aliquod absurdum. Alioquin Pontificem posse aliquid præcipere Clericis sæcularibus, & non Regularibus, etsi eadem ratio in illis militet, probatur ad hominem ex præcepto duplicis Missæ in Feriis Quadragesimæ &c. 181. & jura ab ipso efficata explicantur.

Et sanè cap. *Ex parte* non loquitur de Clericis sæcularibus, & Regularibus, sive Religiosis, sed de Monachis & Canonicis Regularibus, idque in illo particulari casu, de quo ibi quærebatur; scilicet an Canonici Regulares possent exercere Officium Advocati in causis forensibus, quod Monachis erat interdictum 16. qu. 1. cap. *Monachi* 35. Hæc sunt verba Pontificis: *Vnde consultationi tuæ taliter respondemus, quòd idem iudicium de Canonicis Regularibus, quod & de Monachis, quantùm ad suprædicta* (id est, exercitium advocaturæ) *credimus observandum, licet de Monachis in Canone specialiter sit expressum.* Ergo in omnibus idem debet esse judicium: negatur Consequentia. Cap. Ex parte de Postulando.

Quantùm ad cap. *Dolentes*, Pontificem loqui generaliter de omnibus Clericis tam sæcularibus quàm Regularibus, mihi non satis clarè constat ex ejus tenore; interim communiter sic intelligitur. Sed quid tum? Numquid Pontifex ibi præcipit Officium divinum nocturnum pariter & diurnum? Neutiquam, sed suppositâ cujuslibet respectivè obligatione ex aliis juribus, mandat omnibus, ut studiosè & devotè illud celebrent, quod parùm ad nostrum propositum. Cap. Dolentes de Celeb. Missarum.

Atque hæc satis de obligatione Prælati. De aliis autem Sacerdotibus, qui statutâ horâ, certis diebus, aut in determinato loco, sive ex stipendio manuali, sive ratione Capellaniæ, aut Beneficii tenentur celebrare, dico:

CONCLUSIO X.

Quando Fundator, vel quicumque Missas, elargitâ stipe, postulat, eligit talem Ecclesiam, Capellam, Altare v. g. privilegiatum, principaliter, ut ibi Præsentia, seu Officiatura Missæ adsit, peccatum est ex genere suo mortale alibi celebrare. Sin verò principalis finis fuit Missæ applicatio, non est peccatum mortale alibi celebrare; immo nec veniale quidem, quando constat non curari nisi de applicatione.

182. Probatur 1. pars Concl.

QUâ ratione constare possit, exposcentes Missas, præsentiam velle, non verò applicationem, vel è contra, diximus conclus. 2. Nunc probatur prima pars Conclusionis; quia in re magni momenti fit contra expressam voluntatem Fundatoris, vel alterius cujuscumque, qui oblato stipendio Missam postulavit, & fide datâ Missam obtinuit. Cur ergo non peccet mortaliter, qui fidem datam non servat sine justa causa? Certè infidelis est, & infideli deterior, quoniam injustus, utpote non solvens id, ad quod ex contractu oneroso obligatur.

Licet ex causa mutare altare,

Dixi, *sine justa causa*; quia sicut alii contractus non obligant cum tanto rigore, ita nec hic contractus cum tanto rigore censetur obligare. Hinc si altare illud, in quo Sacerdos debet ex fundatione celebrare, occupatum sit ab alio ibi celebrante, vel alia de causa tunc impeditum; posset absque peccato gravi in alio ejusdem Ecclesiæ altari celebrare, dummodo id non fiat frequenter: imò aliquando fieri posset absque veniali, ut si Sacerdos expectare non potest propter negotium urgens, quod expedire postea debet. Ita Lugo disp. 21. n. 38.

Lugo.

immo & Ecclesiam.

Quin propter eandem causam licitum erit celebrare in alia Ecclesia, ut ibidem docet Eminentissimus n. 40. si alioquin omnia altaria hujus Ecclesiæ sint impedita. Expedit tamen, inquit ille, ut quando prævidet Sacerdos fore ejusmodi impedimentum, prævenire aliquantulum, ne id frequenter contingat.

183. An teneatur in aliena Ecclesia celebrare, quando assignata est omnino impedita,

Sed numquid tenetur in aliena Ecclesia celebrare, qui invenit Ecclesiam assignatam omnino impeditam, quia v. g. violata est? Respondeo in casu Conclusionis obligari; licèt enim electio hujus loci principaliter facta sit propter præsentiam seu Officiaturam, equidem secundariò intendit Fundator, vel alius, qui Missam postulavit, etiam applicationem seu fructum Sacrificii, ut suppono: jam autem Sacrificium in quocumque loco fiat, ejusdem valoris est. Ergo mens Fundatoris est, ut si non possit fieri Missa in loco designato, fiat in alio.

Alioquin si sola præsentia fuerit intenta, constat non esse obligationem; quia ex hypothesi illa præsentia est impossibilis. *Nemo* autem *potest ad impossibile obligari.* Regula 6. de Reg. juris in 6.

Porrò ad præsentiam in alia Ecclesia, unde probas illum obligari? Nonne qui vovit jejunare in Vigilia alicujus Sancti, si eo die non possit, debet aliâ die jejunare? Minimè. Ergo similiter qui promisit præsentiam in Ecclesia S. Petri, si non possit eam præstare, non tenetur dare aliam in Ecclesia Sancti Jacobi, quia ad hanc non se obligavit.

184. Quid si in defectu populi?

Præterea cessat obligatio celebrandi in loco designato, si constet Missas esse assignatas in tali loco, ut frequens populus audiat Sacrum, contingat autem nullos, aut valde paucos ad Missam accedere, nisi aliud fuerit expressum in fundatione Missæ. Ratio est; quia cessante causâ præsumitur Fundator velle ut cesset effectus. Ita docet Tamburinus de Sacrificio lib. 3. c. 2. §. 1. n. 4.

Tamburinus.

Quod tamen commodè intelligendum est, videlicet quando illa frequentia populi est causa adæquata; cæteroquin sicut cessante fine adæquato legis, non propterea cessat lex; sic pariter in nostro casu, cessante causâ inadæquatâ voluntatis Fundatoris, non ideo cessat ipsa voluntas, & per consequens non cessat effectus voluntatis, id est, obligatio celebrandi in tali loco.

Nonnemo, dummodo tenuis quantitas pro Missa data sit, ita docet Diana.

185. In hac re distinguenda.

Sed numquid peccat Capellanus mortaliter toties, quoties alibi celebrat sine justa causa? Videtur quòd non; & ideo addidi in Conclusione ly *Ex genere suo.* Nulla enim est ratio, quare in hoc contractu, veluti in aliis, non possit dari parvitas materiæ. Quænam autem censeri debeat parva materia, pendet à prudenti judicio omnibus circumstantiis maturè expensis.

Diana.

Diana parte 2. tract. de Celebr. Miss. resol. 29. excusat à mortali, propter parvitatem materiæ, Capellanum obligatum toto anno Missam quotidianum in certo altari celebrare, si bis vel ter in anno ibi non celebret. Tamburinus verò suprà n. 2. si uno, inquit, vel altero die feriato singulis mensibus alibi quis celebraret, non judicarem in gravi materia delinquere.

Tamburinus.

Certè fieri posset, ut vel semel omittendo celebrationem Missæ in loco determinato peccaret mortaliter; v. g. si populus propterea die Dominicâ vel Festivâ careret Sacro, nec posset satisfacere præcepto Ecclesiæ de audienda Missa.

Probabile est non peccare mortaliter, qui ob parvitatem materiæ omittit celebrationem Missæ in loco determinato.

Nec

Objectio solvitur.

Nec dictis obstat Conclusio 8. in qua docuimus peccare mortaliter, qui omittit unam Missam, pro qua accepit stipendium; nam fructus spiritualis unius Missæ, de quo loquitur illa Conclusio, meritò censetur materia gravis in ordine rerum spiritualium; secùs autem sola Officiatura sive præsentia unius Missæ in ordine tum rerum spiritualium, tum temporalium, nisi accesserit aliquod damnum extrinsecum.

186. Probatio 2. partis Conclus.

Ex quo patet ratio secundæ partis Conclusionis: cùm enim Sacrificium in quocumque loco ejusdem sit valoris, & Fundator, aut quicumque exigens Missam, de illo solo principaliter fuerit sollicitus, parùm curans præsentiam, utpote minoris momenti, liquet profectò non fieri tunc contra mentem disponentis, saltem in re gravi, hìc & nunc. Immo si nullo modo intenderit præsentiam, perspicuè manifestum est, nullo modo peccari; quia nullo modo fit contra voluntatem ipsius Fundatoris, aut alterius, qui Missam in tali loco postulavit.

Aliquando melius est celebrare in alio altari.

Addo, aliquando melius esse celebrare in alio altari; v. g. si altare designatum à Fundatore non erat privilegiatum, hoc est, habens Indulgentiam ad liberandam animam Purgatorii, quoties in eo celebratur: non dubito quin Sacerdos celebrans pro Fundatore in altari privilegiato ejusdem Ecclesiæ, melius satisfaciat obligationi, & utilius ipsi Fundatori.

187. Mutatio altaris privilegiati in non privilegiatum est illicita,

E contrà verò si altare designatum erat privilegiatum, cave ne celebres in altari non privilegiato, etiam prætextu, quòd tecum habeas calculum benedictum, cum quo æqualis Indulgentia plenaria acquiritur. Rationem assignat Tamburinus suprà nu. 11. quia regulariter Indulgentia applicata altari, solet esse magis authentica & secura, quàm quæ applicatur calculo, & fortasse minùs dependet à statu gratiæ ipsius celebrantis, ut habeat effectum. Adde, fideles adeò esse addictos (& meritò) ad altaria privilegiata supra calculos benedictos, ut prorsus per hos non præsumantur satisfacti.

Neque valet dicere, satisfieri per æquipollens. Nam obstat ipsa justitia contractûs; quando enim contractus expresse initur de aliqua re determinata, v. g. de hoc equo, non servatur justitia dando alium equum, quem nullo modo vult alter contrahens: multò magis si equus sit vendito deterior; aliud enim pro alio, invito creditori solvi, ex vulgatis legibus non potest. Leg. 2. §. 1. ff. Si certum petetur. ibi: *Nam in cæteris rebus ideo in creditum ire non possumus, quia aliud pro alio invito creditori solvi non potest.* Si ergo tecum Missam expostulans contraxit de altari privilegiato, exclusit æquipollens, multò magis calculum, qui non est simpliciter æquipollens, cùm sit minùs securus, quàm altare. Hucusque Tamburinus.

utpote pertentium voluntati contrariæ;

L. 2. ff. Si certum petetur.

Sed non placet hæc illatio: Si ergo tecum Missam expostulans contraxit de altari privilegiato, exclusit æquipollens. Quæro namque, si duo essent altaria privilegiata in eadem Ecclesia, & Fundator unum specificasset, nonne satisfacerem celebrando in alio altari similiter privilegiato? Non est ratio dubitandi, ex hypothesi quòd finis specificationis fuerit sola Indulgentia. Quamquam enim Fundator potuisset excludere secundum altare, equidem non præsumitur id fecisse, nisi expressis verbis suam mentem declaraverit. Sicuti si vendidissem alicui equum determinatum, servo justitiam contractûs, etsi dem alium ejusdem utilitatis & valoris; quia emptor regulariter non censetur invitus. 188.

non sic mutatio privilegiati in aliud privilegiatum.

Rogas, quis possit dispensare in hac obligatione? Respondeo, qui obligationem imposuit, si adhuc supereset; alioquin ille qui potest dispensare in ultimis voluntatibus. Igitur non est liber Sacerdos, etsi hoc faciat de consensu hæredis, cùm ipse non possit derogare voluntati Testatoris, ut communiter docent Theologi. Sed neque per se loquendo requiritur consensus hæredis; quamquam conveniat illum requirere ad evitanda scandala. Pontificis ergo vel Episcopi erit dispensare, sed non sine justa causa; qualis est utilitas propriæ Ecclesiæ, applicatio studendi, necessitas infirmitatis, & similia, inquit Tamb. sup. §. 2. n. 1. 189.

Dispensat in hac obligatione, qui eam imposuit, si adhuc supereset;

alioquin Pontifex vel Episcopus.

Major difficultas est, utrùm Sacerdos, qui absque dispensatione aut alia justa causa, alibi contra Fundatoris, vel cujuscumque alterius, qui Missam expostulavit, voluntatem celebravit, teneatur ad restitutionem, & ad quam? 190.

Qui sine justa causa alibi celebravit, tenetur ad restitutionem stipendii.

Equidem si agitur de illo, qui ratione stipendii hìc & nunc accepti, tenetur hodie, vel cras ad solam præsentiam seu Officiaturam præstandam in tali loco, siquidem superveniente impedimento id non fecerit, clarum est non posse stipendium illud acceptum retinere; quo enim titulo retineret? Nonne si quis laboraturus in prædio aut vinea alterius, stipendium accepit, & ægritudine aut aliâ causâ obstante munus suum non præstitit, habet titulum stipendium acceptum retinendi? Absit ut habeat titulum laboris, qui non laboravit, potissimùm si absque justa causa non laboravit.

Et verò si ille tenetur restituere stipendium, qui non applicat Missam, quando pro applicatione stipendium accepit, ut cum communi sententia diximus Conclusione 8. quidni similiter teneatur restituere stipendium, qui non præstat præsentiam seu Officiaturam, quando pro illa præstanda accepit stipendium? Non video disparitatem.

191. An etiam fructuum Beneficii aut Capellaniæ?

Unde consequenter dico; si tenetur restituere fructus Beneficii aut Capellaniæ pro rata, aut ex toto, qui non applicat Missas, quas titulo Beneficii vel Capellaniæ tenetur applicare, etiam tenetur eosdem fructus pro rata aut ex toto restituere, qui contra voluntatem Instituentium non præstat Officiaturam, quam tenetur præstare titulo Beneficii, vel Capellaniæ.

Sententia Marchini, de Ord. tract. 3. p. 2. c. 24. n. 7.

Quidquid aliqui videantur reclamare, excusantes à restitutione eum, qui tenetur pro Fundatore celebrare & simul in tali loco: quia, inquiunt, licèt hic non steterit contractui, cùm defecerit in præsentia, tamen non peccavit in substantia contra justitiam, sed contra fidelitatem; quandoquidem dum alibi celebravit, ut supponimus, non privavit Fundatorem fructu debiti Sacrificii, quod ejusdem valoris est, ubicumque offeratur.

quam approbat & confirmat Tambur.

Hæc sententia (inquit Tamb. sup. n. 7.) mihi magis placet, quam confirmo; quia hic non debet stipendium reddere, cùm jam applicaverit Missam suo stipendio dignam. Nec debet Missam omissam repetere; quia verè illam non omisit, ut supponimus, sed dixit, applicuitque pro Fundatore, licèt in alio loco à designato; solùm igitur deberet supplere honorem loco designato debitum, vel commoditatem, quam populus habuisset audiendi Sacrum; sed hanc commoditatem non potest restituere, cùm dies illa jam præterierit: illum verò honorem nec restituere tenetur; quia ille idem honor cùm fuerit addictus ad illum diem (erat enim cultus illo die exhibendus) non ampliùs obligat: immo per novum cultum, qui nunc exhibetur, præteritus honor neglectus non resarcitur; quia homines non advertunt ad antecedentem defectum, quem delere hoc præsenti cultu intendit Sacerdos. Hæc ille.

192. Aliud duplex argumentum pro eadem sententia.

Alii apùd Dicastillonem disp. 4. nu. 390. sic argumentantur pro eadem opinione: Debitor, qui non solvit pecuniam creditori in loco debito, sed alibi, non tenetur ad restitutionem, nisi quatenus interest creditoris sibi non fuisse satisfactum in loco debito: ergo Capellanus, qui non celebravit in loco sibi designato, non tenetur ad restitutionem, nisi quatenus interest Fundatoris, Missas non fuisse in eo loco celebratas.

Dicastillo.

Secundò, sicut Capellanus, qui ratione Beneficii tenetur singulis annis certas quasdam Missas celebrare, licèt graviter peccaverit, eas hoc anno omittendo; nihilominus, si anno sequenti suppleat Missas, quas prætermisit, non tenetur ad restitutionem fructuum, cùm solvat debitum ad æqualitatem, licèt peccaverit in dilatione, seu circumstantia temporis: ita non videtur obligandus ad restitutionem Capellanus, qui Missam alibi celebravit, nisi fortè quatenus interest Fundatoris Missam alibi fuisse celebratam.

193. Sed non ei respondendum ratione, si fructus bene intellectus.

Sed propter hæc non judico recedendum à priori sententia bene intellectâ. Quæris quis sit ille intellectus? Respondeo; solet majus stipendium offerri pro applicatione Missæ, & præsentiâ seu Officiaturâ conjunctim, quàm pro alterutra separatim. Si ergo tenetur restituere excessum stipendii, qui solam exhibuit præsentiam; quidni etiam, qui solam præstitit applicationem?

Ille intellectus ponitur.

Neque sufficit alio tempore celebrare in illo loco, nisi id fiat æquè secundùm voluntatem Fundatoris; nam si occasio aut tempus finis intenti ab illo transivit, jam nihil refert alio tempore ibidem celebrare, v. g. si Fundator, aut Institutor voluit certis quibusdam diebus anni propter specialem concursum populi ad aliquem locum in die Festo ibi celebrari Missam, ne magna pars populi Missâ non auditâ discederet, & Sacerdos prætermittat celebrare illis diebus, etiamsi postea aliis diebus celebret, id non fiet æquè secundùm voluntatem Institutoris: deficit enim tempus & occasio finis intenti; adeoque non fit illud, propter quod datur ille excessus stipendii.

Dicastillo.

Et eâdem ratione, inquit Dicastillo suprà nu. 395. si Capellano, vel etiam stipendiario assignavit Institutor majus stipendium propter Missam tali loco certâ die dicendam in honorem alicujus Sancti, cujus festivitas illâ die celebratur, & ille prætermittat eo loco, cùm posset per se, vel per alium ibi celebrare, non video, quo titulo possit retinere majus illud stipendium, intuitu illius obligationis datum; nec quâ ratione possit satisfacere alio die ibidem celebrando, ut non teneatur ad restitutionem illius excessûs, cùm jam alio die non requirat Institutor celebrationem in illo loco fieri.

194. Responsio ad rationes oppositæ sententiæ.

Ex his patet responsio ad rationes oppositæ sententiæ: licèt enim talis Capellanus non privaverit Fundatorem fructu debiti Sacrificii; privavit tamen alio fine à se etiam intento, & non fecit id, ratione cujus accepit illud stipendii incrementum; adeoque non posuit æqualitatem inter datum & acceptum; per consequens peccavit in substantia contra justitiam. Jam autem debitor solvit pecuniam creditori ad æqualitatem, centum aureos, v. g. si centum debeat, etsi in loco indebito. Similiter Capellanus solvit Missas ad æqualitatem, ut supponitur in argumento, licèt tempore indebito.

Cæteroquin si Capellanus majus stipendium accipiat, ut præcisè hoc anno celebret, consequenter dico, excessum stipendii debere restituere, etsi anno sequenti Missas suppleat, quas prætermisit; quia adhuc verè non solvit ad æqualitatem quod debebat. Et si non accipit majus

majus stipendium ratione Officiaturæ, id est, celebrationis in tali loco, dico, nihil stipendii debere restituere, dummodo alibi Missas celebraverit. Immo nequidem veniale erit peccatum alibi celebrare, ut habet ultima pars Conclusionis; cùm indè satìs constet non curari, nisi de applicatione, & circumstantiam illam fuisse merè accidentalem.

195. Corollarium primum.

Ex dictis infertur primò: Sacerdos qui ex fundatione, v. g. Capellaniæ, debet celebrare ter in hebdomada, scilicet Feriâ secundâ, sextâ, & Sabbato, siquidem sine aliquo mysterio illi dies fuerint designati, non est dubium quòd possit sine ullo peccato celebrare & satisfacere aliis diebus ejusdem hebdomadæ: sin verò in designando Fundator habuerit specialem respectum, v. g. ut Sabbato fieret Missa de Beata Virgine; Feriâ sextâ de Passione Domini &c. & maximè si propterea stipendium auxerit, omnimodè tenetur designationem observare, etiam cum obligatione restituendi excessum stipendii, si aliis diebus celebraverit. Non tamen facilè poterit (inquit Lugo disp. 21. n. 43.) in ejus omissione mortaliter peccari, cùm materia sit ex se parva, præsertim si cum causa, vel non multùm frequenter. Lugo.

Idem sit judicium de illo, qui obligatus aliquoties in hebdomada celebrare, semper celebrat in diebus Feriatis; nam si Testator ad solum fructum Sacrificii respexerit, liquet hujusmodi Capellanum satisfacere; sin verò ex verbis Testatoris aliisque circumstantiis appareat finem ipsius fuisse bonum publicum illius loci, ut fideles ibi commorantes commodiùs possint satisfacere præcepto audiendi Missam, manifestum est quòd teneatur celebrare in diebus Dominicis & Festivis, cum obligatione restituendi excessum stipendii, si non celebret.

196. Corollarium secundum.

Infertur secundò: Sacerdos qui debet singulis mensibus celebrare quindecim Missas pro Fundatore Capellaniæ, potest regulariter hoc mense offerre triginta pro mense præsenti, & sequenti, quia anticipata solutio nullo modo præjudicat, sed prodest creditori. Secùs tamen dicendum, quando Fundator respexit ad tempus illud determinatum propter aliquam specialem causam; quia nimirum pertinet ad honorem & decorem suæ Capellæ nullum mensem præterire absque Missa, & memoria Testatoris.

Unde nec facilè admitterem illam anticipationem, quando redundat in alterius præjudicium; ut si Sacerdos debeat celebrare singulis hebdomadis vel mensibus pro defunctis hujus populi vel communitatis: ex illa enim anticipatione fit, ut illi, qui moriuntur hoc mense vel hebdomada post Missam anticipatè celebratam, fraudentur illo subsidio mense vel hebdomadâ sequenti, cùm tamen Fundator voluerit omnibus successivè subvenire. Ita Lugo suprà n. 44. Lugo.

Consimiliter non facilè admitterem illam anticipationem, quando Fundator adhuc vivit; fieri enim potest, ut hoc mense sit excommunicatus, vel aliàs propter statum peccati mortalis incapax fructûs Sacrificii, ubi tamen mense sequenti foret capax.

197. Corollarium tertium.

Infertur tertiò: in eisdem circumstantiis, in quibus licet anticipatio, posse etiam excusari à mortali, qui postponit & differt solutionem ad hebdomadam, vel mensem sequentem; erit tamen veniale, nisi intercedat rationabilis causa, quæ poterit etiam à veniali excusare; immo aliquando melìùs erit differre, v. g. si contingat Fundatorem nunc fieri excommunicatum non toleratum, indubiè rectè faciet Sacerdos, immo melìùs si differat Missas hujus mensis ad alterum mensem, quando erit absolutus ab excommunicatione, & per consequens capax fructûs Sacrificii, cujus jam est incapax; sic enim utiliter geret negotium Fundatoris.

Sed numquid tenetur differre? Non puto, nisi fortè ex charitate, si commodè possit, quia debitor, quando non est ex pacto præfixum tempus solvendi, potest solvere, quando vult, nec tenetur ex justitia expectare tempus, quo utilior esset creditori solutio. Quantò magìs si præfixum est tempus, licèt illo tempore solutio sit futura minùs utilis, immo inutilis, quando inutilitas provenit à mala voluntate creditoris? Sibi ergo Fundator imputare debet, si nullum fructum ex illis Missis percipiat; minimè autem Sacerdoti non expectanti, sed legenti Missas tempore præfixo.

Rogas, an obligatus celebrare quotidie, possit quandoque vacare? Respondeo:

CONCLUSIO XI.

Sacerdos Beneficiatus, Capellanus, sive alio quopiam titulo obligatus toto anno Missas quotidie per seipsum celebrare, potest intermittere seu vacare semel in hebdomada.

198. Probatio Conclus.

RAtio Conclusionis est; quia per se celebrare toto anno sine ulla intermissione, onus nimis grave est, quod imponere Fundator nequaquam præsumitur, nisi expressissimis verbis declaret, aut ex aliis circumstantiis apertissimè colligatur.

An posset Fundator obligare ad quotidie celebrandum?

Et si quæritur, an Fundator possit velle injungere quotidianam physicè obligationem huic determinatæ personæ, obligationem, inquam,

inquam, per seipsum celebrandi? Haud clarè video quid obstet: quamvis enim honestum sit propter reverentiam Sacramenti aliquoties à celebrando desistere; interim tamen certum est, Sacerdotem, qui ad tantum ministerium specialiter est institutus, & specialia accepit auxilia vi Sacramenti Ordinationis ad illud debitè exercendum, posse absque ullo peccato quotidiè, sine ulla prorsus interruptione, celebrare: cur ergo Fundator non possit velle tale onus imponere, & Capellanus tale onus suscipere?

199. In communi institutione ille rigor non intelligitur.

Cæterùm in communi institutione talis quotidianæ Missæ, talis rigor non intelligitur, sed modus moralis, salvâ scilicet honestate & debitâ devotione, argumento cap. *Significatum* 11. de Præbendis ibi: *Quam siquidem institutionem eatenus confirmamus, ut prædictus Sacerdos, nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, assidùè debeat obsequium suum impendere Ecclesiæ memoratæ, & quantò frequentiùs potest (salvâ honestate suâ, & debitâ devotione) Missarum solemnia celebrare.*

Cap. Significatum. de Præbendis.

Glossa.

Et quamquam Glossa aliter explicet ly *Salvâ honestate suâ*, dicens: *Quia non esset honestum ut bis vel ter Missam in die celebraret. Vel*, Salvâ, *id est, sine peccato mortali; quod esset inhonestum.* Equidem non puto hanc fuisse mentem Pontificis, quoniam agitur in illo textu de Beneficiato, cui impositum erat onus quotidie celebrandi, ibi: *Significatum est nobis quòd quidam præbendam unam in Ecclesia vestra communi voluntate dedistis, ita quòd Missam de Sancta Maria (nisi corporis infirmitate gravatus sit) debeat quotidie celebrare.*

Missam, inquit, non *Missas*; cur ergo Pontifex esset sollicitus de non celebrandâ eodem die secundâ aut tertiâ Missâ? Haud solent hujusmodi Sacerdotes secundam, aut tertiam Missam celebrare. Confirmavit ergo Alexander III. institutionem prout facta erat à Præposito ac Capitulo Insul. scilicet ut Sacerdos institutus quotidie celebraret, *Salvâ* tamen *honestate suâ*, ratione cujus, inquit Gavantus Com. in Rub. Miss. part. 3. tit. 12. nu. 17. vacare potest à Missa celebranda semel in hebdomada, hoc est, potest semel non celebrare. Ita etiam intellexerunt hanc Pontificis confirmationem Bonacina de Sacramento Eucharistiæ disp. 4. qu. ultimâ punct. 7. n. 6. & alii, quos citat.

Gavantus.

Bonacina.

200. Quidam hoc extendunt ad celebrationem per mensem continuum,

sed male.

Aliqui extendunt hanc licentiam ad Sacerdotem, qui obligatur celebrare per continuum mensem, vel continuam hebdomadam; sed perperàm, quia de illis non loquitur Pontifex; neque est eadem ratio, quia longè difficiliùs est celebrare quotidie per integrum annum, quàm per unam hebdomadam tantùm aut per unum mensem; illa autem major difficultas est ratio, quare communiter Doctores sic interpretentur mentem Institutoris Missæ quotidianæ, & quare Pontifex prædictam moderationem adhibuerit obligationi impositæ illi Sacerdoti Beneficiato.

Excipitur quoque Missa quotidiana imposita Ecclesiæ vel Monasterio, tunc enim nulla est danda vacatio, quia tunc non militat ratio dicta, siquidem tali oneri per varios Sacerdotes potest satisfieri. Hinc Gavantus suprà: Rarius, inquit, celebrando peccatur, quando quotidiano quis obligatur Sacrificio per se vel per alium faciendo, & uno die per hebdomadam omittit celebrare, neque celebrari per alium curat; secùs si uni tantùm impositum est quotidianum onus, ut per seipsum impleat.

Missa quotidiana Ecclesiæ vel Monasterio imposita non potest intermitti.

Ex quo patet, quare in Conclusione addiderim ly *Per se*, quia nimirum dum per alium potest satisfacere suæ obligationi; onus non est tantum, ut meritò præsumamus Fundatorem noluisse illud imponere. Neque de isto casu loquitur Alexander Pontifex suprà, ut colligitur ex his verbis: *Et Ecclesiam vestram non nisi communi, tam Præpositi, quàm Capituli consensu possit dimittere: vel cuiquam prædictæ illius immersarium* (id est, secundùm Glossam, *Officium*) *delegare.*

201. Neque ii privilegiati, & impotentes possunt per alium satisfacere.

Et hoc certum videtur, quando expressè præscribitur Capellano, ut Missas quotidianas dicat per se, vel per alium, vel ut Missas celebrare faciat &c. talis enim expressio videtur significare injungi onus Capellano non tam celebrandi, quàm curandi, ut celebrentur quotidianæ Missæ sine interruptione.

202. Quid si non præscribatur?

Quid ergo si tantùm simpliciter præscribatur Capellano, ut Missas quotidianas dicat? Respondeo, eandem esse rationem; cùm tunc æquè possit celebrare per alterum, juxta Doctores communiter, ac si expressè id adderetur; juxta Regulam 68. de Reg. juris in 6. *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.* Et Reg. 72. eodem titulo: *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum.* Nisi ubi personæ industria electa est; puta si specialiter actum sit, ut quis suis operis factum præstet, leg. *Inter artifices* 31. ff. de Solut. ibi: *Si navem à se fabricandam quis promiserit, vel Insulam ædificandam, fossamve faciendam, & hoc specialiter actum est, ut suis operis id perficiat; fideiussor ipse ædificans, vel fossam fodiens, non consentiente stipulatore, non liberabit reum.*

Porrò, nisi exprimatur in fundatione ut Capellanus per seipsum celebret, non censetur electa personæ industria: ergo per alium satisfacere potest; adeoque honestas non exigit ut semel in hebdomada possit vacare, ita ut neque per seipsum, neque per alium celebret.

Illud hìc addunt aliqui Doctores, Sacerdotem debitorem quotidianæ Missæ posse quater vel sexies in anno pro se aut suis, vel aliqua alia causa occurrente Sacrificium offerre; quia non est putandum Fundatorem hoc

rarum

inde pro se vel aliis celebrare,

rarum auxilium spirituale suo Capellano denegare voluisse. Ita Tamburinus lib. 3. c. 3. §. 1. n. 8.

& novum stipendium accipere?

A quo, si quæras, an Capellanus pro istis sex Missis possit accipere novum stipendium ab aliis, quibus illas applicat? Respondet §. 2. nu. 4. sibi videri non posse; quia contra Decreta Sacræ Congregationis sumeret pro eadem Missa duo stipendia. Alioquin cùm fructum illorum Sacrificiorum sibi ipsi, aut suis liberaliter possit applicare, salvo jure Fundatoris, cur si extraneo applicet, non possit ab ipso iteratum stipendium accipere quantùm est de jure naturæ? Æqualem enim ille extraneus accipiet fructum, ac si stipendium à Fundatore non daretur.

Fortè potest accipere.

Forsitan nec contra Decreta sumeret, utpote quæ tantùm præcipiunt, ut tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleëmosynæ præscriptæ fuerint; constat autem in hoc casu unam tantùm fuisse præscriptam Missam, cùm ex vi eleëmosynæ Fundatoris nulla debeatur.

204. Quid dicendum de Missa à qua potest singulis septimanis vacare? Bonacina. Tamburinus.

Sed numquid idem dicendum de illa Missa, à qua diximus Capellanum quotidianæ Missæ singulis septimanis posse vacare? Negat Tamburinus suprà nu. 1. cum Bonacina de Sacramento Eucharistiæ disputat. 4. q. ultimâ, punct. 7. §. 2. n. 16. nam à diversis, inquit hic Auctor, non est facienda illatio; hæc autem diversa esse non tantùm materialiter, sed etiam formaliter, probatur: quia honestas & decentia non postulat, ut Sacerdos, cui onus incumbit quotidianæ celebrationis & applicationis, applicet alteri sive liberaliter, sive accepto novo stipendio, Missam eo die, quo potest Missæ Sacrum ex honestate intermittere.

Probatur eam esse applicandam Fundatori.

Propterea concludit Bonacina, posito quòd velit celebrare, debet Missæ Sacrum juxta Capellaniæ institutum applicare.

205. Confirmatur primò.

Confirmatur à simili. Sicuti v. g. Dominus vineæ, si ea nullum fructum seu modicum producit, nullo vel modico fruetur; si verò uberrimum, illo integro non est defraudandus: ita cùm omnes Missæ Capellani sint Fundatoris, illique omnes debeantur, posito quòd celebrantur, Fundatoris esse, non alterius debent. Ita Tamburinus suprà n. 2.

Tamburinus.

Confirmatur secundò ex doctrina Lugonis disp. 21. nu. 46. ubi quærit, an Capellanus, qui obligatur omnibus Feriis quintis, sextis, & sabbatis totius anni celebrare, possit vel debeat Feriâ quintâ Jovis Sancti, & sequente Sabbato celebrare? Respondet autem non obligari; immo nec teneri deinde in alia hebdomada supplere; quia scilicet potest se conformare Ecclesiæ, eo die cessantis à Sacrificiis privatis, nec præsumendum est Fundatorem contrarium voluisse: addit nihilominus posse quidem celebrare, sed debere applicare, juxta

Confirmatur secundò.

Lugo.

intentionem Fundatoris; atque adeò nec sibi nec aliis posse eas Missas, quamvis voluntariè dictas, applicare.

206. Hæc sententia rejicitur ab Auctore.

Sed hoc est quod quæritur, & eandem patitur difficultatem. Equidem cùm in fundatione censeantur illæ Missæ exceptæ, utpote ad quas noluerit Fundator Capellanum suum obligare; quo jure debentur Fundatori, posito quòd celebrentur? Nam gratis dicitur tali conditione excipi, ut posito quòd celebrentur, Fundatori debeant applicari.

Respondetur ad fundamentum Tamburini.

Ex quo patet responsio ad simile Tamburini; quippe illæ dumtaxat Missæ Fundatoris sunt, illique debentur, quæ solent venire nomine quotidianæ Missæ, id est, omnes totius anni exceptâ unâ singulis septimanis, & tribus Hebdomadæ Sanctæ, fortè etiam Missa in die Commemorationis omnium defunctorum. Quidni ergo de illis exceptis Capellanus possit pro libitu suo disponere, etiam recipiendo aliud stipendium; neque enim accipiet duo stipendia pro eadem Missa, cùm pro Missis exceptis non detur stipendium Missæ quotidianæ.

207. Responsio ad rationem Bonacinæ,

Ad rationem Bonacinæ dico, propter honestatem & decentiam, quæ potest intervenire, unam Missam singulis septimanis simpliciter esse exceptam; quâ exceptione positâ, liberum videtur Capellano, cui voluerit illam Missam applicare, aut eam intermittere tum causâ honestatis, tum oblectationis, tum itineris &c. sicuti si expressè in ipso contractu Missa illa exciperetur hoc tenore verborum: *Volo ut talis Sacerdos quotidie celebret Missam, unâ die singulis hebdomadis exceptâ, causâ honestatis, quæ posset intervenire.* Nonne Sacerdos acceptans talem institutionem, etiam sine ulla causa Missam unam singulis hebdomadis posset omittere, aut alteri, cui voluerit, applicare? Non apparet ratio dubitandi.

208. & Lugonis,

Et idem videtur dicendum de Missa diei Jovis Sancti, & Sabbati Sancti, quæ absolutè non veniunt nomine Missæ quotidianæ, neque nomine Missæ Jovinianæ, si sic placeat loqui, aut Missæ Sabbatinæ. Unde suppleri non debent aliis diebus, aut septimanis: estò, quando Ecclesia est violata, regulariter Sacerdos alibi celebrare debeat ad satisfaciendum debito Capellaniæ. Ratio disparitatis est, quòd violatio sit impedimentum accidentale, quod sæpiùs ex natura sua potest occurrere: at verò impedimentum illorum dierum est per se & notorium omnibus, & quod semel tantùm in anno occurrere potest.

Accedit; ex eo quòd Sacerdos celebret in alio loco, non additur novũ onus, sed potiùs aufertur onus celebrandi in tali loco determinato; at verò ex eo quòd maneat obligatus

ad alias Missas celebrandas hebdomadâ sequenti loco harum, liquet sanè novum & majus onus addi, scilicet non accipiendi eleëmosynam ab alio pro illis Missis, quod onus non est verosimile Fundatorem voluisse imponere. Hinc idem dicito, casu quo impedimentum proveniat ex cessatione à Divinis in omnibus Ecclesiis, videlicet non teneri Sacerdotem supplere postea cessante impedimento pro Missis illis, quas absque sua culpa omisit.

209. Quid dicendum de Missa in die Commemorationis defunctorum? *Gavantus.*

Quantùm ad Missam in die Commemorationis defunctorum, de qua suprà fecimus mentionem, de hac, inquam, ita docet Gavantus Com. in Rub. parte 4. tit. 15. nu. 18. Hoc loco monentur Sacerdotes, Sacrificium Missæ defunctorum hâc die applicandum esse omnibus defunctis ex intentione Ecclesiæ: neque ideo fit injuria eis, pro quibus quotidiana fortè extat obligatio Missæ, prævalet enim lex tacita rationabilis Ecclesiæ, privatæ legi Testatorum.

Bene dicit: *Lex tacita*, nam aperta frustra quæritur. Sed ubi lex ista tacita? In consuetudine, inquis; item in titulo primæ Missæ defunctorum, qui talis est: *Missa in Commemoratione omnium* (non ergo unius in particulari) *Fidelium defunctorum*; præterea in Oratione illius Missæ, quæ est generalis pro omnibus defunctis; denique in voluntate Ecclesiæ, quæ est, ut illo die generaliter defuncti omnes, etiam destituti aliis suffragiis, adjuventur.

210. An sit ex obligatione applicanda defunctis?

Verùm unde constat talem consuetudinem introductam esse sub obligatione? Certè multi inveniuntur, qui sine ullo scrupulo illâ die celebrant pro parentibus, aut aliis particularibus defunctis. Et idem responderi potest de voluntate sive intentione Ecclesiæ, piam quidem esse, & laudabilem; sed minimè præceptivam. Porrò titulus solùm ostendit illam Missam in specie, & non aliam debere recitari in illa die. Denique in Missis quotidianis defunctorum Oratio externa semper est universalis, licèt applicatio sit specialis: ergo & in hac Missa sic poterit esse.

De illa non satis constare putat Auctor.

Obligationem ergo strictam non invenio, neque quidem tacitam; consilium autem do, ut in illa die specialis fructus Sacrificii generaliter omnibus Fidelibus defunctis applicetur, etiam ab illis Sacerdotibus, qui ex fundatione vel alio titulo quotidie obligantur recitare Missam pro vivis, aut defunctis in particulari. Nam præterquam quòd possint se conformare probabili sententiæ Gavanti & aliorum, satis rationabiliter præsumitur de tali voluntate Fundatoris, nisi in casu particulari contrarium expresserit.

211. Quid dicendum de hora, ad quam

Ex hactenus disputatis, & resolutis de loco & die celebrandi, non obscurè colligitur quid sit dicendum de hora, ad quam Sacerdos se obligavit ex pacto; videlicet servandam esse, fierique posse ut si longiùs ab illa discedatur, potissimùm si fuerit principaliter intenta, fieri, inquam, posse, ut peccetur mortaliter; v. g. si propterea aliqui non audiant Sacrum die Dominicâ vel Festivâ; vel si gravis necessitas, quæ hâc horâ erat, puta periculum mortis, sequenti horâ desierit, homine jam mortuo. Alioquin communiter non erit nisi peccatum veniale propter parvitatem materiæ, præsertim quando Fundator principaliter curat applicationem. Sacerdos obligavit?

De obligatione restituendi, patet restituendum excessum stipendii, seu totum stipendium illo præcisè intuitu acceptum; quo enim titulo Sacerdos illud retineret, quando ex sua parte non servat contractum?

212. Et de Canonico celebrante sub divino Officio?

Rogas, an Sacerdos Canonicus distributiones Officii lucretur, si eâ horâ quâ Officium in Choro recitatur, Missam celebret? Respondeo cum communi, præciso privilegio Pontificis, vel legitimæ consuetudinis, non lucrari. Ratio; quoniam nec est, nec censetur esse præsens in Choro, qui Missam in Ecclesia celebrat: porrò distributiones solùm dantur iis, qui divino Officio interfunt, juxta Concilium Tridentinum sess. 21. de Reformat. cap. 3. ibi: *Et in distributiones quotidianas converti, qua inter Dignitates obtinentes, & cæteros Divinis interessentes, proportionabiliter &c. dividantur.* Et sess. 24. de Refor. cap. 12. ibi: *Distributiones verò, qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusa, hus careant.* Idem vide lucrari distributiones, etsi desint ex Tridentino.

Per hoc tamen non tollitur, quin ob necessitatem Ecclesiæ, v. g. ob defectum celebrantium, Præfectus Chori possit aliquem Canonicum è Choro dimittere, causâ celebrandi Missam, dum Horæ Canonicæ ibidem persolvuntur, qui tunc meritò lucrabitur distributiones; quia accedente necessitate, & obedientiâ legitimâ Superioris, moraliter judicatur Canonicus non abesse. Ita censuit Congregatio Pœnitentiariæ Mediolanensis, me præsente, & ita consulente, inquit Bonacina suprà §. 5. n. 7. Nil et necessitas Prælato Chori ad hoc facit deputatus.

Cæterùm quoniam in superioribus mentionem fecimus celebrationis Missæ per alium, & diximus Capellanum posse per alium satisfacere, quoties Fundator non ponit hanc clausulam, ut per seipsum Capellanus celebret, seu ut non celebret per alium, occasione, inquam, illius quæritur primò; An Capellania sacerdotalis, id est, Capellania, quæ requirit celebrationem Missarum, conferri possit Clerico nondum Sacerdoti. Secundò qualiter peccet, qui obligatus per seipsum celebrare, celebrat per alium, & an obligetur ad restitutionem? Dico breviter ad primam quæstionem:

CON-

CONCLUSIO XII.

Capellania sacerdotalis potest conferri Clerico non Sacerdoti, qui infra annum potest Sacerdos ordinari.

213. Capellaniam sacerdotalem conferri posse non Sacerdoti negant quidam;

RAtio dubitandi de veritate Conclusionis sumitur ex mente Fundatoris; qui, dum instituit Capellaniam sacerdotalem, videtur velle Sacerdotem; estò deinde Capellanus Sacerdos institutus, per alium valeat satisfacere.

Et ideo prima sententia docet absolutè ejusmodi Capellaniam non posse conferri nisi Sacerdoti. Ita Tamburinus lib. 3. cap. 4. §. 2. num. 2. citans pro ea Barbosam de potestate Episcopali alleg. 24. n. 37. & Garziam apud Marchinum de Ord. Tract. 3. p. 2. cap. 29. n. 1.

Tamburinus. Barbosa. Garzias. Marchinus.

214. alii affirmant,

Oppositum nihilominus placet Fagundez de primo præcepto Eccles. lib. 3. cap. 9. n. 3. cum aliis, quos refert, dicens hujusmodi Capellaniam posse conferri Clerico simplici quatuordecim annorum. Et hoc, inquit, consequenter debent docere omnes, qui dicunt non teneri Capellanum per se Missas dicere, nisi specialiter & expressè in institutione Capellaniæ dicatur, quòd ipse per se vel personaliter eas dicat.

Fagundez.

Suarius.

Addit: Et idem sensit Pater Franciscus Suarius à me hac de re consultus, qui mihi affirmavit, se antequam Societatem ingrederetur, habuisse Salmanticæ duas Capellanias requirentes celebrationem Missarum, cùm tantùm esset Clericus in minoribus.

& pro se ferunt duas declarationes Card.

Citat præterea pro hac sententia duas declarationes Cardinalium; Prima: *Episcopus non potest cogere detinentem Capellaniam, ut ipsemet celebret, licet in eius fundatione disponatur, quòd Capellanus celebret, nam huiusmodi oneri Missarum rectè per substitutum satisfit.* Secunda: *Habens Capellaniam, non tenetur promoveri ad Sacerdotium, nisi in fundatione cautum sit, ut Capellanus personaliter, vel per seipsum Missas celebret, sed debet curare ut per alium celebrentur, nec personalem residentiam Capella requirit, nisi aliter in fundatione cautum sit.*

Prima. Secunda.

215. Quæ explicantur,

Nota: *Nisi aliter in fundatione cautum sit.* Pro cujus meliori intellectu, hanc accipe universalem regulam ex Tamburino suprà n. 5. Debet Sacerdoti conferri Capellania sacerdotalis, quoties verba Testatoris, sive Laici, sive Ecclesiastici significant, affectant, seu postulant personam Sacerdotis: non debet, quoties affectant ipsam Missã. Clariùs: debet, quando principaliter eligitur persona sacerdotalis; secus quando principaliter intenditur Sacrificium.

Exemplis adhuc clarior fiet Regula. Si quis Fundator ita disponat: *Eligatur, seu, præsentetur Presbyter bonæ conditionis, qui tot Missas celebret. Eligatur qui Missam celebret. Celebrentur à Sacerdote tot Missæ. Hæredes in tali Capella Capellanum eligant, qui tot Missas pro me celebret, vel, diu, noctuq; Altari serviat, divinaq; Officia recitet. Præsentetur qui tot Missas in hebdomada celebrare teneatur. Præsentetur Capellanus seu Sacerdos.* Si, inquam, ita disponat Fundator, videtur solùm onus Missæ respicere, non personæ qualitatem.

& exemplis declarantur.

Nisi fortè loquatur de Capellano, qui in Ecclesiis Cathedralibus gaudèt per suam Missam distributionibus quotidianis: hujusmodi enim Capellaniæ videntur requirere præsentiam personalem; unde, ut notat Tamburinus suprà §. 1. nu. 4. quando eligitur is Capellanus; fit veluti quædam conventio, ut nisi personaliter celebret, distributiones non lucretur. Idem dic si non obstantibus hujusmodi formulis verborum, alicubi sit lex vel legitima consuetudo celebrandi per se.

Cæterùm si sic disponat Fundator: *Missæ tot celebrentur non per alium, sed per proprium Capellanum meum, vel per proprium Rectorem Ecclesiæ. Capellanus meus deserviat personaliter. Non eligatur, nisi sit Sacerdos. Capellania non conferatur nisi Sacerdoti. Capellaniæ non præsentetur nisi Sacerdos. Legatum meum non assequatur nisi Sacerdos. Iubeo conferri Sacerdoti, & non alteri. Præsentetur, seu conferatur Sacerdoti, qui sit Presbyter bonæ famæ.* Si, inquam, aliquo ex prædictis modis disponat, eligitur ipsa Sacerdotis persona. Nisi fortè alicubi contraria consuetudo introducta fuerit; id est, admissi fuerint Capellani non Sacerdotes: nam tunc ex tali observantia subsecuta, videtur mens Testatoris explicata fuisse pro non Sacerdote.

216. Inspiciendâ est Fundatoris intentio.

Itaque, ut patet ex declarationibus Cardinalium superiùs allegatis, secunda sententia intelligenda tantùm est de illis Capellaniis, in quarum institutione non eligitur principaliter persona sacerdotalis, id est, quibus Capellanus per se vel per alium potest satisfacere. Per alium, inquam; unde præsumunt Auctores illius sententiæ, Testatorem non voluisse tantum rigorem in sua dispositione, quantum prætendunt Auctores primæ sententiæ.

Tertia sententia est nostra Conclusio, quæ mediâ viâ incedit; *In medio* autem *consistit virtus*, ut habet commune proverbium. Et aliud: *Medio tutissimus ibis.* Fundatur autem in paritate rationis cum cæteris Beneficiis sacerdotalibus, in quibus sufficere solet habilitas & potentia proxima ad Sacerdotium, qualis est in illo, qui infra annum initiari potest, ut colligitur ex Tridentino sess. 24. de Refor. cap. 12. ibi: *Neminem etiam deinceps ad Dignitatem, Canonicatum, aut portionem recipiant,*

217. Sententia Auctoris, probatur ex aliis beneficiis, in quibus sufficit potentia proxima ad Sacerdotium, Tridenti.

recipiant, nisi qui eo Ordine Sacro aut sit initiatus, quem illa dignitas, præbenda aut portio requirit, aut in tali ætate, ut infra tempus à iure, & ab hac Sancta Synodo statutum initiari valeat.

puta infra annum.

Quæris quod sit illud tempus? Tridentinum sess. 7. de Reform. cap. 12. sic inquit: *Facultates de non promovendo, præterquam in casibus à iure expressis, concessæ, ad annum tantùm suffragentur.* Juxta illud Alexandri III. c. 5. de Ætate & qualitate &c. *Præterea licèt ad regimen Parochialis Ecclesiæ non debeat aliquis nisi Subdiaconus sit ad minus, admitti; dispensativè tamen in minoribus Ordinibus constituti consueverunt assumi. Dum tamen tales sint, quòd infra breve tempus,* (id est, *infra annum*, secundùm Glossam) *possint in Presbyteros ordinari.*

Trident.

Alex. III.

Gregor. X.

Unde Gregorius X. in Generali Concilio Lugdunensi (& refertur cap. *Licet* 14. de Electione in 6.) *Is*, inquit, *qui ad huiusmodi regimen assumetur, ut gregis sibi credùi diligentiùs curam gerere possit, in Parochiali Ecclesia, cuius Rector extiterit, residere personaliter teneatur: Et infra annum à sibi commissi regiminis tempore numerandum, se faciat ad Sacerdotium promoveri.*

218. Quid si fuerit principaliter electa persona sacerdotalis?

Ex his sequitur probabilitas Conclusionis, etiam in casu, quo principaliter electa fuit persona sacerdotalis. Ratio est; quia interim potest supplere per alium, & ex alia parte, qui intrà tam modicum tempus fieri Sacerdos potest, habetur in jure Sacerdos, id est, persona idonea, cui conferatur Beneficium Parochiale, tametsi, ut loquitur Tridentinum

Trident.

sess. 23. de Reform. cap. 1. *Præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbiq; Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere &c.* Si ergo non Sacerdos, intrà annum tamen initiandus, capax est Beneficii parochialis, quidni etiam hujusmodi Capellaniæ? Unde sic docet Tamburinus suprà

Tamburinus.

§. 2. n. 7.

Sed hæc satis de prima quæstione. Ad secundam Respondeo:

CONCLUSIO XIII.

Peccat ex genere suo mortaliter qui obligatus celebrare per seipsum, celebrat sine justa causa per alium; communiter tamen non tenetur ad restitutionem.

219. Obligatus celebrare per se, peccat si id faciat per alium?

Quidni peccaret ex genere suo mortaliter, qui contra justitiam recedit ab inito pacto cum Testatore, aut quocumque alio, qui Missas expostulavit oblato stipendio? Interim parvitas materiæ hìc excusat à mortali, veluti in aliis debitis ex justitia. Vide antè dicta de loco, die, ac hora debitis.

Et quoniam ordinariè parum interest Fundatoris, aut alterius cujuscumque, quis eorum celebret Missam; hinc rariùs erit peccatum mortale, præsertim si non ita frequenter mutatio contingat. *Sed rarò mortaliter.*

Sed neque restitutio necessaria, quia quantùm ad principale, scilicet fructum ex opere operato, tantum exhibitum fuit ab uno, quantum ab alio, cùm omnia Sacrificia quoad hunc fructum sint ejusdem valoris; quod autem attinet ad fructum ex opere operantis, sicut potuit esse minor in substituto, sic etiam potuit esse major; nam aliquando substitutus magìs devotè celebrat, quàm principalis. Prætereo, fortè illum fructum non deberi offerenti stipendium, ut docet Coninck de Sacramentis q. 83. n. 195. quem sequitur Hurtadus de Sacrificio Missæ disp. 3. diff. 8. in fine, & disp. 4. diff 15. aliàs non satisfaceret Sacerdos, quando ex malo fine celebrat, tunc enim nullus adest fructus ex opere operantis. 220. *Non obligatur alium facere.* *Coninck.* *Hurtadus.*

Dico, *Fortè*; quia contrarium docet Tamburinus lib. 3. cap. 1. §. 3. num. 40. *dicens*: Quamvis fructus operis operati sit propius & potissimus Sacrificii, qui potissimùm etiam exigitur, exigitur tamen etiam & minùs principalis, qui est fructus operis operantis. Cujus rei ulterior ratio est; quia communis sensus hominum petentium, vel injungentium, vel voventium Missam, est de toto valore ejusdem sine ulla distinctione, qualis nimirum potest haberi à tali Sacerdote, qui celebrare debebit. 221. *An fructus ex opere S. peculiaris debeatur offerenti stipendium?* *Tamburinus.*

Confirmat exemplo. Emit quis à Domino fructum v. g. duorum annorum prædii: totus fructus ementi debetur, sive multus, quando ex bona dispositione terræ, seu opportunis pluviis annus est forax, sive exiguus, quando est sterilis. Ita proportionaliter quando fideles exposcunt Missam à Sacerdote, totum ejus fructum exposcunt, sive multùm, sive ex aliquo accidenti aliquantulùm deficientem, juxta dispositionem scilicet, in qua invenitur Sacerdos dum celebrat.

Quando ergo ex malo fine & in peccato quis celebrat, dat quod exigitur, quia exigitur secundùm suam dispositionem, quam habet; quando ex bono fine & magna gratia celebrat, dat item, quod exigitur secundùm suam dispositionem, quam pariter habet. Nam propterea rationabiliter fideles sollicitè quærunt Sacerdotem bonum, quia se magìs tunc lucrari propter dictum fructum ex opere operantis meritò putant. Hucusque Tamburinus.

Rectè, si per fructum ex opere operantis intelligat fructum impetrationis, qui, ut dixi mus sectione 4. conclus. 4. proportionatur sanctitati & devotioni ipsius Ministri; secùs si meritum condignum aut congruum: hoc enim nullo jure debetur Fundatori, aut aliis, qui oblato stipendio Missas exigunt. 222. *Secus meritum.*

Et

Et sanè de merito videtur intelligenda prima sententia; supponit enim Sacrificium ex malo fine oblatum non habere fructum ex opere operantis, quod falsum est, si intelligatur de fructu impetrationis, quem aliqui vocant ex opere operantis, alii quasi ex opere operato. Vide dicta sect. 4. concluſ. 4.

223. Sacerdos sanctus, licèt minùs sanctè celebret, non incurrit obligationem restituendi,

Interim cùm Sacerdos sanctus & devotus, qui eligitur ad celebrandam Missam, non se obliget ad illam sanctitatem & devotionem, neque propterea majus stipendium soleat exigere vel accipere; liquet profectò nullam incurrere obligationem restituendi, saltem communiter, tametsi ipsemet minùs sanctè & devotè celebret, aut per alium minùs sanctum & devotum curet celebrari.

nisi propterea majus stipendium accepisset.

Dico, *saltem communiter*; quia si ordinarium stipendium propterea augeretur, Sacerdote se obligante ad extraordinariam illam devotionem, consequenter ad hactenus dicta, si per se, vel per alium celebraret minùs devotè, teneretur ad restitutionem excessûs illius stipendii; quia nullum habet justum titulum illum excessum retinendi.

Tenetur Capellanus restituere, si alium deleget, & hic non celebret.

Procul dubio autem tenetur Capellanus ad restitutionem stipendii, si alium deleget, & hic non celebret, sive justè, sive injustè, tenetur, inquam, ad restitutionem, nisi per se vel per alium suppleat defectum; quo enim jure illud retineret? Nonne si ego emerem v. g. picturam à te faciendam, & tu traderes illam, dato pretio, efformandam alteri tertio; si hic ex quocumque casu, etiam subitaneâ morte correptus, exequi injunctum opus non posset, putas quia tu liber fores ab obligatione mihi providendi de pictura? Scio quia non putas. Ergo proportionaliter in nostro casu, Capellano perit, seu deficit ille suffectus, non Fundatori, qui cum Capellano contraxit, non cum illo tertio.

224. An Capellanus ægrotans, cui debeat stipendium alteri, ne testator fraudetur Missis.

Si autem à me quæritur, an Capellanus ægrotans, carcere detentus, aut simili impedimento ex parte sui laborans, debeat interim dare stipendium alteri, ne Testator vel Fundator fraudetur Missis præscriptis?

Molfesius. Diana.

Respondeo cum distinctione, si per se ipsum tenetur celebrare, & impedimentum breve est, v. g. octo vel decem dierum, secundùm Molfesium & alios, quos citat Diana part. 2. tract. de Celeb. Miss. resol. 27. aut quindecim, juxta Bonacinam de Eucharistia disp. 4. q. ult. p. 8. n. 17. vel certè unius mensis aut duorum, ut placet Petro Navarro de restitutione lib. 2. cap. 2. n. 210. quem sequitur Lugo disp. 21. n. 49. tunc dico nihil esse supplendum vel restituendum, nisi Fundator expresè vel tacitè significasset animum & mentem suam, quod non desit Missa in tali loco, vel Capella.

Bonacina. Petrus Navarro. Lugo.

Alioquin non præsumitur Fundatorem voluisse tam rigidè in brevi impedimento cum suo Capellano agere, quem voluit per seipsum celebrare. At verò in longo impedimento præsumitur voluisse restitutionem; similiter quando libertatem dedit celebrandi quotidie per alium, per hoc enim satis indicavit mentem suam fuisse, ut numquam deesset.

225. Monasterium non excusatur ob impedimentum unius Sacerdotis.

Hinc si obligatio incumbat Monasterio, non sufficit ad excusandum Monasterium seu Ecclesiam, impedimentum unius Sacerdotis, sed debet esse totius Monasterii, quod certè rarissimum est. Si ergo sani sufficiunt ad onera Missarum, illorum erit satisfacere; utpote, qui sunt pars Monasterii, cui immediatè obligatio incumbit.

Quòd si nec sani omnibus Missis legendis, fortè pro diversis personis, sufficiant, legant quot possunt. Et cùm non sit major ratio de una persona, quàm de alia, omnes aliquâ Missâ careant, aliquam habeant, juxta majus vel minus legatum à singulis Ecclesiæ relictum, pinguiori plures Missas, minus pingui pauciores tribuendo.

Tamburinus.

Ratio est, quia ita æquitas exposcere videtur: non enim video, cur in hoc casu locum habere possit illa Regula; *Qui prior est tempore, potior est iure*, cùm prioritas non videatur hìc tanti esse momenti, ut vincat cætera legata posteriora, fortè pinguiora. Ita Tamburinus suprà cap. 5. §. 1. n. 6.

226. Inter debita personalia paria, prius non esse posteriori præferendum ex variis juribus colligitur. L. 7. ff. Depositi.

Profectò ut probabilissimum multi & gravissimi Doctores docent, inter debita personalia paria, & ejusdem generis, prius debitum non esse præferendum ei, quod tempore posterius est: argumento leg. *Si hominem* 7. ff. Depositi §. ultimo. *Item quæritur, utrùm ordo spectetur eorum, qui deposuerunt, an verò simul omnium depositariorum ratio habeatur, & constat, simul admittendos, hoc enim rescripto principali significatur.*

L. 6. Cod. de bonis auct.

Et Leg. *Pro debito* 6. Cod. de bonis auct. jud. possid. ibi: *Quòd si specialiter vel generaliter nemini probentur obligatæ* (res debitoris) *ac sine successore communis debitor, vel eius hæres decesserit: non dominij rerum vindicatione, sed possessione bonorum, itemq; venditione, æquali portione, pro rata debiti quantitate omnibus creditoribus consuli potest.*

227. Contrariam sententiam multi docent. Lugo.

His tamen & aliis similibus legibus non obstantibus contrariam sententiam tenent quàm plures, & gravissimi Doctores, quos citat & sequitur Lugo de Justitia & Jure disp. 20. n. 146. & tradita videtur Eminentissimo pro regula certa à Bonifacio VIII. in Reg. 54. de de Reg. juris in 6. ubi generaliter dicitur: *Qui prior est tempore, potior est iure.* Potuit autem Pontifex errorem, si quis erat circa hoc in legibus civilibus, corrigere, & juxta regulam juris naturalis declarare quid fieri deberet. Unde Glossa ibi Regulam illam intellexit de prælatione etiam servanda inter creditores, quando res debitoris venduntur, ut illis satisfiat.

Reg. 54. de Reg. Iuris in 6.

Ratio à priori.

Rationem à priori assignat hic Auctor: quia quando quis se priori creditori obligat ad solutionem debiti, eo ipso implicitè se obligat ad facienda necessaria ad illum finem, & ad non ponenda impedimenta huic solutioni: ergo tenetur ad se non obligandum aliis creditoribus, nisi salvo jure prioris: hoc enim modo tollit impedimenta, quæ moraliter possunt suboriri, ne priori satisfiat; alioquin semper exponit illum periculo amittendi, vel in totum, vel in partem suum debitum.

228. Quid dicendum in casu proposito juxta hanc sententiam.

Juxta hanc igitur sententiam, quæ indubiè probabilis est, non video, cur in nostro casu locum habere non possit præfata Regula, estò intelligenda sit cæteris paribus; nam quod allegat Tamburinus, nimirum posteriora legata fortè pinguiora fuisse, impertinens videtur, dummodo priora legata fuerint verè sufficientia. Numquid enim secundus emptor, qui dedit pretium summum, præferri debet primo emptori, qui obtulit pretium justum infimum? Certè neque lege civili, neque naturali talis prælatio ostenditur ei concessa, sed omnino res empta debetur primo emptori.

Quo ergo jure pinguiori legato plures Missæ, minùs autem pingui pauciores tribuentur, si minùs pingue sit priùs tempore, & proportionatum omnibus Missis, quibus adhuc Monasterium est solvendo? Non jure positivo, ubi enim illud invenitur? Non etiam naturali, ut liquidò demonstrat ratio à priori superiùs ex Lugone adducta.

229 An priùs petenti Missam priùs debeat satisfieri?

Sed numquid etiam hæc ratio probat, quòd qui prior petiit Missam, cæteris debeat præferri, quando omnibus potest satisfieri? Respondeo, si omnibus possit satisfieri intrà tempus debitum, quamvis æquiùs sit, ut, juxta Regulam præallegatam, qui prior tempore petiit, cæteris præferatur; equidem non est stricta obligatio: immo propter aliquam circumstantiam, v. g. quia majus obtulit stipendium, vel quia magis indiget auxilio Missæ propter præsentem necessitatem, fieri posset, ut vel gratitudo, vel charitas contrarium persuaderet; quia, ut supponitur, qui prior petiit, adhuc illud accipiet, quod sibi ex justitia debetur.

Si igitur Petrus eleëmosynam manualem dederit pro decem Missis; similiter Paulus, nec alterutri anterioritatem promisisti (aliàs stabis promisso) pro quibus volueris, priùs satisfacies. Aliqui censent æquum, ut alternatim ejusmodi oneri satisfiat, ita scilicet ut unâ die celebretur pro uno, alterâ die pro altero, & sic vicissim ad finem usque, quod certè est probabile, & satis rationabile, quamvis non sit stricta obligatio.

Rogas; an ritè faceret talis Sacerdos, si celebraret viginti Missas in communi simul pro Petro & Paulo? Respondeo, me non videre ullam rationem id improbandi. Sanè quantùm ad voluntatem petentium, estò illa communiter excludat separationem fructûs; equidem si petentes interrogarentur, existimo quòd præponerent illam separationem dilationi, idque prudenter; quia fieri posset, ut dimidiatus fructus sufficeret ad relevandam necessitatem, pro qua Sacrificium Missæ expostularunt, v. g. ad liberandam animam è Purgatorio, ad impetrandam sanitatem &c.

230. Contingit Capellanum celebrare ad relevandam necessitatem.

Sed revertamur ad impedimenta excusantia Capellanum à celebratione. Notat Tamburinus suprà, grave Capellani negotium, esse legitimum impedimentum, secùs aliqua tantùm incommoditas. Ratio, quia negotium grave reducitur ad necessitatem; incommoditas verò, dum remanet in terminis incommoditatis, ad negligentiam, ad quam evincendam jam habet stipendium. Hæc ille.

Gravia negotia judicio prudentum pendenda.

Quod autem sit grave negotium, non dicit, nec ego dicam, quia pendet à prudenti judicio consideratis omnibus circumstantiis, quæ nimis variæ sunt, ut hæc res unâ aliquâ regulâ possit determinari.

231. An Superior, qui non potest per suos satisfacere, debeat alios advocare?

Advertit præterea hic Auctor, Superiorem, quando videt suorum Sacerdotum legitima impedimenta, debere esse sollicitum ad alios advocandos in subsidium; æquitas enim postulat, ut si id possit, non negligat.

Ratio ulterior est; quia Superior censetur se obligasse, non solùm in persona propria, aut suorum subditorum, sed etiam aliorum quorumcumque, per quos posset commodè satisfacere; adeoque non tantùm æquitas, id est, congruitas, sed justitia postulat, ut id non negligat: sicuti Capellanus, qui per alium potest satisfacere, non tantùm ex congruentia, sed ex vera justitia obligatur alium advocare, quando commodè potest.

232. Assignatur impedimenta ex parte Sacerdotis, ex parte loci, aliaque ejusmodi.

Et hæc quidem de impedimentis ex parte Sacerdotis; de impedimento autem ex parte loci: Si Ecclesia v. g. est violata, interdicta, destructa, si non inveniantur claves &c. similiter de impedimento ex parte temporis aliarumque circumstantiarum, v. g. si non inveniantur calix, vestes sacerdotales &c. satis patet ex dictis, ad quid Sacerdos tunc obligetur.

Maximè advertendum est, an Fundator solam præsentiam intenderit, an etiam applicationem: nam applicatio in omni loco & tempore valet, & ideo semper debetur, vel in loco, & tempore specificato, aut certè in alio loco, quando exinde nullum additur novum & majus onus. At verò præsentia sola, cùm sæpè fiat propter illa impedimenta physicè vel moraliter impossibilis, constat ad nihil tunc ratione illius Sacerdotem obligari, nisi ipse culpabiliter talia impedimenta apposuerit, aut neglexerit removere, quando commodè poterat. Enimverò

CON-

CONCLUSIO XIV.

Peccat Capellanus, & tenetur ad restitutionem stipendii, si eodem die, quo celebrare obligatur, apponat impedimenta voluntaria obstantia Sacrificio. Item si non removeat similia impedimenta, quando commodè potest.

233. Notabile primum. PRænotandum primò, quoties aliquis obligatur ad observandam aliquam legem, obligari etiam ad non apponenda impedimenta, & ad ea tollenda, si adsint, quæ obstant observationi legis. Vide quæ infrà dicturi sumus Sectione ultimâ Conclusione 9.

Notabile secundum. Prænotandum secundò, in præsenti materia adesse obligationem justitiæ, quæ major est obligatione v. g. audiendi Sacrum diebus Dominicis & Festis, jejunandi ex præcepto Ecclesiæ &c. adeoque majorem requirit diligentiam in præcavendis & amovendis impedimentis.

Certè qui debet centum aureos Petro ex contractu emptionis, non solùm eodem die, quo ex conventione solvere debet, sed etiam in præcedentibus urgetur ad tollenda impedimenta solutionis pro die conventa, si commodè potest; immo & ad moralem diligentiam adhibendam, ut pecuniam pro eodem die habeat: id quod non tam rigidè obligatur præstare in observanda v. g. aliquâ lege, ut ex dicendis loco suprà citato clariùs apparebit.

234. Peccat Capellanus apponens impedimenta Sacrificio, etiam antè quam tempus urgeat celebrandi. His prænotatis, de Conclusione non potest prudenter dubitari. Qui enim eo tempore, quo debet celebrare, se inebriat, dormit, fabulatur, aliò discedit, ubi celebrare non poterit, Missale projicit in ignem, vel aquam, vestes, cæteraque sacra instrumenta in arca reposita non extrahit, vel de loco vicino non accipit &c. convincitur nolle, saltem interpretativè, suæ obligationi satisfacere? Quidni ergo peccet, cum obligatione restituendi?

Immo qui hæc faceret ante tempus urgens celebrandi, nescio quomodo excusaretur, nisi fortè ex verbis Fundatoris, vel præsumptâ ejus mente, ei aliquid permitteretur. Ratio ducitur ex rigore tituli justitiæ.

235. si impedimentum oriatur ex corruptione ob nocivi, secundùm Tamburinum excusatur. Numquid etiam peccabit si cibum nocivum comedat, vel quid simile faciat, ex quo infirmetur, & sic sacrificare non valeat? Negat Tamburinus suprà cap. 6. §. 2. n. 7. Et rationem disparitatis assignat; quia se inebriare, vel discedere à loco Sacrificii &c. est veluti directè inito pacto velle contradicere: at comedere cibum nocivum, vel quid facere, quo in morbum incidat, non ita: & ex alia parte, nec ex voluntate Fundatoris, nec ex consensu subsecuto Capellani, præsumendum est ipsum obligari ad sanitatem tuendam propter hunc determinatum finem celebrandi.

Et ex eadem præsumpta voluntate Fundatoris, excusat Capellanum, si infirmus, si carcere detentus, aut simili impedimento involuntario, & multùm per accidens se habente ad celebrationem Missæ, obstrictus, non procuret sanitatem vel liberationem; nisi aliud expresè in fundatione sit cautum, & quando potest, & quando debet, suppleat per alium. uti etiam si impedimentum sit involuntarium v. g. si sit infirmus, incarceratus &c.

Contrarium resolvit de excommunicato, suspenso, interdicto, vel etiam si per Capellanum stet, quòd locus, ubi celebrare debet, sit interdictus, videlicet hujusmodi obligari ad procurandam absolutionem, semper intelligendo, si non potest per alium vel alibi supplere. Ratio est; quia hæc sunt directa impedimenta Sacrificii, ad quæ excludenda, cùm potest, ratio justitiæ omnino Capellanum cogit, uti etiam ad tollendum impedimentum violationis Ecclesiæ, quando per ipsum stat reconciliatio. Hæc Tamburinus. secùs si excommunicatus, suspensus &c.

Satis quidem probabiliter, nisi quòd difficulter intelligam distinctionem inter impedimentum ebrietatis, & alterius cujuscumque infirmitatis. Quid enim refert, Capellanus ebrius sit, vel febricitans pro tempore necessario celebrationis, si in neutro casu possit celebrare? Aut cur ex voluntate Fundatoris, & ex consensu subsecuto Capellani præsumendum est, ipsum obligari ad conservandum usum rationis, potiùs quàm ad tuendam sanitatem propter hunc determinatum finem celebrandi, si infirmitas æquè impedit celebrationem, atque privatio usus rationis? 236. Auctor difficilem dicit disparitatem inter ebrietatem & aliam infirmitatem;

Sanè qui comedit cibum nocivum, aut quid aliud facit eodem die, quo debet celebrare, ex quo prævidet secuturam infirmitatem, quæ celebrationem hodiernam impediet, tam directè vult contradicere inito pacto, quàm ille qui sumit nimium potum, ex quo prævidet secuturam privationem usus rationis.

Si dixeris; ebrius est minùs potens celebrare, quàm infirmus. Contrà facit; quòd ebrius tantùm pro uno die impediatur, infirmus autem sæpè pro viginti, aut pluribus: ergo ex voluntate Fundatoris magis præsumendum videtur Capellanum obligari ad tuendam sanitatem, quàm conservandum usum rationis, cùm in tali casu majus damnum sequatur Fundatori ex infirmitate, quàm ebrietate. 237. Objectio solvitur.

Si rursum dixeris: ebrietas est impedimentum per se, alia autem infirmitas impedimentum per accidens tantùm. Respondeo; tam necessariò & per se requiritur ad Sacrificium Alia objectio & ejus solutio,

loque-

loquela v. g. quàm usus rationis : ergo impotentia loquendi non minus est impedimentum per se, quàm privatio usus rationis.

Hæc, benigne Lector, pensita, & fortè mecum dices : difficulter intelligo distinctionem inter privationem usus rationis, quæ causatur per nimium potum, & impotentiam loquendi, quæ causaretur per comestionem cibi noxii.

238. Quid si Capellanus comedens cibum noxium intenderet omissionem Sacri.

Cæterùm Tamburinus suprà n. 10. Quando, inquit, cibum nocivum sumere, vel quid simile facere Capellano permisimus, quo impeditur Sacrificium, licèt, si id prævideat, adhuc posse permittamus, numquam tamen concedimus id posse intendere.

Tamburinus putat eum non excusari;

Ratio est ; quia dum solùm prævidet, utitur jure suæ libertatis à Fundatore verosimiliter non ablato ; at dum intendit, facit contra pactum cum eodem Fundatore celebratum, qui numquam id concessit ; imò negavit : siquidem dum eum obligavit ad sacrificandum, obligavit ad volendum Sacrificium, non verò permisit illud nolle ; nollet autem si comederet nociva, ut impeditus morbo, Sacrum omittere cogeretur. Huc usque Tamburinus.

239. Auctor non videt disparitatem;

Verùm quid interest Fundatoris, Capellanus explicitè nolit celebrare, vel tantùm implicitè seu interpretativè, dummodò æqualiter careat fructu Sacrificii ? Et numquid in moralibus, ut homo peccet, vel non peccet, par ratio est voluntarii directi, & indirecti seu interpretativi ? Qui ergo concedit voluntarium indirectum, quidni etiam concedat directum ; cùm ex hoc non patiatur majus præjudicium ? Credo quòd si Fundatores interrogarentur, non distinguerent ; ergo nec nos distinguamus.

Hæc de obligatione celebrandi, quam habet Sacerdos, sive per se ex vi præcisè suæ Ordinationis, sive per accidens ex Beneficio, aut alio titulo superaddito, hæc, inquam, sufficiat notasse ; nam ex his ita decisis, alii similes casus haud difficili negotio decidentur.

Sequitur investigandum, an sit aliquod præceptum prohibens certo tempore celebrare. Respondeo :

CONCLUSIO XV.

Licet quotidie celebrare, excepto die Veneris Sancto.

240. Licitum est in Cœna Domini celebrare

COntrovertitur tantùm an liceat privatim celebrare Sabbato Sancto : nam quod attinet ad Cœnâ Domini, quamvis ordinariè Sacerdotes tunc non celebrent ; attamen nullum extat Decretum prohibens, saltem usu receptum. Licet ergo in Cœna Domini celebrare

secluso scandalo;

secluso scandalo, quod communiter non intervenit : quippe tametsi Religiosi soleant plerumque ex devotione illo die more laicali Communionem de manibus Prælati accipere, ad imitationem Apostolorum, qui isto die de manu Christi eam susceperunt ; equidem plurimi sunt tum sæculares, tum Religiosi, qui privatim celebrant absque ullo scrupulo.

Videatur Diana part. 6. tract. 6. resol. 19, ubi §. *Non desinam*, notat fuisse aliquod Decretum Congregationis Rituum in contrarium. Præterea Cardinalem Savellium Pontificis Vicarium Romæ quibusdam celebrare volentibus præcepisse, ne eo die celebrarent. Diana.

Hoc tamen Decretum non videtur Dianæ in Sicilia, & in multis locis receptum ; multò minùs (inquit Dicastillo disp. 4. n. 28.) in Germania, ubi semper à quindecim annis contrarium video ; celebrat enim publicè qui vult. Unde Lugo qui post illud mandatum, & illud Decretum Romæ scripsit, & docuit, absolutè tenet licere disp. 20. n. 14. & addit : Neque est ullum Decretum contrarium legitimè promulgatum, quidquid aliqui dicant. Dicastill. Lugo. Suarez.

Hæc est ergo communis sententia teste Suario disp. 80. sect. 2. quam immeritò limitat Vasquez disp. 232. c. 2. n. 16. dicens : Observandum valde est, eo die solùm licere celebrare, antequam Missa solemnis finiatur, & Corpus Christi in locum designatum recondatur ; nam postea jam incipit Officium Parasceves, cùm statim Vesperæ dicantur, & in Parasceve in memoriam mortis, & sepulturæ à celebratione abstinendum sit. Limitatio Vasquez.

Infirmum sanè fundamentum ; nam ut essent Vesperæ Parasceves (quod non, ut statim ostendo) equidem adhuc verè durat Feria quinta. Sicuti quando in Sabbato aut alio die Quadragesimæ, Vesperæ fiunt ante meridiem, post Vesperas adhuc legitur Missa illius diei, & non sequentis ; idque non aliâ ratione, quia adhuc est illa dies præcedens, & non subsequens. Ratio.

Accedit, quòd propriè loquendo illæ Vesperæ non sunt Vesperæ Feriæ sextæ, sed Feriæ quintæ ; alioquin Feria quinta non haberet proprias Vesperas ; siquidem Feria quarta non dicuntur Vesperæ more duplici. Igitur Feriæ illæ non habent primas Vesperas, sed secundas solùm.

Cæterùm, quòd non liceat, & quidem sub mortali, celebrare Feriâ sextâ majoris Hebdomadæ, est communis, & universali consuetudine recepta sententia. Et habetur expressa cap. *Sabbato* 13. de Consecratione dist. 3. ubi ex Innocentio I. Epistolâ 1. ad Decentium cap. 4. sic legitur : *Quod utique non dubium est in eum tantum eos jejunasse biduo memorato* (id est Feriâ sextâ & Sabbato) *ut traditio Ecclesiæ habeat ipso biduo Sacramenta penitus non celebrari.* 241. Illicitum est die Parasceves celebrare.

In tan-

In tantum ut si Festum aliàs præceptum in Parasceven incideret, populus non teneretur interesse Officio illius diei, ut declaravit Congregatio Rituum die 19. Feb. anno 1622. apud Gavantum in Rub. Miss. part. 4. tit. 9. n. 24. nec enim illud Officium, cùm desit Consecratio, Missa essentialiter est: neque Ecclesia ullam Missam pro isto die ordinavit, quod manifestum signum est eam nolle tunc celebrari.

& Congregatione Rituum apud Gavantum.

243. Probabiliter est licita laicalis Communio. *Dicastillo.*

An autem liceat communicare, probabiliter aliqui affirmant; quia non extat jus prohibens: nam verba Canonis sonant celebrationem, & non communionem, & in Germania teste Dicastillone suprà n. 32. videtur consuetudine receptum.

Nec obstat quòd dicitur in Missali Romano: *Hodie* (id est, Feriâ quintâ) *reservat Sacerdos unam hostiam consecratam pro die sequenti, vel plures, si necesse fuerit pro infirmis*: nam id non ideo

244. non tantùm infirmis, sed & sanis,

fit, quòd tantùm infirmis liceat Eucharistiam administrare; sed quia illa fuit causa maximè necessaria servandi Sacramentum.

Consimiliter non valet dicere, quòd hodie in Ecclesia Latina solus Sacerdos dictâ Feriâ sextâ communicet ex præsanctificatis die præcedenti; etenim ut hæc esset ubique consuetudo (quod non, ut patet ex dictis) non constat illam ita esse introductam & receptam, ut vim præcepti habeat; sed potiùs devotionis gratiâ, & ut magis congruam.

Contraria consuetudo non est obligatoria. *Suarius, Vasquez, Diana,*

Non ergo dici potest per non usum introductam esse prohibitionem; quia sola negatio actûs non sufficit ad introducendam legem. Unde hanc sententiam docent Suarius disp. 80. sect. 2. Vasquez disp. 232. n. 22. & plures alii apud Dianam suprà, quamquam ipse cum aliquibus, quos citat ibidem, teneat contrarium.

245. Solemnis celebratio Sabbato Sancto non est inhibita,

Igitur præcipuum, quod hìc controvertitur, est, an liceat privatim celebrare Sabbato Sancto. Dico, *Privatim*: quia in Officio publico illius diei, haud dubium, quin juxta consuetudinem modernam Ecclesiæ includatur verum Sacrificium Missæ. Unde si fortè in illum diem incideret Festum, quidni fideles tenerentur, qui commodè possent, illi Officio interesse?

secùs videtur de Missa privata ob jus Canonicum.

Cæterùm, quòd illicitum sit illo die privatim celebrare, videtur aliquibus satis colligi ex cap. *Sabbato* superiùs allegato, in quo Pontifex Innocentius eodem modo loquitur de Sabbato & Feria sexta; & quamvis per consuetudinem Ecclesiæ, ut statim dixi, introducta sit Missa solemnis, haud equidem privata, cùm non assignetur à Missali Romano Introitus pro tali Missa, sicuti bene pro Missa privata, quæ celebratur in Vigilia Pentecostes.

246. Confirmatio Vasquez.

Confirmatur: quia olim non solebat fieri Missa, etiam solemnis, nisi post mediam noctem, incipiente jam die Resurrectionis, quæ Missa hodie per anticipationem celebratur ante meridiem. Ita arguit Vasquez suprà n. 24.

Rejicitur à Lugone.

Sed hunc morem Ecclesiæ negat Cardinalis Lugo disp. 20. n. 16. constat enim, inquit ille, ex omnibus Scriptoribus Ecclesiasticis, Officium Missæ illo Sabbato incœpisse post solis occasum apparente primâ stellâ: usque ad illam enim horam legebantur Prophetiæ, benedicebatur fons, catechizabantur, & baptizabantur Catechumeni: incipiente autem nocte Resurrectionis cantabatur Missa cum lætitia.

Ordo Romanus,

Sic habetur expressum in Ordine Romano his verbis: *Postea modico intervallo, ut fuerit prima stella in Cælo visa, sonant signa & incipiunt canere Litaniam ad Introitum, & postquam finierint Litaniam, dicit Sacerdos: Gloria in excelsis* &c. qui liber scriptus fuit tempore Caroli Magni. Vide plura testimonia apud Eminentissimum suprà. Quare meritò Gavantus

Gavantus,

part. 4. in Rub. Miss. tit. 10. n. 45. pro comperto supponit, quòd Missa illa olim initio noctis dicebatur.

247. Missa Sabbati Sancti non fiebat olim post mediam noctem.

Et sanè si Missa fiebat post mediam noctem: ergo in oppidis parvis, ubi solus Parochus est Sacerdos, non poterat ille celebrare die sequenti Paschatis, nisi bis celebraret intrà eamdem diem, quod tamen privilegium non legitur, nisi pro die Natalis. Præterea quomodo in fine Missæ potuissent cantari Vesperæ pro ipso Sabbato, quod jam transiisset. Denique sic Sacerdos, & alii volentes communicare, non debuissent manere jejuni per integrum Sabbatum, ut clarum est; adeoque propter difficultatem jejunii nequaquam fuisset Missa anticipata.

Hugo à S. Victore.

Potrò fuisse anticipatam ob illam difficultatem docet Hugo à S. Victore lib. 3. de specialibus Missæ observationibus cap. 21. ibi: *Quoniam sicut diximus* (scilicet capite præcedenti, ubi dixerat diem Paschæ à vespere præcedenti incipere) *Vespera illa ad diem sequentem pertinet, & verè Antiqui tamfere transacto die Sabbati* (prout distinguitur à nocte) *Officium hoc celebrabant; sed Modernorum debilitas ad epulas festinans tempus prævenit constitutum.*

Omitto, utramque Missam, scilicet Sabbato Sancto, & die Paschæ, solitam dici ab Episcopo. Sic enim habet Ordo Romanus: *Procedit Pontifex de Sacrario cum ingenti decore* &c. *& Litaniâ expletâ dicit: Gloria in excelsis Deo* &c. Ergo vel celebrabat bis intrà eandem diem post mediam noctem, vel Missa Sabbati dicebatur ante mediam noctem.

248. Missa privata licitè celebratur Sabbato Sancto.

Igitur Conclusio nostra est probabilis; nam prohibitio antiqua, quæ refertur in illo capite *Sabbato*, solùm erat celebrandi per biduum illud, intelligendo, ut vidimus, per biduum Feriam sextam & totum Sabbatum usque ad

initium noctis sequentis, quando dies finita erat; per consequens tunc poterant celebrari Missæ etiam privatæ: ut manifestè constat ex

Micrologus. Micrologo. cap. 53. de Sabbato Sancto, ubi sic dicitur: *Post Baptismum Presbyteri demùm possunt Missam, si necesse fuerit, privatim celebrare, quia iam renati sunt, de quibus in Missa specialiter agere debemus, nec postea à Lectionibus, quas iam audivimus, sed à Litania incipere debemus.*

Probatur ex praxi quorumdam tunc sacrificantium.

Cùm ergo procedente tempore noctis initium anticipatum fuerit pro Missa solemni, quidni etiam pro Missis privatis? Verumtamen quia antiquitùs propter impedimenta, & molestiam jejunii, pauci privatim celebrabant, ideo & nunc consuetudo habet, ut pauci celebrent, tametsi etiam non desint, qui de facto id faciant (sciente, & non contradicente Pontifice) ne consuetudo videatur obligare.

Accedit, quòd hodie universim cesset ratio prohibitionis, scilicet, requies Christi in Sepulchro, & luctus super Dominicam Passionem, protrahendus usque ad sequentem noctem, quoniam incipit Ecclesia à matutino tempore, cantato *Gloria*, & *Allelsia*, lætari.

249. Objectio.

Sed contrà: ergo saltem erit illicitum celebrare privatim ante Missam solemnem. Etenim usque ad illud tempus campanæ non pulsantur, & Ecclesia utitur colore violaceo, qui congruit tristitiæ: igitur pro illo tempore adhuc obligat prohibitio antiqua.

Responsio.

Respondeo, usus piorum hominum est in contrarium, qui privatim, ut notat Lugo suprà n. 23. absque scrupulo celebrant summo manè, immo & Episcopi aliquando Ordines conferentes, ut postea debito tempore Officiis in Ecclesia interesse possint, celebrant in Sacello, & conferunt Ordines statim post auroram, vel solis ortum, quæ Missa, licèt non cantetur, nec dicatur in Ecclesia, habet tamen aliquid de solemnitate, cùm in ea dicantur priùs omnes Prophetiæ, & Litaniæ, juxta ritum Pontificalis. Hæc ille.

250. An posset ex causa dici Missa privata ante Nonam?

Affirmat Lugo.

Ex quibus sic infert: Unde existimo postquam jam anticipata est Missa, quæ priùs nocte dicebatur, ad horam solitam aliorum dierum jejunii, in quibus Missa cantatur post dictam Nonam, eandem esse rationem de illa Missa ac de aliis: nam in Missali solùm dicitur, quòd post Nonam cantetur Missa. Sicut ergo aliis diebus potest ex causa anticipari Nona & Missa, posset etiam ex causa id fieri illâ die: ac per consequens sicut aliis diebus Missa privata potest dici ante Nonam, poterit ex causa dici illâ die, ut alii, qui non possunt expectare, audiant Sacrum: si autem fiat absque causa, non credo fore culpam gravem. Hactenus Eminentissimus.

An foret peccatum saltem ve-

Ast numquid erit culpa levis? Certè si ab aliis diebus ad hanc diem licet argumentari, nulla erit culpa, cùm passim Missæ privatæ aliis diebus sine ullo scrupulo venialis peccati dicantur ante Nonam. Optimum est sequi consuetudinem Ecclesiæ, ad quam fortè deveneris, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.

Vide 6. sect. 2. num. 2. ubique cauta.

Unde Suarius disp. 80. sect. 2. in fine: Suarez. Est, inquit, hæc opinio satìs probabilis, & practicè secura, non tamen consulerem usum illius, nisi in aliquo casu cum causa, vel occasione rationabili, & scandalum omne diligenter vitando.

Et si ulteriùs inquiritur, an in Missis privatis illius diei dici debeat Introitus, aut certè incipi à Litaniis? Existimo incipiendum esse à *Kyrie*, cùm nullus Introitus ab Ecclesia præscribatur; Litaniæ autem non pertineant ad Missam, utì nec Prophetiæ, aut Benedictio Cerei Paschalis, sed solùm ad Officium cantandum solemniter cum Choro. Unde sic servat consuetudo, quæ est optima legum interpres. 251. Missa illa incipienda à quo.

Cur Ecclesia hic non præscripserit Introitum.

Porrò cur Ecclesia non præscripserit hic Introitum, quemadmodum in Vigilia Pentecostes; ratio est, prima: quia ab initio in Ecclesia moris fuit, celebrare privatim in Vigilia Pentecostes, secùs in Sabbato Sancto, sed usu solùm, ut dictum est, Pontifice sciente, & non contradicente illa licentia introducta fuit.

Secunda & melior; quia illud pertinet ad peculiarem solemnitatem illius Festi, ut Ecclesia, quæ his diebus in tristitia sedit, plangens Dominicam Passionem, hâc die incipiens gaudium Dominicæ Resurrectionis, præmisso *Kyrie*, dicat Canticum *Gloria in excelsis*; quæ liquet non habere locum in Vigilia Pentecostes.

Igitur cùm hæc prohibitio solùm sit humana, & aliunde à multis, scribatur, imprimatur, doceatur & practicetur contrarium in Ecclesia Dei, Prælatis minimè reprobantibus, sufficiens indicium est, quòd vel sit abrogata, vel sic intelligi possit probabiliter & tutò, quidquid aliqui Doctores contradixerint. Vide Dianam part. 2. tract. de Celeb. Miss. resol. 21. 252. Prælatorum dubium implicitè supponit Ecclesia.

Venio ad aliam legem positivam, quæ prohibet sæpiùs eâdem die celebrare, & dico:

CONCLUSIO XVI.

Non licet eidem Sacerdoti plures Missas eodem die celebrare, præterquam in Natali Domini, & casu necessitatis.

253. Innocentius III. Concilium Constantinopolitanum.

ITa statuitur cap. *Consuluisti* 3. de Celeb. Miss. *Respondemus* (scribit Innocentius III. Vigoren. Episcopo) *quòd excepto die Nativitatis Domi-*

Dominicæ, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare.

& cap. Te referente eod.

Et cap. *Te referente* 12. eodem titulo ibi: *Cùm cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Missam sufficiat* (excipe diem Nativitatis Dominicæ & casum necessitatis, ut suprà) *nam & valde est felix, qui celebrat dignè unam: Fraternitati tuæ mandamus quatenus die Cœnæ Domini in Ecclesia Sypontina dumtaxat, in qua teneris Chrisma conficere, Missarum studeas solemnia celebrare.* Ita Honorius III. Archiepiscopo Sypontino, qui, ut notat Glossa, die Cœnæ Domini de antiqua consuetudine conficere tenetur Chrisma in Ecclesia Sypontina: sed idem Archiepiscopus eodem die manè de consuetudine accedit ad Garganicam Ecclesiam ut recipiat ibi peregrinos illius loci, & ibi à Clero & populo illius loci celebrare compellitur, unde super hoc imploravit consilium Papæ.

254. ethque generaliter intelligenda de omnibus Sacerdotibus.

Nota autem ly, *Quacumque dignitate præfulgeat*, per quæ verba satìs significat constitutionem esse universalem. Nota etiam ly *Mandamus*, quod significat præceptum.

Et licèt in priori textu solùm dicatur: *Sufficit*, quod per se non satìs denotat obligationem legis; equidem impræsentiarùm ex circumstantiis colligitur mens Pontificis volentis legem instituere; nam quæsitum ab eo fuerat (ut patet ex integra Decretali) hoc modo: *Consuluistis nos, utrùm Presbyter duas Missas in eadem die valeat celebrare, super quo tibi duximus respondendum, quòd, excepto die* &c. *Vtrum*, inquit, *valeat* (id est, liceat) *celebrare*; cùm ergo respondet Pontifex: *Sufficit* &c. hoc verbum significat præceptum, prohibens plùs, quàm semel celebrare.

255. Colligitur etiam à plerisque ex Epistola Alexandri II.

Colligitur quoque à plerisque hoc præceptum ex Epistola Alexandri II. quæ refertur de Consec. dist. 1. cap. 53. ubi sic legimus: *Sufficit Sacerdoti unam Missam in die una celebrare, quia Christus semel passus est & totum mundum redemit. Non modica res est unam Missam facere, & valde felix est, qui unam dignè celebrare potest. Quidam pro defunctis unam faciunt, & alteram de die, si necesse fuerit. Qui verò pro pecuniis, aut adulationibus* (aliàs *oblationibus*) *sæcularium unâ die præsumunt plures facere Missas, non æstimo evadere damnationem.*

Quam collectionem ut difficilem rejicit Vasquez.

Mihi, inquit Vasquez disp. 232. n. 42. difficilè videtur ex hac Epistola universale colligere præceptum, tum quia in eadem Epistola præmittitur, ut eodem die duæ Missæ dicantur, altera pro defunctis, altera si necesse fuerit de ipso die. Illud autem; *Si necesse fuerit*, ita intelligerem, si necessitas incumbat Missam de Festo solemni celebrandi. Tum etiam, quia in prædicta Epistola solùm damnantur, qui pro pecuniis, aut adulationibus sæcularium unâ die præsumunt plures Missas celebrare. De iis verò, qui ex sola devotione plures celebrarent, nihil dicitur.

256. Ratio difficultatis.

Pro quo advertit hic Auctor tempore Walafridi Strabonis, qui Alexandrum II. (cujus Pontificatus incidit in annum Christi 1062.) præcessit, unicuique licitum fuisse iterum atque iterum in eadem die celebrare, ut ipse latè prosequitur lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 21. ubi adducit testimonium Leonis Papæ, quem septem, vel novem etiam Missas in una die celebrasse, ex relatione virorum in suam usque ætatem memoriæ proditum esse ipse testatur. Idem refert de Bonifacio Archiepiscopo & Martyre, & ita ipse liberum relinquit pluries in eodem die celebrare.

Hodie non licet etiam solius devotionis causâ sæpiùs celebrare.

Utcumque sit de isto tempore, hodie nemini dubium est sub mortali peccato illicitum esse, etiam devotionis solius causâ, pluries celebrare in eadem die (exceptâ die Nativitatis Dominicæ, & casu necessitatis) non vi alicujus juris naturalis, vel divini, ubi enim illud extat? sed jure positivo Ecclesiastico scripto, aut certè consuetudine legitimè introducto; nec sine justa ratione; *Quia*, ut ait Alexander II. *Christus semel passus est, & totum mundum redemit.* Neque *modica res est unam Missam facere, & valde felix est, qui unam dignè celebrare potest.*

Et verò planè inconveniens erat, ut sine debita præparatione, non devotionis causâ, sed turpis potiùs lucri, singulis diebus toties, quoties Sacerdotibus luberet, tam sanctum ac tremendum Sacrificium offerretur.

257. Triplex Sacrificium in Natali Domini est permissum, non præceptum.

Cæterùm propter specialem solemnitatem, triplicis utique Euangelii, quod legitur in divino Officio diei Nativitatis Dominicæ, Ecclesia indulsit omnibus Sacerdotibus (neutiquam præcepit) triplex Sacrificium Missæ illo uno & eodem die, ut patet ex cap. *Consuluisti* suprà memorato, & confirmatur ex Missali Romano, & communi praxi.

Dixi, *Triplex Sacrificium*; quia si Sacerdos semel communicasset extra Missam, non posset deinde celebrare alias duas Missas, vel è contra si primam & secundam Missam celebrasset, non posset loco tertiæ extra Missam communicare. Ratio, quia privilegium non est de ter communicando, sed dumtaxat de ter celebrando, idque præmisso jejunio.

Prærequiritur jejunium. Rub. Miss.

Unde præscribunt Rubricæ Tit. de Defectibus cap. 9. n. 4. *Si plures Missas in una die celebret, ut in Nativitate Domini, in unaquaque Missa abluat digitos in aliquo vase mundo, & in ultima tantùm percipiat purificationem.* Si ergo perceperis in prima Missa, à reliquis abstinebis. Quod etiam observandum est in casu necessitatis: nisi tanta sit necessitas, ut etiam excuset à præcepto jejunii, de qua egimus Disputatione

præcedenti sect. 11. à Conclusione 7. usque ad finem.

258. An in necessitate liceat non tantùm bis, sed etiam tertiò, quartò, quintò &c. ostenditur manifestè ex capite *Consuluisti* suprà, quod simpliciter excipit casum necessitatis ab hac lege. Si ergo necessitas dat facultatem ad secundam celebrationem, cur similis necessitas non dabit ad tertiam, & sic deinceps? Ita communiter Doctores.

Fagundez. Contrarium docet Fagundez lib. 3. de primo Ecclesiæ præcepto cap. 16. n. 5. ubi sic habet: Sacerdos bis, requirente necessitate, celebrare in die poterit, non pluries, quia jus in cap. *Consuluisti* de Celeb. Miss. solùm bis in die concedit in necessitate celebrare jejunis. Hæc ille; sed perperàm, ut patet ex verbis textûs superiùs recitatis, & ideo non est audiendus.

259. Casus aliquis necessitatis proponitur, Ut autem quisque sciat, quæ sit necessitas sufficiens: propono hunc casum jam pridem propositum ab aliquo nostri Ordinis Missionario Amstelrodamensi hisce verbis: Habetur in privilegio Apostolico, quòd concedatur ut possimus binare, modò necessitas adsit. Præsuppono si privilegium est, non requiri omnimodam necessitatem. Sed rogo an sit causa sufficiens hæc: est modò & fuit hactenus hìc talis libertas, ut tot locis celebretur, tam diebus Ferialibus, quàm Dominicis, ut plerique qui volunt, si velint ire huc vel illuc, possint sæpè in septimana Sacrum audire. An ergo possim in loco meo, ut soleo, quotidie pro adventantibus celebrare, & postea tamen ire ad aliquam domum alicujus benefactoris mei, & ibidem celebrare, ubi etiam aliqui conveniunt, vel pro devotione ipsius, quia petit, & ipsi rem gratam facio. Ecce casus. Sequitur resolutio Reverendi Patris Michaëlis D'aubechies Ordinis nostri Lectoris Jubilati, doctissimi, celeberrimi, ac in rebus agendis expertissimi.

D'aubechies.

260. Respondetur primò, Respondeo I. me tale privilegium (extra jus commune) neque in se vidisse, neque ab alio citatum. Quod si tamen reverà extet; Respondeo II. malè inferri, seu supponi non requiri omnimodam necessitatem: nam plura sunt privilegia (ut vocantur) nobis à Pontificibus concessa, non tam ut per ea nos à lege communi eximerent, quàm ut scrupulos Fratrum sedarent.

Secundò.

Tertiò. Respondeo III. me non satìs capere, an intendat casus dicere iis in locis, de quibus agit tantam esse commoditatem audiendi Missam, ut quilibet eam audire possit tam Dominicis quàm Feriis (etiamsi nemo binet) dummodo huc vel illuc ire velit, aut saltem plerique eorum: an verò intendat dicere, quòd nisi binetur, plerique quidem non poterunt diebus Dominicis Missam audire, sed quòd tamen tanta sit ibi libertas, ut in septimana alio die possint Missam audire, & sic intentioni Ecclesiæ & præcepto ejus aliqualiter satisfacere. Si primum intendat,

Quartò. Respondeo IV. neminem ordinariè binare posse, saltem in die Feriali, quum non sit necessitas, imò nec honestas, vel utilitas saltem notabilis. Pro ulteriori autem resolutione formanda,

261. Ulteriùs resolutio supponitur. Supponendum est primò, præceptum de pluribus Missis uno die non legendis, non esse divinum præceptum, ut usus timoratorum, & Ecclesiæ auctoritas probat, sed humanum Ecclesiasticum diversis Canonibus expressum, præsertim antiquiore de Consecratione dist. 1. cap. *Sufficit*, ubi habentur hæc verba: *Sufficit Sacerdoti* &c. vide suprà.

Secundò. Suppono secundò ex privilegiis, præxi ceptâ, ac ipsorum Antino, Provinciales Ordinum Mendicantium potestatem habere in sibi subditos (atque in utroque foro) quasi Episcopalem, id est, in omnibus, quæ sunt meræ jurisdictionis (non verò Ordinis Episcopalis) intrà quæ comprehenditur potestas binandi, si est penes Episcopos, aut saltem declarandi, an sit causa legitima id faciendi.

Tertiò. Suppono tertiò; Theologum non latere, quòd quantùm ad casus, in quibus binare liceret, tot sint Auctorum sententiæ, quot capita: ac inter eos (præsertim Recentiores) aliquos valde strictè, aliquos verò laxè admodùm loqui: in hoc tamen convenire, quòd quando verè est necessitas, liceat binare, imò ternare, & quaternare, ac omnes ferè docti, prudentis, ac probi judicio relinquere, quandonam sit censenda necessitas. Inter quos si sim, judicio vestro

Quartò. Suppono quartò; necessitatem (moralem nimirum, de ea enim res intelligitur) aliam majorem, aliam minorem esse; quam postremam puto coincidere cum honestate vel utilitate saltem notabili.

Quintò. Suppono quintò; quæstionem intelligi posse, vel de per se ac seclusâ malitiâ, quæ ab extrinseco advenire posset, v. g. ratione scandali, vel certè omnibus consideratis. His præmissis.

262. Resolutio quinta. Respondeo V. in terris, Hæreticorum dominio subjectis, licet de per se Sacerdoti binare (adeoque & Patribus nostris, saltem de Ministrorum Provincialium licentia) ac etiam ternare, quando alioquin diebus Dominicis, vel Festis plerique non essent audituri Missam, etiam huc & illuc quærendo.

Veritas parenthesis patet ex supposito secundo; certum enim est hanc licentiam esse merè jurisdictionis, cùm dari possit etiam ab Episcopo non consecrato, qui potest etiam binas Parochias unico tradere Sacerdoti.

Dixi

Dixi autem in Conclusione, *de per se*; quia si nullus prorsus in terris istis binat in casu Conclusionis, facilè orietur scandalum inter sæculares, præsertim Sacerdotes, asserentes à Religiosis id practicari adulationis, vel pecuniæ causâ. Scio tamen à quibusdam in Frisia fuisse practicatum.

Porrò Conclusio constabit à fortiori ex iis, quæ dicentur in sequentibus. Probatur verò; quia omnes admittunt unicum Parochum duarum Parochiarum binare posse, ne plerique Missâ careant: quod utique ex charitate facere potest (sicut & nos) sed quia officium gerit Parochi, etiam ex justitia tenetur.

263. Responsio secta.

Respondeo VI. in casu, Conclusione 5. posito, licet binare, etiamsi solùm pauci huc, illucque quærentes non possent audire Missam. Hæc Conclusio, etiamsi à plerisque Auctoribus negetur in genere loquentibus, & fortè negari debeat in terris Catholicorum; omnino tamen asserenda est pro terris, Hæreticorum dominio subjectis.

Ratio est; quia fatentur omnes binari posse, quando moralis est necessitas, aliàs non, ut colligitur præsertim ex cap. *Consuluisti* de Celeb. Miss. tamen Glossa ibidem id etiam extendit ad causam honestatis vel utilitatis, sicut etiam Sa verbo *Missa*; quæ Glossa, quamvis à plerisque rejiciatur, eò quòd textus requirat necessitatem, immeritò tamen (meo judicio) quia honestas, vel utilitas (saltem notabilis) est moralis necessitas, licèt minor, ut dixi supposito quarto.

264. Necessitas hic prudentis est judicio æstimanda.

Quidquid de hoc sit, omnes fatentur necessitatem, de qua agunt Canones, æstimari debere prudentis probique viri judicio: Princeps autem Canonistarum Navarrus, & doctissimus Sylvester verbo *Missa* primo, post Antoninum & Paludanum, eo usque rem hanc extendunt, ut asserant licere Missam iterare, etiam in die Feriali, propter adventum alicujus illustris personæ, v. g. Episcopi, qui Missam die illo non audierit. Certè ipsi assererent id potiùs licere (saltem diebus Dominicis & Festis) ut fervidi Catholici sub Hæreticorum jugo gementes consolationem accipiant, & tepidi non defluant defectu exercitiorum Catholicorum; præsertim cùm in supradictis locis soleant Missæ subjungi Conciuncula pro consolatione fervidorum, & fomento tepidorum. Ingenuè fateor si versarer iis in locis, & sine periculo scandali possem, non vererer etiam in Feriali die bis celebrare, quando multi essent conventuri.

Navarrus.

Sylvester.

Miror aliquos Auctores in hoc præcepto tam rigorosos, cùm non sit nisi humanum. Immo si Canones bene attendantur, non præcipiunt expresè; sed solùm dicunt, quòd sufficiat unam Missam uno die celebrare: & manifestè non intendunt, nisi avertere abusus avaritiæ, adulationis, vel alios, qui ex reiteratione Missarum oboriri possent. Et quamvis consuetudo optima legum interpres, satìs sit stricta; ea tamen potissimùm orta videtur ex reverentia erga tremendum illud Sacrificium, non verò ex inhibitione Ecclesiæ, nisi per ignorantiam apprehensa: consuetudo autem inducta per apprehensionem obligationis reverà non subsistentis, non inducit legem, ut tenet Suarez cum pluribus aliis Auctoribus.

Verùm demus cum communi sententia necessitatem requiri; immo etiam causam honestatis, vel utilitatis non sufficere: Epykia in terris Hæreticorum locum habere videtur, in quibus Conciones & frequens Sacrificiorum & Sacramentorum usus utilia, nedum necessaria sunt pro conservatione Catholicæ Fidei. Hactenus D'aubechies; addens pro clausulâ finali: Puto me hac in materia adhuc laxius loqui posse salvâ veritate; sed malo viam tutiorem eligere, saltem quando necessitas non urget.

265. An Epykia locum habeat in terris Hæreticorum?

Sanè ignoro ego, quomodo laxius loqui posset, nisi dicendo absolutè, illud præceptum in istis partibus non obligare, dummodo iteratio non fiat pro pecuniis aut adulationibus sæcularium, quod tamen non facilè crediderim propter consuetudinem in contrarium: & si illa est inducta per ignorantiam, vellem unam videre, quæ sit inducta per scientiam.

Accedat dispositio juris communis cap. *Consuluisti*, in quo verbum, *Sufficit*, ut suprà ostendimus, manifestè significat præceptum, & nulla fit mentio alicujus abusus, avaritiæ, adulationis, aut similis, quamvis valde verosimile sit propter periculum hujusmodi abusuum illam Constitutionem emanasse.

Et quamvis lex, quæ fundatur in præsumptione facti, non obliget eo particulari casu quo veritas non subest: secùs tamen, ut docetur in materia de Legibus, lex quæ fundatur in præsumptione moralis periculi (quæ præsumptio est generalis quidam timor & opinio periculorum) quod moraliter & ordinariè semper subest; tametsi hìc & nunc per accidens possit abesse; & sic potiùs fundatur in certa scientia, quàm in præsumptione: talis autem censeri debet lex prohibens iterationem Missæ in eodem die, & ideo cessante illo periculo in casu particulari nequaquam cessat ipsa lex; maximè cùm partialis ratio semper subsistat, scilicet reverentia Sacramenti: etenim si illa sufficiat, ut Ecclesia laicis justè prohibeat multiplicem Communionem in eodem die, quidni etiam ut Sacerdotibus justè prohibeat multiplicem celebrationem?

Casus ergo quibus licet pluries celebrare in eodem die, præter Natalem Domini, communiter enumerantur: Primus, quando quis præest duabus Ecclesiis, & nisi bis in die sacrificaret, Sacro careret alterutra Ecclesia.

266. Casus quibus est licitum sæpiùs celebrare.

Primus,

Secundus, Secundus, ubi rari sunt admodùm Sacerdotes, ut in Anglia, Hibernia, & nonnullis partibus Germaniæ, & in Indiis (adde & Tuneti, & in tota Africa, & in Regionibus quibuscumque Infidelium in simili necessitate Christianorum ibi fortè degentium) quilibet Sacerdos, quamvis non sit Parochus, poterit ibi, requirente necessitate, pluries celebrare in die, etiam nullâ petitâ licentiâ ab Episcopo, fortè ibi præsente, vel vicino; quia ubi jus commune facultatem concedit, ab alio expectanda nequaquam est.

Tertius de infirmo aliàs sine Viatico morituro. Tertius, quando aliàs infirmus decederet sine Viatico; qui aliquibus videtur metaphysicus. Nam si Sacerdos novit mortem imminentem infirmi, poterit, immo debebit reservare de sua hostia, quâ infirmum communicet, si aliunde alia hostia non suppetat: si verò non novit, jam sumet ablutionem solitam, & sic non erit jejunus, quod tamen requiritur, ut antè diximus, ut possit iterum celebrare. Solùm igitur casus habebit locum, si fortè Sacerdos sciat infirmi necessitatem in illo temporis momento, accepto calice, ante ablutionem, qui certè erit casus metaphysicus & rarissimus.

Respondeo, quidquid sit de raritate vel frequentia casûs, saltem possibilis est, & si contingat, judico cum communi sententia, quidquid in oppositum sentiat Vasquez disp. 232. nu. 50. necessitatem infirmi, & præceptum Viatici, vincere præceptum de celebrando semel tantùm in die.

267. An sit casus metaphysicus, *Tamburinus.* Et verò casus non ita erit infrequens, juxta Tamburinum, si probabilis est sententia (quod putamus) licere non jejunum celebrare ad dandum Viaticum: tunc enim cognitâ moribundi necessitate etiam post ablutionem assumptam (quod facilè potest contingere) poterit Sacerdos secundùm hanc opinionem iterum celebrare. Ita præfatus Auctor lib. 1. de Sacrificio Missæ cap. 6. §. 3. n. 3. in fine.

An satis fundatè, dubito propter duplex præceptum, unum de non celebrando sæpiùs eâdem die, alterum de non celebrando post sumptum cibum & potum. Et quamquam præceptum Viatici seu necessitas infirmi alterutrum seorsim vinceret, equidem, quòd utrumque simul vincat, non satìs mihi constat. *Eccles. 4.* *Si quispiam prævaluerit* (ait Sapiens Ecclesiaste cap. 4. v. 12.) *contra unum, duo ei resistunt. Funiculus triplex difficilè rumpitur*, & funiculus duplex difficiliùs, quàm unicus.

268. Casus qui à Recentioribus rejiciuntur. Reliqui casus, qui sequuntur, quamvis ab aliquibus approbentur, maximè ab Antiquis; passim tamen à Recentioribus non admittuntur. Sunt autem:

Adventus Episcopi. Primus, quando facto Sacro supervenit Episcopus, vel Princeps volens, etiam die non Festivo interesse Sacro, nec sit alius, qui celebrare possit.

Multitudo peregrinorum. Secundus; si die Festivo superveniat multitudo peregrinorum, celebrato jam Sacro. Ad quem reducitur ille casus, quando in Dedicatione Ecclesiæ, propter multitudinem populi magna ejus pars, nisi quis iterum celebraret, sine Sacro remaneret.

Defunctus sepeliendus &c. Tertius; quando celebratâ jam Missâ, superveniret defunctus sepeliendus, in eo loco, ubi defuncti sine Missa sepeliri non solent.

Duplex Missa. Quartus; quando eodem die occurrunt duæ Missæ celebrandæ, altera de Festo v. g. altera de Feria privilegiata, & unus tantùm adest Sacerdos.

Benedictio nuptiarum. Quintus; quando Missa esset necessaria ad benedicendas nuptias.

Sextus; quando aliqua alia necessitas judicio prudentis iteratam ejusdem Sacerdotis Missam exposceret.

269. Ratio quare hi casus non admittuntur. Verumenimverò hi casus, sicut anteà dixi, communiter à Recentioribus non admittuntur. Et ratio præcipua est; quia, inquit Tamburinus suprà nu. 2. ille Episcopus, vel multitudo, vel defunctus, vel sponsus, vel duplex Missa currens non adferunt obligationem ad Missam, quando hæc haberi non potest, vel debito modo celebrari non valet. Accedit consuetudo contraria omnium Ecclesiarum. *Tamburinus.*

Respondeo. Equidem quantùm ad consuetudinem, cùm casus illi rari sint, nescitur quid Sacerdotes essent facturi, si urgerentur. Ratio autem præcipua retorquetur; quia etiam non est obligatio Viatici, quando commodè haberi non potest, neque obligatio audiendi Sacrum in secunda Parochia, quando debito modo non potest ibi celebrari.

270. Rationi reluctatur. Respondeo, haud nuda obligatio Viatici est causa sufficiens; sed insuper maxima semper utilitas istius Sacramenti pro mortis articulo, quâ non est verisimile Ecclesiam, piam matrem, voluisse filios suos privare, etiàm in istis circumstantiis.

Et verò cùm obligatio audiendi Sacrum Dominicis & Festis diebus sit universalis, quâ veri apparentiâ dicetur, Ecclesiam sic velle præficere unum Parochum duabus Parochiis, ut de per se loquendo subditi unius nequeant obligationi illi satisfacere? Cùm ergo ex rationabili causa Ecclesia dispensat, si ita loqui velimus, ut unus Pastor habeat duas Parochias, etiam censetur dispensare ut in utraque Sacrificium Missæ offerat (si commodè non possit habere substitutum) quo omnes subditi ejus possint præceptum Ecclesiæ de audiendo Sacro adimplere. Aliud est, quando per accidens contingit, ut hìc & nunc aliqui non audiant Sacrum; hæc enim omissio non videtur aliquibus sufficiens ratio secundò celebrandi eodem die.

271. Fundam. Ecce quàm verè dixerit D'aubechies in hac re quot capita, tot esse sententias. Et quod magìs miror, Episcopi aliqui videntur sibi refer-

reservare cognitionem causæ, ut neminem absque sua concessione permittant bis eodem die celebrare.

Concessio facultatis bis celebrandi non apparet reservata Episcopis.

Sed quo jure? Non invenio. Sanè, ut superiùs dixi, ubi jus commune facultatem concedit, ab alio expectanda nequaquam est. Porrò cap. *Consuluisti* expressis verbis excipitur casus necessitatis; quòd autem ille pendeat à judicio Episcopi, & non cujusllibet hominis prudentis, faciliùs dicitur, quàm probetur. Si ergo quidpiam Episcopo præ cæteris competit in hoc negotio, id erit, dispensare in lege Pontificis, ubi & quando justa ratio id exigit, adeoque suâ auctoritate supplere insufficientiam necessitatis per se excusantis. Interim attendenda est consuetudo loci, in quo moramur, saltem ad evitandum scandalum. Neque hìc tantùm, sed etiam in hora diei, quâ liceat, vel non liceat Missam inchoare. Et si quæris quæ sit ista hora? Respondeo:

CONCLUSIO XVII.

Sufficit Missam finiri in aurora, & ante meridiem esse incœptam.

272. Probatur Conclus. ex communi usu Ecclesiæ.

INtelligitur Conclusio absque privilegio, de quo infrà. Probatur ex communi usu Ecclesiæ, conformi Rubricis Missalis Romani cap. 15. in principio: *Missa privata* (de illa loquimur) *saltem post Matutinum & Laudes quacumque horâ ab aurora usque ad meridiem dici potest.* Ideo Decretum Telesphori Papæ, relatum can. *Nocte sanctâ* 48. de Consec. dist. 1. ubi dicitur: *Reliquis verò temporibus* (præter noctem sanctam Nativitatis) *Missarum celebrationes, ante horam diei tertiam minimè sunt celebrandæ*; satis est revocatum, saltem consuetudine, tam quoad solemnes, quàm quoad privatas Missas.

Rubr. Miss.

Can. 48. de Consecrat. dist. 1.

273. Quid per auroram & meridiem intelligatur.

Quæris à me quid per auroram intelligant, communiter Doctores? Respondeo non ortum solis, sed primam ejus irradiationem in nostro hemisphærio, quæ ad summum, juxta Lugonem disp. 20. n. 31. præcedit ortum solis per duas horas & quadrantem, scilicet in mense Junio, ad minus per sesquihoram, excepto Martio, in quo solùm præcedit per horam & quadrantem. Meridiem autem accipiunt pro hora duodecima.

Lugo.

Hi termini sunt moraliter perpendendi.

Porrò hi termini non mathematicè, sed moraliter perpendendi sunt, ut scilicet per auroram intelligatur tertia, vel dimidia pars horæ ante primam lucem, ita ut ille terminus excuset non solùm à culpa mortali, sed etiam à culpa veniali: non enim excusat propter parvitatem materiæ, sed quia quod intrà terminum illum fit, reverà fit intrà debitum terminum & tempus obligationis. Ita Lugo disp. 20. n. 37. quod videtur probabile.

Notat autem ibidem, hunc ipsum terminum moralem, non eodem modo assignari in aurora, ac in meridie, sed in hoc cum majori latitudine. Unde (inquit n. 38.) aliqui dicunt posse tertiâ parte horæ post meridiem inchoari Missam; alii extendunt ad semihoram; alii ad tres quadrantes; alii ad horam non integram. Auctores videri possunt apud Dianam Tractat. de Celeb. Miss. resol. 34. Hæc ille.

Diana.

Vidi Auctores, & ad clariorem intelligentiam exscribo singulorum verba. Prima itaque sententia est Azorii p. 1. lib. 10. c. 25. q. 6. ubi sic ait: Meo judicio tertia pars horæ habetur ut notabilis pars, & ideo si quis scienter, & sine justa & debita causa tertiâ parte horæ ante auroram, vel post meridiem Missæ Sacrificium faceret, lethaliter peccaret.

274. Diversæ sententiæ de termino meridiei.

Prima Azorii.

Secunda sententia est Layman lib. 5. tract. 5. cap. 4. n. 4. ibi: Si Sacerdos Festo die, ratione itineris impeditus fuerit, licebit Missæ initium facere unâ horâ post meridiem; sicuti docet Henriquez cap. 24. nu. 6. Miranda in Manu. Præl. to. 1. qu. 40. art. 11. Suarez disp. 80. sect. 4. & post ipsum Rodrig. to. 1. qq. Regul. q. 43. art. 2. aiuntque id consuetudine observari. Quinimmo ex quacumque justa occasione poterit Missa paulò post meridiem, puta uno vel altero quadrante inchoari.

Secunda Layman.

Tertia sententia est Martini Bonacinæ de Sacram. disp. 4. qu. ultimâ p. 9. nu. 7. ibi: Quamobrem mihi mediâ viâ incedenti, ad peccatum mortale videtur requiri spatium trium quadrantum, vel etiam horæ: sicut enim spatium horæ sufficit ad contrahendum mortale peccatum, quoties opera servilia in die Festo exercentur; ita si quis per horam post meridiem non perficiat Missam, non videtur à mortali excusandus, præcisâ justâ causâ. Ob justam verò causam Missæ celebratio potest ad longius tempus protendi.

Tertia Bonacinæ.

Quarta opinio est Sylvii in 3. parte qu. 83. art. 2. ubi sic habet: Qui ex causa itinerantium, aut simili paulò post meridiem celebraret, non graviter esset arguendus, immo ne arguendus quidem si horæ spatium non excederet, ac omnis offensio abesset.

Quarta Sylvii.

Ecce rursum quot capita tot sententiæ. Quare? Quia moralitas illa pendet à prudenti judicio. Si non vis errare, placeat tibi nostra Conclusio, nisi consuetudo latiùs illos terminos interpretetur, sicuti teste Lugone suprà nu. 41. videtur interpretari terminum meridianum; idque quia olim terminus ille non erat, immo Missa dicebatur post meridiem; & aliquando post Nonam: postea verò, quia hora fortasse prandii cœpit anteponi, & minùs patienter sustinebatur jejunium, cœpit etiam

275. Quinta Auctoris.

etiam anteponi hora celebrandi; aliquali tamen libertate retentâ, cùm non omnes ita tempestivè prandere vellent, & aliquando non possent, vel propter negotia, vel quòd ratione Festivitatis Officia longiùs protraherentur.

Sexta Navarri. Unde Navarrus in Manuali cap. 25. n. 85. Est etiam, inquit, communiter illicitum celebrare post præteritam notabiliter horam sextam, secundùm Joannem Andream, sed nostro judicio minùs bene. Tum, quia non est textus, neque ratio, quæ prohibeat jejuno, ubi sine scandalo potest, facere eam ante nonam. Tum, quia est oblatio & Sacrificium incruentum à Sacerdote in persona Christi oblatum, & idem quod eâ horâ ab ipsomet Christo fuit oblatum cruentum ..... & frequenter id feci, præsertim diebus Festis, ut ego & mei iter facientes, & post meridiem pervenientes ad loca intenta, satisfaceremus præcepto. Hucusque Navarrus.

276. Huic repugnat moderna consuetudo. Sed ei hodie ab aliis Theologis contradicitur; quia contraria consuetudo à Pio V. in Missali approbata, & à Clemente VIII. in Rubricis suprà stabilita, & communis sensus Fidelium, ac censura Prælatorum, qui illud non permitterent, sed punirent, nimis evidenter ostendunt jam illam veterem consuetudinem esse abrogatam.

Quod scitè intelligens Illustrissimus ac Reverendissimus Archiepiscopus Mechlinensis Andreas Creusen anno 1658. die 29. Novembris occasione impii abusûs inter Missarum celebrationes, confabulandi vel alias insolentias exercendi, ac scandala committendi, publico edicto strictè inhibuit omnibus Sacerdotibus, ne Missas suas inchoent post horam duodecimam meridianam, & omnibus Rectoribus Ecclesiarum, ne talem abusum sub quovis quæsito prætextu aut colore permittant.

277. Olim erat consuetudo celebrandi usque ad tertiam pomeridianam, Interim olim fuisse consuetudinem celebrandi usque ad horam nonam, id est, tertiam pomeridianam, non obscurè significat Doctor Subtilis 4. dist. 13. q. 2. n. 18. ubi sic discurrit de tempore celebrandæ Missæ: *Tertium principale, scilicet ex parte temporis breviter teneas, quod à principio diei usque ad nonam Missa congruè celebratur: non computando principium diei ab ascensu solis super horizontem nostrum: sed ab illa hora, ex qua radii solares illuminant hemisphærium nostrum, quod dicitur principium auroræ, & incipit secundùm Auctores in lib. de Crepusculis, quando sol est sub horizonte ad 10. vel 8. gradus, quorum ascensus non continet spatium ultra medietatem horæ, & quintam unius horæ, & ille terminus celebrandi tunc & non ante probatur de Consec. dist. 1.* Nocte sanctâ Nativitatis Missas celebrent Presbyteri, *& infrà eâdem dist. §. de ieiuniis:* In Sabbato sancto circa noctis initium Missarum solemnia sunt celebranda.

ut observat Scotus.

ex variis Canonibus.

Et ratio est; quia illa pars diei artificialis, quæ est post nonam Sabbati sancti, computatur cum nocte præcedente diem Dominicam. Vnde in Benedictione Cærei dicitur: Hæc nox est &c. *& etiam in oratione dicitur:* Deus qui hanc sacratissimam noctem.

Terminus autem celebrationis scilicet hora nona, colligitur ex consuetudine Ecclesiarum, & ille terminus maximè attingitur in diebus ieiuniorum, quando regulariter in Ecclesiis Collegiatis consuevit circa horam nonam Missa de ieiunio celebrari. Hactenus Doctor Subtilis.

278. Colligitur etiam ex Decreto Concilii Cabilonensis, quod refertur de Consec. dist. 1. can. 50. *Solent plures, qui se ieiunare putant, in Quadragesima, mox ut signum audierint ad horam nonam, comedere. Qui nullatenus ieiunare credendi sunt, si antè manducaverint, quàm vespertinum celebretur Officium. Concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemnibus, & vespertinis Officiis, & largitis eleëmosynis ad cibum accedendum est.*

Et quidem admittit Vasquez disp. 232. in hoc Canone *Horam nonam* accipiendam esse juxta primariam suam significationem pro tertia post meridiem: attamen Scotum, & alios Scholasticos similiter loquentes, existimat per *horam nonam* intellexisse, non horam diei ab ortu solis nonam, sed horam canonicam, quæ in diebus jejunii præmitti solet celebrationi Missæ conventualis. Vasquez. In quo per horam nonam intelligitur tertia pomeridiana; ut etiam quid Scotus.

Sed contrà; Scotus non tantùm loquitur de diebus jejunii, sed generaliter asserit: *A principio diei usque ad nonam Missa congruè celebratur*; quamvis in fine dicat: *Ille terminus maximè attingitur in diebus ieiuniorum*, propter scilicet consuetudinem, de qua loquitur Concilium Cabilonense.

279. Materia controversiæ est assumenda. Quidquid sit de veteri consuetudine, secundùm quam loquitur Doctor Subtilis, constat jam illam esse contrariâ consuetudine abrogatam. Hæc ergo attendi debet, & secundùm ipsam celebrationes nostræ sunt regulandæ, id est, absolutâ Missâ solemni, & horâ duodecimâ, nulla alia nisi paulò post potest inchoari.

Dico, *Absolutâ Missâ solemni*; quia si in diebus valde solemnibus, ut sæpè accidit, solemne Missæ Officium ante meridiem finiri nequeat, durante solemni Missâ, licitum existimat Vasquez suprà n. 37. sine ullo alio privilegio ex sola consuetudine Missas alias privatas inchoari.

280. Sententia Lugo. Atque hæc de termino meridiano, quem Lugo suprà num. 41. putat ex consuetudine habere majorem latitudinem, quàm terminum auroræ, idque quia aurora semper fuit præfixa: neque enim scimus unquam licuisse celebrare tempore nocturno nisi ex speciali privilegio, ob hanc rationem, ut notat Glossa in cap. *Nocte sanctâ* 48. de Consec. dist. 1. quia hoc Sacramentum ad tempus gratiæ pertinet, quod

Jam compositio.

quod per diem significatur, secundùm illud
Rom. 13. ad Romanos 13. v. 12. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.*

Similem congruentiam allegat Innocen-
Innoc. VIII. tius VIII. Bullâ: *Expoſcit tuæ devotionis ſinceritas* 5. apud Rodriguez ibi: *Proviſo quòd huiuſmodi conceſſione ante diem celebrandi, ſeu celebrari faciendi parcè utamini, quæ cùm in altaris officio immoletur Dominus noſter Dei Filius Ieſus Chriſtus, qui candor eſt lucis æternæ, congruit hoc non noctis tenebris fieri, ſed in luce.*

Cùm ergo ſemper illicitum fuerit celebrare nocturno tempore, hinc factum quòd aurora minùs moraliter acciperetur, quàm meridies, ad quem, cùm homines, ut ſuprà dictum eſt, ſponte ſuâ, & ob propriam commoditatem ſe induxerint, potuerunt ſibi illũ terminum ſtatuere cum aliqua majori latitudine.

In aliquibus regionibus ex conſuetudine per tres horas ante auroram celebratur in hyeme.

Interim tamen ſi de conſuetudine agitur, in partibus ſeptemtrionalibus, in quibus ſol multò ſeriùs oritur, praxis obtinuit, ut in hyeme tribus vel quatuor horis ante auroram celebretur: & meritò, ut ſcilicet operarii audiant Miſſam, antequam eant ad opera; multò enim ante ortum ſolis ad negotia iri ſolet, & quia alioquin breve haberent ſpatium celebrandi: quomodo in Belgio & vicinis Regionibus hâc in parte communi mori eſt derogatum.

281. An ſit peccatum mortale celebrare extra tempus præſcriptum.

Petes; an ſit peccatum mortale extra omnem latitudinem horum terminorum celebrare? Affirmant communiter Doctores; quoniam tranſgreſſio præcepti in materia gravi. Et verò quis inficiatur celebrare Miſſam eſſe materiam gravem? De præcepto autem cur dubites, cùm Rubricæ expreſsè id præſcribant?

Rubricæ aliæ directivæ, aliæ præceptivæ.

Fateor, Rubricarum aliæ ſunt præceptivæ, directivæ aliæ. Sed quid tum? Numquid hæc Rubrica ſolùm directiva? Omnes Rubricæ, inquit Tamburinus lib. 2. de Sacrificio Miſſæ cap. 5. §. 1. nu. 3. cum aliis, quos citat, ſunt ut tales directivæ, & ſolùm illæ cenſendæ ſunt præceptivæ, quæ continent, ſeu notant aliquid, quod aliàs ex jure, vel ex legitima conſuetudine graviter jubetur, vel ipſæ Rubricæ expreſsè ſub mortali præcipiunt.

Quæ cenſendæ præceptivæ.

Ratio hujus regulæ eſt; quia ex una parte Rubrica nihil aliud eſt, niſi mera quædam manuductio circa ea, quæ dicenda, faciendaque ſunt, rubro colore ſolita ſcribi; & ex alia, ſi aliunde etiam à conditore ipſarum Rubricarum, qui tandem eſt ſummus Pontifex, habeatur, quòd id, quod notatur, ſit de præcepto, non poteſt tale non eſſe.

282. Præſens Rubrica eſt præceptiva,

Ex quo quilibet debet inferre: ergo Rubrica de qua in præſenti agitur, non tantùm eſt directiva, ſed etiam præceptiva, ſcilicet ex legitima conſuetudine. Alioquin qui illam negaret, aſſerens introductam eſſe ex ignorantia, neſcio quomodo probaret peccatum mortale.

Et ut dicam, quod ſentio, eſtò celebratio Miſſæ ſit gravis materia, equidem quòd nocturno tempore, vel diurno celebretur Miſſa, ante, vel poſt meridiem, non ſatìs clarè video, quid tanti myſterii in eo lateat, ut propterea potuerit id præcipi vel prohiberi ſub peccato mortali. Attamen quoniam plus vident oculi, obligans ſub mortali ex conſuetudine. quàm oculus, libenter me ſubjicio univerſali judicio Doctorum; & ideo dico hanc Rubricam obligare ſub peccato mortali, non ex jure ſcripto (non enim aliud extat niſi Decretum Teleſphori Papæ relatum cap. *Nocte ſanctâ* de Conſec. diſt. 1. quod reliquis temporibus prohibet conſecrationem ante horam tertiam, id eſt, nonam ante meridianam; quod conſtat ampliùs non obligare) ſed ex mera conſuetudine.

Profectò niſi hic fuiſſet communis ſenſus Eccleſiæ, quid erat opus tot privilegiis ſive anticipandi horam celebrationis, ſive ſeriùs celebrandi, tot, inquam, quot hodie circumferuntur? Certè cauſa itineris, aut alia hujuſmodi utilitatis, vel pietatis facilè abſterſiſſet malitiam venialem ſine ſpeciali privilegio.

283. Qui in hac materia ſint privilegiati?

Si autem quæris, quæ ſint iſta privilegia, & qui privilegiati? Reſpondeo; primum locum inter privilegiatos obtinent Epiſcopi, qui itineris causâ, ut paſſim admittunt Doctores, poſſunt unâ horâ ante auroram celebrare: imò videntur diſpenſare poſſe in hac lege ex quacumque rationabili cauſa. Rogas ubi ſcriptum ſit? Reſpondent Doctores, introductum eſſe conſuetudine, & tacitâ Pontificis approbatione. Si Epiſcopi id poſſint, quidni etiam Prælati Regularium, qui habent poteſtatem quaſi Epiſcopalem? Non ambigo.

Qui poſſint diſpenſare.

Quod tamen non ſic intelligas velim, quaſi Epiſcopus, vel Prælatus Regularis poſſit concedere generale privilegium citiùs aut ſeriùs celebrandi; ſed ſolùm quòd in caſu particulari hìc & nunc poſſint tollere obligationem legis Pontificiæ, ſicut poſſunt diſpenſare in legibus Feſtorum, jejuniorum, & ſimilibus, in quibus neceſſitas diſpenſandi frequens eſt, & diſpenſatio ad ordinarium regimen neceſſaria; ideoque Prælatis ordinariis & immediatis à Pontifice cenſetur conceſſa. Porrò concedere privilegia generalia proprium eſt Summo Pontifici; quia nullatenus neceſſarium ad bonum regimen inferiorum Prælatorum.

284.

Dixi, *Ex rationabili cauſa*; quia illa generaliter requiritur ad licitam; imò ad validam diſpenſationem in lege Superioris, ut omnes docent in Tractatu de Legibus ubi de juſta cauſa diſpenſationis. Juſtam autem cauſam hìc judico, rationem alicujus momenti propter quam citiùs, vel ſeriùs debet quis celebrare, ut iter faciendum, infirma valetudo, ſtudium neceſſarium ad concionem, multitudo pœnitentium, particularis alicujus devotio, & his ſimilia, potiùs morali judicio, quàm certâ regulâ definienda.

Quæ ſint juſtæ cauſæ diſpenſandi.

Semper præ oculis habendum erit, debere intercedere aliquam necessitatem, non quidem maximam, cùm simus in re, quæ in nullius est præjudicium; nec verò modicam, cùm simus in re non levi. Unde non sufficit solùm ut commodiùs celebres, nec ex eo quòd tardiùs è lecto per segnitiem exurrexeris &c.

285. Varia sunt concessa Regularibus privilegia in hac materia.

De cætero varia in hac materia concesserunt Pontifices privilegia Regularibus. Primum est Gregorii XIII. concessum Presbyteris Societatis Jesu Bullâ: *Quanta in vinea Domini* 22. apud Rodriguez ibi: *Nec non Presbyteris Societatis huiusmodi, ut Missas per horam ante auroram, & infra horam post meridiem, itineris, vel alterius legitimi impedimenti causâ, de ipsius Everardi, & pro tempore existentis Præpositi Generalis, vel cuiusvis alterius ad id ab eo deputati licentiâ celebrare valeant, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium de speciali gratia indulgemus.*

Primum est Gregorii XIII.

Ubi nota id speciale esse Societati Jesu, ut non liceat Patribus uti privilegiis Pontificiis, nisi priùs à Præposito Generali fuerint ipsis communicata. Unde alii Mendicantes, qui participant prædictum privilegium vi communicationis privilegiorum, non indigent ad ejus usum speciali licentiâ sui Superioris, sed sine illa ex justa causa tribus horis ante ortum solis possunt celebrare; pro duabus enim utuntur jure communi, pro tertia autem privilegio.

286. Secundum est Alexandri VI,

Secundum privilegium est Alexandri VI. qui propter multitudinem confluentium ad Ecclesiam Monasterii B. Mariæ Montis Serrati Ordinis S. Benedicti, concessit Monachis illius Monasterii, & aliis Sacerdotibus, ut possent celebrare Missas in illa Ecclesia duabus horis immediatè post mediam noctem, Bullâ: *Sanè merita Religionis* 13. apud Rodriguez ibi: *Nos igitur .... huiusmodi supplicationibus inclinati, quod perpetuis futuris temporibus immediatè post duas horas, post mediam noctem, tam Abbas dicti Monasterii pro tempore existens per seipsum, quàm Monachos eiusdem Monasterii pro tempore existentes, ac quoscumque alios Presbyteros idoneos, sæculares vel Regulares, etiam undecumque ad dictum Monasterium venientes, quotiescumque eis & eorum quilibet videbitur in Ecclesia dicti Monasterii .... Missas celebrare & celebrari facere liberè & licitè valeant .... auctoritate Apostolicâ tenore præsentium perpetuò statuimus & ordinamus.*

quod est extensum per Clementem VIII.

Quod privilegium, ut notat Lugo disp. 20. nu. 27. sicut & alias facultates illius Conventûs, extendit ad totam Congregationem Clemens VIII. Bullâ: *Romanus Pontifex* 22. apud Rodriguez his verbis: *Et insuper ob singularem reformationem & observantiam in dicto Monasterio* (Montis Serrati) *& in illis prædictis, & de eius observantia institutam, & confirmatam, eosdem amplioribus favoribus condecorare volentes, omnia & singula privilegia, concessiones & indulta, gratias spirituales, tam Monasterio Beatæ Mariæ de Monte Serrato, quàm Congregationi Regularis Observantiæ S. Bernardi Ordinis Cisterciensis regnorum Hispaniæ, ac eorum Monasteriis, Domibus, Conventibus, Ecclesiis, Collegiis & piis locis concessa, ac quibus utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere quomodolibet possunt, quorum tenoribus præsentibus volumus pro expressis ac de verbo ad verbum inseriri, etiamsi talia sint, vel forent, quæ specialem & individuam requirerent mentionem, seu particularem insertionem prædictis, Monasterio S. Benedicti, ac aliis, & singulis de eius Observantia Monasteriis virorum, & mulierum ut eis uti, frui, & gaudere liberè & licitè possint, & valeant auctoritate & tenore prædictis concedimus & indulgemus, dummodò non sint revocata, & non adversentur Decretis Concilii Tridentini, & quatenus etiam sint in usu, illaq; omnia & singula eis, & eorum cuilibet eisdem auctoritate & tenore similiter perpetuò extendimus, eisq; communicamus.* Hactenus Pontifex.

Si dixeris; in aliis Monasteriis non militat eadem ratio, propter quam illud privilegium concessum fuit Ecclesiæ Monasterii Montis Serrati. Respondeo, Benedictini per communicationem participant privilegia Familiæ Cisterciensium Hispaniæ, ut patet ex verbis Clementis mox relatis; & Cistercienses illi participant privilegia Ordinis Sancti Hieronymi ex concessione Gregorii XIV. Bullâ: *Romanus Pontifex* 3. apud Rodriguez ibi: *Et insuper ob singularem reformationem & observantiam dictæ Congregationis in eisdem Monasteriis institutam & conservatam, eosdem amplioribus favoribus, condecorare volentes, omnia & singula privilegia, prærogativas, concessiones &c. tam eidem Cisterciensi .... quàm etiam S. Benedicti, ac quibuscumque aliis similium & dissimilium Ordinibus, & Religionibus, sub quibuscumq; Regulis, Constitutionibus aut Ordinationibus degentibus seu militantibus .... quomodolibet utuntur, potiuntur, gaudent, ac uti frui, potiri, & gaudere quomodolibet possunt .... uti, frui, & gaudere liberè & licitè possint & valeant, auctoritate & tenore prædictis concedimus, & indulgemus.*

287. Objectio. Respondeo.

Porrò Ordini Sancti Hieronymi concessit Pius IV. ut privilegia extenderentur ab uno Conventu ad alios omnes, etiam non existente in illis eâdem causâ. Ita refert Lugo suprà, penes quem sit fides. Ergo à primo ad ultimum, ii, qui participant privilegia dictæ Congregationis Benedictinorum, videntur habere illud privilegium, quamvis non existente eâdem, sed aliâ causâ, qualis est causa itineris, infirmitatis, & similis.

Cæterùm cùm illa facultas concessa Monachis Montis Serrati non sit absoluta, sed ad celebrandum in Ecclesia illius Monasterii, ut patet ex tenore verborum; alii Religiosi vi communicationis nec ipsi poterunt in quolibet loco celebrare illa horâ; sed solùm in Ecclesia sui Monasterii: communicatio enim non intelligitur cum majori ampliatione, quàm gratia principalis, quæ communicatur.

Tertium

288. Tertium privilegium est Gregorii XIII. qui anno secundo sui Pontificatûs concessit vivæ vocis oraculo Congregationi S. Justinæ, & consequenter Mendicantibus & participantibus cum ipsis, ut ejus Religiosi, dum sunt in itinere, possint celebrare ante auroram, & post mediam noctem. Ita refertur in Compendio Fratrum S. Hieronymi Hispa. & à Sorbo in Compendio Privil. Mendic. verb. *Missa* 3.

An autem hoc privilegium, utpote vivæ vocis oraculo concessum (utì & alia vivæ vocis oracula) revocatum sit à Gregorio XV. Bullâ *Romanus Pontifex* 27. apud Cherubinum, & novissimè ab Urbano VIII. Bullâ *Alias fel. recor.* 121. apud eundem Auctorem, nolim hìc contendere; quia difficultas communis est, & alia privilegia sufficiunt.

Portel. Putat autem Portel verb. *Missa* n. 3. illo die, quo Religiosi debent arripere iter, non posse illo uti, adhuc enim non sunt in itinere constituti. *Tamburinus.* At profectò, inquit Tamburinus lib. 1. c. 6. §. 4 n. 9. qui est in procinctu itinerandi, posset, meâ sententiâ, dici esse in itinere.

Quæstio de modo loquendi, de re dico ego, posse Religiosum uti illo privilegio, suppositò quòd non sit revocatû, quando iter arripiendum isto die exigit anticipationem, vel postpositionẽ Missæ; ad impedimentû enim quod iter præstat isto die, videtur Pontifex respexisse.

289. Quartum privilegium refertur in Compendio Privil. Mend. verb. *Missa* 2. concessum à Leone X. Fratribus Minoribus Observantiæ, *ut de licentia suorum Superiorum (quorum conscientiis remittit quomodo Fratres debeant uti gratiâ) possint celebrare illicò post matutinum, & post meridiem, præsertim diebus, quando est de audienda Missa præceptum, quando Fratres debent ambulare, seu quando de via veniunt, & non possunt ante meridiem applicare ad locum, ubi commodè possint Missam audire, vel honestè celebrare. De æstate verò quando noctes sunt breviores, etiam ante Matutinum Chori, vel infrà, dummodo celebraturus illud per se aut cum socio dixerit, prout consuetum est in Ordine cum Prima.* Hucusque Compendium.

Circa quam concessionem notat Rodriguez tom. 1. qq. Reg. qu. 43. art. 3. quòd si illa verba, *De licentia suorum Superiorum*, intelligantur de licentia dispensativa, nullum continent privilegium, cùm Prælati Regulares Superiores (id est, Generales, vel Provinciales) possint in hoc dispensare, & etiam inferiores (id est, Guardiani) in absentia Superiorum. Hæc ille. Ergo per licentiam intelligenda est simplex facultas, ubi & quando non est sufficiens alioquin ratio dispensandi.

Præterea in eo quod additur, *Quòd possint Fratres facere Sacrum ante Matutinum Chori*, advertit idem Auctor, quòd hæc concessio loquitur quando Matutinum recitatur in Choro post mediam noctem tertiâ videlicet horâ propter aliquam urgentem necessitatem. Nam tunc Fratres possunt celebrare post mediam noctem ante finitum Matutinum in Choro. Bruno Chassaing de Privil. Regul. parte 2. tract. 8. cap. 1. propositione 2. sic intelligit, quòd possunt dici Missæ ante Matutinum Chori omnino persolutum; potest enim illicò post mediam noctem Prima recitari, & statim inchoari Missa dum Matutinum persolvitur. Prior expositio videtur melior, ne alioquin idem sint, *Ante Matutinum*, &, *Infra Matutinum*, quæ tamen Pontifex ponit tamquam distincta.

Notat 3. Rodriguez circa illa verba: *Dummodo celebraturus* &c. quòd dicti Fratres possunt celebrare juxta istam concessionem, etiam non recitato Matutino, neque Primâ. Ea enim verba non ponuntur, ut conditio limitativa & restrictiva superioris concessionis: sed ponuntur, ut quid secundùm jus commune requisitum. Secundùm enim opinionem communem & antiquam non possunt Sacerdotes facere Sacrum, sine eo, quòd priùs recitent ad minus Matutinũ. At cùm hodie defendatur contraria opinio, ut infrà videbimus, quidni valeat privilegium, & liceat, non recitato Matutino, præsertim instante aliquâ necessitate?

Quartò advertendum est cum Portel verb. *Missa* in Additione n. 6. quòd licèt ibi dicat Pontifex: *Præsertim diebus quando Missa* &c. vox, *Præsertim*, non tollit, quin possint Fratres uti illâ concessione etiam aliis diebus; nam illa particula cùm sit implicativa, implicat, seu notat idem esse in aliis casibus, licèt in illo, in quem ipsa particula cadit, fortior militet ratio, ut cum aliis docet Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 39. n. 6. Et praxis sic observat.

Idque patet ex alio privilegio Leonis in Compend. Mend. verb. *Iejunium* §. 5. ubi concessit Minoritis, *Maximè prædicatoribus*, ut in die jejunii possint comedere unâ horâ ante horam consuetam: licèt enim ibi dicat, *Maximè prædicatoribus*, particula, *Maximè*, non tollit quin illud possint facere cæteri Fratres non prædicatores, ut usus & praxis observat.

Procul dubio si Papa solis prædicatoribus vel solis itinerantibus id voluisset concedere, hanc voluntatẽ expressisset, utendo particulâ exclusivâ, *Solùm*, vel non poneretur in principio, quòd concederetur Fratribus, utì ponitur in priori concessione pro Missa diluculò dicenda; nam postulatio oblata Leoni X. sic incipit: *Tota familia petit ut sibi concedatur, præsertim* &c.

292. Quintum privilegium est Innocentii VIII. quo sine ulla limitatione concedit Fratribus Augustinensibus, & per consequens omnibus, qui cum illis participant, quòd expleto matutinali Officio, etiam ante lucis auroram, possint Missas celebrare: Bulla 2. apud Confectium ibi: *Ac vobis, & pro tempore existentibus vestrarum Congregationum Fratribus, ut expleto matutino Officio, etiam ante lucis auroram, Missam celebrare positis, dictâ auctoritate concedimus.*

Sextum & ultimum est Eugenii IV.

Sextum & ultimum privilegium erit Eugenii IV. qui concessit Congregationi S. Justinæ, & consequenter aliis participantibus, ut licitè possent celebrare in itinere, vel ex causa justa usque ad nonam inclusivè: Bulla *Etsi quasslibet personas* 11. apud Rodriguez ibi: *Quodq; huiusmodi Congregationis Sacerdotes in itinere constituti, aut alias ad hoc causâ subsistente, ante diem & usque ad nonam inclusivè celebrare valeant, tenore præsentium duximus concedendum.* Quæ sit autem alia justa causa, facilè colliges ex supradictis de justa causa dispensationis, scilicet ratio alicujus momenti, propter quam non potest quis debitâ alioquin horâ celebrare.

293. An dicta privilegia sint revocata per Tridentinum,

Plura alia privilegia inveniuntur in Comp. Privil. Mend. sed hæc nobis sufficient. Inquiro autem, an sint revocata per Concilium Tridentinum sess. 22. in Decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ ibi: *Postremò ne superstitioni locus aliquis detur, edicto & pœnis propositis caveant* (Episcopi) *ne Sacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent* &c.

aut Constitutionem Pianam?

Aut certè per Constitutionem Pii V editam anno 1566. quartam apud Cherubinum, & incipit: *Sanctissimus in Christo Pater*, ubi §. 2. ita legitur: *Hâc præsenti perpetuò valiturâ Constitutione quibusvis Prælatis, Capitulis, Clericis, Fratribus, aliisq; Superioribus & personis earumdem Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, & aliorum piorum locorum in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub indignationis suæ, ac perpetuæ suspensionis à divinis pœna districtius inhibens, ne deinceps Missas vespertino tempore, huiusmodi licentiarum, & facultatum, aut alio quovis prætextu celebrare, vel celebrari facere præsumant, ac mandans locorum Ordinariis, ut eandem præsentem Constitutionem sub prædictis & aliis sibi benevisis pœnis per quoscumque Prælatos, Capitula, Clericos, Fratres, Superiores & personas huiusmodi inviolabiliter observari faciant, contradictores quoslibet auctoritate Apostolicâ compescendo.*

Sequitur derogatio contrariorum: *Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, nec non Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, domorum, & aliorum locorum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque & indultis, & litteris Apostolicis* &c. *quibus omnibus ipsa Sanctitas sua illorum tenores pro expressis habens, specialiter & expresse derogavit, illaq; quoad præmissa, cassavit penitus & annulavit cæterisq; contrariis quibuscumque.* Quid ampliùs posset dici?

294. Multi probabiliter negant,

Nihilominus neque per hanc Bullam, neque per Tridentinum revocata esse privilegia suprà commemorata, solitò citiùs aut seriùs celebrandi, constans est multorum opinio. De Tridentino patet; quia tantùm alloquitur Ordinarios, præcipiens eis, ut non obstantibus dictis privilegiis, compellant Regulares in foro exteriori censuris & aliis remediis opportunis, ne facultatibus in ipsis privilegiis concessis utantur. Sic enim ait Concilium in fine illius Decreti. *Hæc igitur omnia, quæ summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinariis, ita proponentur, ut non solùm ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi à Sacrosancta Synodo potestate, ac etiam ut delegati Sedis Apostolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, statuant; atque ad ea inviolatè servanda censuris Ecclesiasticis, aliisq; pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant; non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque,* Ergo quousque Episcopi non compellunt, non est cur Religiosi scrupulis agitentur. Ita censet Rodriguez tomo 1. qq. Regul. q. 43. art. 5. cum consilio, ut ait, doctissimorum virorum. Rodriguez.

Addit; quòd multa in dictis privilegiis conceduntur Religiosis, quæ jure communi conceduntur. Quas concessiones, inquit, cùm sint juris communis, non puto velle Concilium Tridentinũ ab Episcopis impediri, cùm ad ipsorum derogationẽ expressa mentio eorũ fieri debuit, prout à communiter scribentibus traditur.

295. ut non censeatur derogare, neque dictis privilegiis.

Quinimo video ab aliquibus dubitari, an etiam illæ concessiones, quæ sunt mera privilegia, possint vi illius Decreti ab Episcopis impediri. Dicunt enim verba illius clausulæ derogatoriæ commodè posse referri ad verba immediate præcedentia, videlicet: *Atque ad ea inviolatè servanda censuris Ecclesiasticis* &c. *fidelem populum compellant*, quæ tantùm respiciunt sæculares. Quis enim dixerit Religiosos venire nomine *fidelis populi*, præsertim in odiosis, in quibus nequidem veniunt intelligendi nomine Clericorum? Ergo per illam clausulã Tridentini non datur potestas Episcopis revocandi privilegia Regulariũ, cùm de illis non fiat mentio, quæ facienda esset, sed tantùm privilegia sæcularium.

Quidquid sit de potestate revocandi, certum arbitror non esse universaliter illa privilegia revocata. Quamdiu autem non revocantur, nemo dicere potest, Religiosos celebrare Missas horis indebitis, quando celebrant eo tempore, quo ex facultate Superioris licet.

296. Illam derogationem Constitutionis Pii V. non esse universaliter revocatam, patet.

Quantùm ad Constitutionem Pii V. in illa, ut manifestum est ex verbis, solùm agitur de Missis vespertinis; neque de omnibus, sed illis dumtaxat, quæ mediâ nocte, seu in aurora Nativitatis, ac de manè Resurrectionis & forsan aliarum Festivitatum juxta ritum S. Romanæ Ecclesiæ fieri consueverant, quas prohibet fieri Pontifex ad solis occasum.

Colligo ex §. 1. sequentis tenoris: *Sanctissimus in Christo Pater & Dominus noster Dominus Pius divinâ providentiâ Papa quintus. Ad cuius notitiam pervenit, quòd nonnulli Cathedralium, etiam forsan Metropolitanarum, Collegiatarum, & aliarum Ecclesiarum, nec non Monasteriorum, Conventuum, Domorum & aliorum piorum locorum sæcularium & diversorum Ordinum, ac Militiarum Regularium Prælati, Capitula, Clerici, Fratres, aliiq; Superiores & personæ, antiquum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum*

in statutis Missarum celebrandarum temporibus pervertere satagentes, diversas licentias & facultates, Missas, quæ mediâ nocte, seu in aurora Nativitatis, ac de mane Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, & forsan aliarum Festivitatum iuxta prædictum ritum celebrari consueverant, de serò etiam forsan circa solis occasum vigiliæ Festivitatum earumdem in suis Ecclesiis & Capellis celebrandi seu celebrari faciendi, ab Apostolica Sede vel eius Legatu, ac etiam maiori Pœnitentiario pro tempore existente variis pratextibus impetraverunt, illisq; iam pridem utuntur. Hoc ab antiquo Catholicæ Ecclesiæ instituto, Sanctorumq; Patrum decretis deviare considerans &c.

quæ explicatur primò de certis quibusdam Missis.

Ergo non loquitur Pontifex de omnibus Missis, quæ ex vero privilegio celebrantur, vel ante auroram, vel post meridiem (nam certum est antiquis temporibus Missas fuisse celebratas usque ad horam nonam, id est, tertiam pomeridianam) sed tantùm de Missis quarumdam Festivitatum, quæ ab aliquibus, prætextu diversarum licentiarum celebrabantur in vigiliis earumdem Festivitatum vespertino tempore, quam celebrationem, & non aliam Pontifex ibi videtur prohibere.

297. Alia explicatio Rodriguez.

Aliter respondet Rodriguez suprà art. 2. videlicet dictam Constitutionem loqui, quando aliquis regulariter, & absque causa facit Sacrum dici, aut celebrat horâ vespertinâ; non verò quando in aliquo casu raro, ut v. g. si Festum est solemne, & Missa publica & Concio non finitur usque ad nonam, vel duas horas post meridiem. Tunc enim posset Missa privata inchoari post finitum solemne Festum, maximè ne aliqua pars populi Missâ privetur juxta quamdam doctrinam celebrem Leonis Papæ Epistolâ 81. ad Dioscorum cap. 2. & refertur de Consecratione dist. 1. cap. 51. *Necesse est*, inquit, *ut quædam populi pars suâ devotione privetur, si unius tantùm Missæ more servato, Sacrificium offerre non possint, nisi qui primâ diei parte convenerint.*

Addit Rodriguez: idemque permitti potest, si ratione itineris occurrat necessitas celebrandi in die Festo paulò post meridiem, dummodò unius horæ tempus non excedatur. Quod significat Soto, & favet consuetudo. Imò & Regula Missalis, in qua non sine causa additur illa particula, *Communiter*. Tit. de defect. cap. 10. n. 1. ibi: *Si non sit tempus debitum celebrandi, quod est ab aurora usque ad meridiem communiter.* Ac denique quia res morales, quando non sunt per legem omnino declaratæ ac limitatæ, non possunt indivisibiliter definiri; præsertim quia hæc res non est tam gravis, vel necessaria ad honestatem, ut intercedente rationabili causâ non possit prædicto modo ampliari. Hæc ille.

298. Cui non obstant verba Pii V.

Nec obstant verba Pii V. ibi: *Quocumque prætextu.* Hæc enim verba debent explicari juxta subjectam materiam, scilicet ut intelligantur de prætextu licentiarum & privilegiorum Pontificum concedentium, ut post meridiem horâ tertiâ liceat celebrare, non autem quando interveniente causâ id fit. Interveniente enim causâ etiam modò horâ tertiâ post meridiem licet Sacrum perficere, quando scilicet ante meridiem inchoatur. Quod in solemni funere Regum practicatum fuisse Salmanticæ testatur Henriquez dicens, fuisse finitam tunc Missam horâ quartâ post meridiem. *Quocumque prætextu.*

Et pro hac explicatione facit verbum dictæ Constitutionis Pii V. ibi: *Præsumant.* Quod verbum dictat tantùm prohiberi in ea audaciam & temeritatem juxta communem. Ex quo verbo colligitur dictam Constitutionem loqui de his, qui prætextu licentiarum & privilegiorum revocatorum celebrant, aut celebrari faciunt; non autem de his, qui prætextu alicujus legitimæ causæ hoc aliquando & rarò faciunt. Sic explicat hanc Constitutionem Rodriguez, sed sine necessitate; immo fortè veritate, ut patet ex priori explicatione, quæ nobis magis placet, utpote magis conformis textui, & communi sensui Doctorum.

Hoc certum tene, tam juxta antiquum, quàm modernum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum, licitum esse omnibus Sacerdotibus celebrare Missam mediâ nocte Nativitatis Domini, saltem primam; nam de secunda & tertia plures dubitant, immo contrarium censent, quos vide apud Dianam de Celeb. Miss. resol. 35. 299. An in nocte Nativitatis liceat celebrare tres Missas? *Dianæ*

Fundantur primò, quia in Rubricis Missalis ita statuitur, ibi: *Ad secundam Missam in aurora: Ad tertiam in die Nativitatis Domini.*

Secundum fundamentum sumitur ex Canone, in quo dicitur: *Communicantes & noctem sacratissimam celebrantes* pro prima Missa; pro aliis verò duabus dicitur: *Et diem sacratissimam celebrantes.*

Nihilominus opposita sententia & probabilior est, & in praxi tutissima; & licèt aliud argumentum non haberemus nisi praxim, etiam maximè timoratorum, illa abundè sufficeret. 300. Affirmat praxis etiam timoratorum,

Probatur autem insuper ex cap. 48. de Consecrat. dist. 1. ubi Telesphorus Papa VII. à Petro, sic scribit: *Nocte sanctâ Nativitatis Domini Salvatoris Missas celebrent Presbyteri, & hymnum Angelicum in illis solemniter decantent, quoniam & eâdem nocte ab Angelis, Pastoribus nuntiatus est.* Ecce sine exceptione aliqua concedit Presbyteris nocte sanctâ Nativitatis Dominicæ celebrare Missas: ubi autem jus non distinguit, nec nos sine ratione debemus distinguere. & favet Decretum Telesphori Papæ.

Unde ad primum fundamentum contrariæ opinionis Respondeo, Rubricas Missalis debere intelligi de Missis Conventualibus & solemnibus, ut prima Missa de nocte post mediam noctem dicatur, secunda in aurora, tertia verò in pleno die. 301. Satisfit argumentis contrariæ sententiæ.

Ad secundum dico, in divinis Officiis verba non semper referri ad tempus in quo dicuntur; sed ad illud, pro quo repræsentando, & commemorando dicuntur. Quis enim ambigit primam Missam posse fieri in pleno die? Et tamen in illa debebit Sacerdos dicere: *Communicantes & noctem sacratissimam celebrantes.* Sanè nisi licitum foret tres Missas de nocte celebrare, vix omnes Sacerdotes possent tres Missas celebrare propter angustiam temporis matutini. Nihil ergo in hac re scrupulizandum.

302. Licet noctu celebrare ad communicandum infirmum. *Victoria.*

Utì etiam quando necessaria esset celebratio nocturna ad communicandum infirmum, aliòquin sine Viatico moriturus, quidquid aliqui in contrarium dixerint, timentes ubi non erat timor. Ita docet Victoria in Summa de Eucharistia n. 97. in fine dicens: Credo quòd in casibus, propter quos licet bis celebrare, licebit etiam nocte celebrare, ut propter infirmos. Idem censent Paludanus, Antoninus, Gabriel, Vasquez, Layman, Diana & alii, quos citat & sequitur Dicastillo disp. 4. n. 73. Et hactenus de requisitis ex parte temporis ad licitam celebrationem Missarum.

Paludanus. Antoninus. Gabriel. Vasquez. Layman. Diana. Dicastillo.

303. Quid requiratur ad celebrationem ex parte loci? *Scotus.*

Sequitur dicendum de requisitis ex parte loci: *Ubi* (inquit Scotus 4. dist. 13. q. 2. n. 13.) *possumus distinguere locum, in locum propriè dictum, & in vas quod est locus mobilis secundum Aristotelem 4. Physicorum.*

Rogas illum, quid requiratur ad licitam celebrationem Missarum ex parte loci propriè dicti? Illico respondet: *Ex parte loci propriè dicti requiritur amotio impedimenti, scilicet quòd locus non sit interdictus, & requiritur appositio convenientis dispositionis, scilicet quòd sit sanctificatus.* Erit igitur

CONCLUSIO XVIII.

Peccat mortaliter, qui celebrat in loco interdicto.

304. Locus non potest esse interdictus sive à jure sive ab homine

HÆc Conclusio non modicâ indiget expositione. Sciendum ergo quòd locus potest esse interdictus à judice, vel à jure. A judice quidem per censuram Ecclesiasticam, à jure autem si est pollutus sanguine vel semine.

sub gravi culpa.

Esse autem peccatum mortale celebrare in loco interdicto, omnes consentiunt. *Primum* (inquit Scotus suprà) *est simpliciter necessarium, quia celebrans in loco interdicto facit contra prohibitionem Ecclesiæ* (Quis dubitat an in re gravi?) *& per consequens non ordinatè.*

305. An etiam sub pœna irregularitatis? *Scotus.*

Nec hoc tantùm; sed si interdictum sit à judice latum contra locum, celebrans ibidem scienter, dicitur incurrere irregularitatem. *Quod probatur* (inquit Doctor suprà n. 17.) *per unum Capitulum extra de Clerico excommunicato, ministrante* Postulastis: *Et per aliud Capitulum extra de excess. Prælat.* Tanta. *Sed utrumque Capitulum bene posset exponi, cùm neutrum est iuris expositivum, neque etiam iuris positivi responsivum, ut appareat talem sic celebrantem irregularem esse simpliciter, quod patet exponendo verba illa, quæ ponderantur de privatione Beneficiorum, & hujusmodi.*

Explicatur cap. 3. de Cler. excom.

Sed quæ illa verba? *Quæsivistis præterea* (inquit Innoc. III. cap. *Postulastis* 7.) *qualiter puniri debeant Clerici, Monachi vel Moniales Ecclesiarum Conventualium, qui post latam interdicti sententiam in locis suppositis interdicto præsumpserunt hactenus, & adhuc etiam non verentur divina Officia celebrare, quamvis propter hoc sint excommunicationis vinculo innodati. Ad hoc breviter respondemus, quòd clerici, qui talia præsumpserunt, sunt Ecclesiasticis Beneficiis spoliandi. Monachi verò, vel Moniales in arctioribus Monasteriis ad peragendam pœnitentiam detrudendi.*

Ecce apertè loquitur Pontifex de privatione Beneficiorum; eaque non latæ sententiæ, sed dumtaxat ferendæ. Similiter cap. *Tanta* 18. ibi: *Tam præsumptores eosdem, quàm omnes alios, qui præfatum interdictum damnabiliter violarunt, suspendas auctoritate Apostolicâ ab Officio, & Beneficio.* Constat autem omnem irregularitatem ferri à jure, & non ab homine. Cùm ergo prædicti textus non loquantur nisi de pœna infligenda à judice, optimè possunt, imò debent exponi, non de propriè dicta irregularitate, sed de privatione dumtaxat Beneficiorum, & hujusmodi.

Tanta de cap. 18. de Elect. Franc. de privatione beneficiorum.

Interim alium invenio textum, in quo clarissimè exprimitur irregularitas: est autem cap. *Is qui* 18. de Sententia excommunicationis in 6. ibi: *Is verò qui scienter in loco celebrat supposito interdicto* (*nisi super hoc privilegiatus existat, aut à jure sit concessum eidem*) *irregularitatem incurrit: à qua nequit per alium, quàm per Romanum Pontificem liberari, & adeò efficitur ineligibilis* (ad Beneficia vel Officia) *quòd nec ad eligendum cum aliis debebit admitti.* Nihil illustrius dici poterat.

Qui celebrans in loco suppositio interdicto incurrat irregularitatem, cap. 18. de sent. excom. in 6.

Sed numquid eidem pœnæ subjacet qui celebrat in locis interdictis à jure? *In talibus* (inquit Scotus suprà) *si notorium est, peccatum est celebrare: non tamen incurritur irregularitas; quia non est à jure inflicta expressè.* Imò contrarium expressè decernitur cap. *Is qui* mox allegato, ibi: *Is qui in Ecclesia sanguinis aut seminis effusione polluta ..... scienter celebrare præsumit: licet hoc temerariè agat, irregularitatis tamen* (*cùm id non sit expressum in iure*) *laqueum non incurrit.*

Sententia Scoti communis.

Prosequitur Doctor: *Si autem privatum est, nec peccatum est; quia nec reconciliatione indiget. Extra de Adulteriis, Significasti;* in quo Ecclesia reconciliari præcipitur propter hoc, quod mulier adultera publicè coram judice suum adulterium detexit. Ex quo à contrario sensu videtur sequi, ut quando crimen non fuerit publicum, non sit opus reconciliatione, quæ est communis sententia, ut infrà videbimus.

Cate-

307. Polluitur Ecclesia primò sanguinis aut seminis effusione. *cap. fin. de Consec. Eccl. cap. un. eod. in 6.*

Cæterùm variis modis polluitur Ecclesia: primò seminis vel sanguinis effusione, extra de Consec. Ecclesiæ cap. fin. ibi: *Si Ecclesia non consecrata cuiuscumque fuerit semine aut sanguinis effusione polluta* &c. Et cap. unico eodem titulo in 6. ibi: *Si Ecclesiam pollui sanguinis aut seminis effusione contingat* &c.

Copiosa debet esse sanguinis effusio,

Porrò per sanguinis effusionem intelligunt Doctores communiter, non quamlibet emissionem sanguinis, sed copiosam, ortam ex percussione seu læsione corporis, quæ sit peccatum mortale; non tantùm in ratione læsionis honoris, sed præcisè in ratione læsionis corporalis.

cujus causa fuerit posita intra Ecclesiam.

Sufficit autem, quòd læsio facta sit intrà Ecclesiam, estò sanguis effusus Ecclesiæ pavimentum aut parietem non attingat, sed in vase recipiatur; quia non violatur Ecclesia propter contactum sanguinis, sed propter violentam effusionem in illa factam. Ampliùs dico: sufficit læsionem esse factam intrà Ecclesiam, estò sanguis extra illam emittatur, ut patebit ex dicendis infrà de homicidio. Similiter indifferens est sive lædens sit intrà, sive extra Ecclesiam, modò læsus sit intrà.

308. Sacristiæ nomine Ecclesiæ non intelliguntur.

Rogas, an Sacristia veniat nomine Ecclesiæ? Respondeo negativè, neque turris aut campanile, neque cubicula Ecclesiæ adjuncta, aut etiam cavernæ vel cryptæ sub Ecclesia, nisi fortè sint deputatæ ad celebrandam Missam, aut deserviant ad sepeliendum: & eadem est ratio illius spatii, quod est intrà primum & secundum tectum; utì etiam parietum Ecclesiæ à parte exteriori.

sed totum illud spatium quod pertinet ad interius Ecclesiæ corpus. *Sanchez.*

Breviter, id spatium dicitur esse intrà Ecclesiam, quod pertinet ad interius Ecclesiæ corpus à tecto interiori usque ad pavimentum, & à summa Ara usque ad parietem oppositum. Ita Sanchez lib. 9. de Matrimonio disp. 15. n. 25. Quare, inquit ille, Capellæ constitutæ intrà Ecclesiam comprehenduntur, quia unum corpus cum ipsa efficiunt. Igitur non violatur Ecclesia per effusionem sanguinis in Sacristia, supra tectum Ecclesiæ, in turri &c. vide Sanchium à n. 26. usque ad 36.

309. Quæ effusionis sanguinis, similis est ratio effusionis seminis,

Quæ autem effusionis sanguinis, similis est ratio effusionis seminis, ut videlicet illa sola polluat Ecclesiam, quæ sit intrà Ecclesiam, idque in vigilia, & est peccatum mortale; requiritur etiam quòd sit copiosa non unius tantùm, vel alterius guttæ; licèt enim illa modica effusio sit peccatum mortale intemperantiæ ex parte interioris voluntatis; tamen in ratione exterioris injuriæ loci sacri, non est res adeò gravis, neque injuria (ut ita dicam) consummata.

scilicet ut sit copiosa,

Accedat significatio nominis *Effusio*, quo jura communiter utuntur. Glossa in cap. *Cum illorum* 32. de Sententia excommunicationis verb. *Effusionem sanguinis: Verbum*, inquit, *effusionis abundantiam significat.* Probat ex Divo Hieronymo in Comment. ad cap. 3. Malachiæ & refertur 16. q. 1. cap. 65. ibi: *Verbum effusionis nomen largitatis ostendit.* Et ita vidi declarari, inquit Portel verb. *Ecclesia* in Additione n. 3. in facti contingentia à quodam Vicario Generali Episcopi.

S. Hieron.

Portel.

Cùmque secundùm commune dictum, ubi jura non distinguunt, nec nos distinguere debeamus, & jura indistinctè loquantur de quacumque effusione, ut patet ex cap. fin. suprà ibi: *Cuiuscumque fuerit semine* &c. & ex cap. 20. de Consec. dist. 1. (quod est Concilii Nicæni) ibi: *Ecclesiis semel Deo consecratis, non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cuiuscumque semine pollutæ fuerint.* Existimo planè indifferens esse sive effusio seminis facta fuerit per pollutionem, sive per fornicationem, sive per copulam conjugalem, dummodò, ut dixi, fuerit peccatum mortale.

310. *cap. fin. de Consec. Eccles. Nicænum,* & mortaliter peccaminosa.

Unde quando conjuges ex necessitate diu manere coguntur intrà templum, idque cum periculo incontinentiæ, sicut tunc actus conjugalis ibi exercitus non est mortalis, sic nec violat locum sacrum. Ratio est: quia hæc violatio est pœnalis; pœna autem supponit culpam, cùmque sit pœna gravis, supponit gravem culpam.

311. Secundò polluitur per homicidium *Innoc. III.*

Secundò polluitur per homicidium: extra de Consecrat. Eccles. cap. 4. ubi Innocentius III. in hæc verba scribit Compostellano Archiepiscopo: *Proposuisti quòd venientibus ad Ecclesiam Sancti Iacobi ex diversis Regionibus peregrinis, & volentibus alys ab alys per contentiones & rixas altaris de nocte custodiam vendicare, homicidia contingunt fieri interdum, & aliquando vulnera inferuntur:* & infrà: *Fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd manente Ecclesiâ & Altari, ipsa reconciliari poterit per aquam cum vino & cinere benedictam.*

Iginus,

Idem colligitur ex Igino Papa, & refertur de Consecrat. dist. 1. cap. 19. ibi: *Si homicidio & adulterio Ecclesia violata fuerit, diligentissimè expurgetur, & denùò consecretur.*

312. mortaliter peccaminosum.

Et verò licèt jura ista universaliter loquantur de quocumque homicidio; equidem quoniam pœnalia sunt, intelligi debent de homicidio mortaliter peccaminoso, si non contra justitiam, saltem contra reverentiam debitam loco sacro, ut si aliquis occidat seipsum, aut judex reo bene merito supplicium inferat in Ecclesia; quamquam in ultimo casu aliquando peccetur etiam contra justitiam: quippe persona in tali loco existens, quantumcumque merita sit pœnam mortis, quamdiu ibi manet, exempta est à jurisdictione judicis sæcularis, non quidem secundùm se, sed ratione loci, cui principaliter & per se data est exemptio, quatenus tamen continet ac tuetur ad se confugientes, & ideo exemptio in illos redundat.

Sicuti

Sicuti si Hispanus delinquens transferat se intrà terminos Galliæ, exemptus est à jurisdictione judicum Hispaniæ quoad actum exercendum in illo territorio, non quidem ratione sui, sed loci, in quo moratur; *Cùm extra territorium ius dicenti non pareatur impunè*, ut dicitur cap. 2. de Const. in 6.

cap. 2. de Constit. in 6.

Nonne qui est in Ecclesia potest sine culpa se defendere? Ergo ille, qui aggreditur, non facit actum jurisdictionis, sed injuriæ; quia non potest dari bellum utrimque materialiter justum.

313. Perinde est sive homicidium fiat cum sanguinis effusione, sive non.

Perinde autem est sive fiat homicidium cum sanguinis effusione, sive alio modo. Et idem putarem dicendum de vulnere, si fieri posset ut aliquis graviter vulneraretur sine sanguinis effusione. Ratio; quia in cap. *Proposuisti* fit mentio homicidii & vulneris, & nulla effusionis sanguinis.

An sufficiat quòd causa mortis sit posita intrà Ecclesiam?

Porrò, an sufficiat quòd intrà Ecclesiam posita fuerit tota causa mortis, tametsi mors tantummodò sequatur in domo vulnerati, affirmant multi, consequenter ad id, quod suprà dicebamus, satis esse, si causa effusionis sanguinis detur intrà Ecclesiam, estò effusio sequatur extra illam; parùm enim refert ad irreverentiam, ob quam Ecclesia violata censetur, quòd anima vel sanguis ibi, vel extra emittatur.

Probatur sufficere,

Quod probo; quia si extra Ecclesiam lethaliter vulneraretur, estò moreretur intrà Ecclesiam, non propterea illa pollueretur; quia tota actio injuriosa, &, ut sic loquamur, homicidium extra Ecclesiam positum fuit.

& confirmatur à simili.

Confirmo à simili; ratione delicti, v. g. homicidii, incurrit censuram, qui in Episcopatu, ubi censura lata est, vulnus lethale inflixit, licèt mors in Episcopatu non censurante secuta sit: quamvis enim secundùm communissimam sententiam non incurratur censura, nisi propter delictum consummatum; tamen non videtur necessarium, ut ultimus effectus delicti ponatur in territorio censurante, quando quoad actionem etiam externam intrà territorium consummatum fuit, quantùm scilicet fuit ex parte delinquentis.

Unde licèt vulnerans non esset subditus, nisi ratione delicti, posset conveniri in illo territorio, ubi deliquit; non solùm de vulnere inflicto, sed etiam de homicidio commisso: imò in alio territorio conveniri non poterit; quia ibi non deliquit: ergo à fortiori per ipsammet legem convenitur, & punitur.

314. Vt incurratur censura, debet expectari effectus consummatus.

Sanè licèt ut incurratur censura, expectari debeat effectus consummatus talis actionis; equidem quòd effectus sequatur in hoc vel illo loco, valde accidentarium est, & extrinsecum, ideoque minimè considerandum in ordine ad censuram, quæ est pœna inflicta propter culpam, quæ quanta quanta est, commissa fuit in territorio censurante, ut supponitur; nam mors, supposito vulnere, sequitur naturaliter.

Unde si Episcopus prohibeat sub censura, ne quis triticum extra Diœcesim ferat, quamvis quoad terminum extrinsecum illa deportatio consummetur extra territorium, tamen exportans incurrit censuram; quia quoad actionem externam & effectum intrinsecum consummatur in territorio. Similiter actio mea homicidii, qui alterum lethaliter vulneravi, quoad effectum intrinsecum consummata fuit in territorio censurante, quamvis non quoad extrinsecum & ultimum: quid ergo mirum si incurrero censuram?

Aliud foret, si ex loco, ubi excommunicatio lata est, sagitta v. g. occiderem existentem in loco, ubi non est censura, quia nimirum actio externa occisiva non fuit consummata intrà territorium censurans, sed in alio non censurante; in casu autem proposito tota actio externa moraliter occisiva perfecta fuit in hoc territorio, pro quo lata erat censura.

Aliud foret, si ex loco, ubi excommunicatio lata est, sagitta v. g. occiderem existentem in loco, ubi non est censura, quia nimirum actio externa occisiva non fuit consummata intrà territorium censurans, sed in alio non censurante; in casu autem proposito tota actio externa moraliter occisiva perfecta fuit in hoc territorio, pro quo lata erat censura.

Et verò quid vetat argumentari à censura ad violationem Ecclesiæ? Igitur probabiliùs videtur Ecclesiam violari, quando tota actio externa occisiva ponitur intrà Ecclesiam, estò mors, quæ est effectus naturalis & ultimus, sequatur extra eam: sic tamen ut non antè Ecclesia censeatur polluta, quàm mors fuerit realiter secuta.

315. Videtur argumentum à censura ad violationem Ecclesiæ non facile.

Plus dico, Ecclesia polluitur, si existens extra Ecclesiam, sagittâ v. g. trajiciat & occidat hominem existentem in Ecclesia: quamquam enim non ponatur in tali casu tota actio occisiva intrà Ecclesiam, tota, inquam, totaliter, nam incepta fuit extra Ecclesiam, equidem intrà eam fuit consummata intrinsecè, ita ut verum sit dicere, intrà Ecclesiam fuit commissum homicidium.

Quid si existens extra Ecclesiam, sagittâ v. g. trajiciat & occidat hominem existentem in Ecclesia: quamquam enim non ponatur in tali casu tota actio occisiva intrà Ecclesiam, tota, inquam, totaliter, nam incepta fuit extra Ecclesiam, equidem intrà eam fuit consummata intrinsecè, ita ut verum sit dicere, intrà Ecclesiam fuit commissum homicidium.

Si inferas: ergo cùm vulnerans est intrà Ecclesiam, & sagittâ vel sclopo perimit hominem extra eam existentem, pariter polluetur Ecclesia.

316. Vtrum talem Ecclesia violari non sit?

Respondetur Negando Consequentiam. Assigno disparitatem; quòd licèt actio occisiva incepta sit intrà Ecclesiam, haud equidem intrinsecè consummata; cui tamen consummationi, & non inceptioni operis Ecclesia annexuit talem pœnam, ut constat ex communi sensu Doctorum.

Alioquin ut statuitur leg. 1. Cod. Ubi de criminibus agi oporteat: *Quæstiones eorum criminum, quæ legibus, aut extra ordinem coërcentur, ubi commissa, vel inchoata sunt, vel ubi reperiuntur, qui rei esse prohibentur criminis, perfici debere satis notum est.* Et ideo in tali casu daretur locus prævention inter judices, Ecclesiasticum & Civilem, possetque capi in ipsa Ecclesia à Ministris Ecclesiasticis propter sacrilegam occisionem.

l. 1. Cod. de crimin.

Forrè

Occidens in Ecclesia non gaudet immunitate.

Fortè etiam à Ministris justitiæ sæcularis, non obstante immunitate Ecclesiasticâ, quæ non suffragatur his, qui in Ecclesiis occidunt, vel mutilant, cap. fin. de Immunit. Eccles. ibi: *Cùm in eo, in quo delinquit, puniri quis debeat, & frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem: Mandamus quatenus publicè nuntietis tales* (puta qui homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, vel earum cœmiteriis committere non verentur,) *non debere gaudere immunitatis privilegio, quo faciunt se indignos.*

cap. fin. de Immun. Eccles.

317. Quod Suarez extendit ad mandantem homicidium.

Quod Suarez to. 1. de Relig. tract. 2. lib. 3. cap. 11. n. 7. intelligit etiam de illo, qui existens in Ecclesia mandat famulo, ut occidat alium extra Ecclesiam; nam ille etiam peccat graviter in Ecclesia, & de illo dici potest quòd puniri debeat in eo, in quo delinquit, frustraque legis, id est, Ecclesiæ auxilium invocet, qui committit in legem, id est, peccat contra reverentiam Ecclesiæ debitam.

Et verò si non debet gaudere immunitatis privilegio, qui servo mandat occisionem, estò adhuc in potestate ipsius sit mandatum revocare & occisionem impedire, quantò minùs qui ponit talem causam mortis intrà Ecclesiam, v. g. explosionem bombardæ, quâ posità non est ampliùs in potestate ipsius impedire homicidium extra Ecclesiam?

Bonacina. Covarruvias. Tavormitanus.

Ita præter Suarium, probabiliter censent Covarruvias, Panormitanus, & alii, quos citat Bonacina circa primum Decalogi præceptum disput. 3. q. 7. punct. 6. §. 2. n. 3. quamquam ipse cum aliis doceat oppositum.

318. Oppositâ sententiâ probatur.

Probat autem; tum quia hic dici potest veritus committere homicidium in Ecclesia, cùm non percusserit existentem in Ecclesia: tum quia privatio immunitatis non incurritur nisi in casibus in jure expressis; in jure autem non exprimitur actio homicidii vel mutilationis inchoata in Ecclesia, vel quodlibet sacrilegium in Ecclesia commissum; sed homicidia & mutilationes membrorum in Ecclesiis, cap. fin. suprà ibi: *Nonnulli impunitatem suorum excessuum per defensionem Ecclesiæ obtinere sperantes, homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis vel earum cœmiteriis committere non verentur.* Quæ connotant actum perfectum & completum in Ecclesiis.

cap. fin. de Immun. Eccles.

Tum denique, quia cùm versemur in materia pœnali & odiosa, utpote libertati delinquentium, & immunitati Ecclesiasticæ contraria, non videtur facienda extensio ad actum inchoatum homicidii in Ecclesia; alioquin etiam dicendum videretur eum privari immunitate, qui subortâ in Ecclesia contentione, aut evaginato ense in Ecclesia, insecutus est adversarium, & extra Ecclesiam interemit.

Quidquid sit de hac controversia, quæ utrimque probabilis est: equidem, ut dixi, communis sensus Doctorum est, per hujusmodi actus tantùm inchoatos, Ecclesiam non pollui, à quo sensu non est facilè recedendum; præsertim in his quæ pendent ex voluntate Ecclesiæ.

319. Tertiò polluitur per sepulturam excommunicati.

Tertiò polluitur Ecclesia per sepulturam excommunicati, ut colligitur ex cap. *Consuluisti* 7. de Consec. Eccles. ibi: *Cœmiteria in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconciliandæ erunt asperſione aquæ solemniter benedictæ: sicut in Dedicationibus Ecclesiarum fieri consuevit.*

cap. 7. de Consec. Eccles.

non toleratis.

Quod hodie propter Extravagantem, *Ad evitanda*, intelligendum est de excommunicatis non toleratis, id est, publicè denuntiatis aut notoriis Clerici percussoribus: argumento cap. *Sacris* 12. de Sepulturis, ibi: *Sacris est Canonibus institutum, ut quibus non communicavimus vivis, non communicemus defunctis, & ut careant Ecclesiasticâ sepulturâ, qui priùs erant ab Ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint.* Ergo à contrario sensu, quibus communicavimus vivis, etiam communicamus defunctis. Atqui excommunicatis toleratis vivis communicavimus per illam Extravagantem: ergo etiam communicamus defunctis.

cap. 12. de Sepult.

Unde non est opus quærere alias vias, v. g. consensum Episcopi, aut aliquam necessitatem, ad excusandum eos, qui in his Regionibus celebrant in locis, ubi sepulti sunt Hæretici; quoniam tales Hæretici non sunt publicè denuntiati.

320. Quartò violatur per sepulturam hominis pagani, *Aurelianense.*

Quartò violatur Ecclesia per sepulturam hominis pagani, seu non baptizati, juxta illud Concilii Aurelianensis cap. 3. & refertur de Consec. dist. 1. cap. 27. *Ecclesiam in qua paganus sepultus est, non liceat consecrare, neque Missas in ea celebrare, sed ejectari foràs, & mundari oportet.*

Agrippinense.

Idem ex Concilio Agrippinensi refertur c. 28. eâd. his verbis: *Ecclesiam, in qua mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet; sed si apta videtur ad consecrandum, indè evulsis corporibus, & rasis parietibus, vel tignis eius loci, reædificetur: sed si hæc consecrata antè fuerit, Missas in ea celebrare licet: si tamen fideles fuerint, qui in ea sepulti sunt.* Ergo à contrario sensu si fuerint infideles, non licet.

ex utero nati.

Infideles, inquam, nati ex utero; nam infans adhuc in utero matris existens, potest cum matre sepeliri, cum qua censetur quid unum. Suppono infantem esse mortuum; alioquin si vivus sepeliretur, per homicidium quod verè ibi committeretur (quia quoad hoc non reputatur filius pars matris, ut patet à simili in aborsu) pollueretur Ecclesia.

Notandum autem, si casu contingat cor- 321.

etiam sine culpa sepulti, si postea innotuerit.

pus pagani (eadem est ratio corporis excommunicati) in Ecclesia sepeliri sine culpa, puta propter invincibilem ignorantiam paganismi, dum postea publicè constat fuisse paganum, Ecclesia manet polluta ex vi corporis ibi sepulti, ita ut non possit in ea celebrari, donec indè auferatur corpus, & Ecclesia purificetur; quia jura ita disponunt, nec attendunt quo casu, aut quo scelere corpus tale in Ecclesia sepultum sit, sed tantùm quòd ibi sit.

cap. 12. de Sepult.

Colligitur manifestè ex cap. *Sacris* 12. de Sepulturis ibi: *Unde si contingat interdum, quòd vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum vel alio casu in cœmiterio Ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum corporibus discerni poterunt, exhumari debent, & procul ab Ecclesiasticæ sepultura tractari.*

322. Disparitas quoad hoc inter sepulturam & homicidium.

Rogas, quare jura sic disponant in casu sepulturæ; secùs verò in casu homicidii, & sanguinis aut seminis effusione? Respondeo, stat pro ratione principali voluntas; quis enim ambigere potest, quin jura si voluissent, statuissent Ecclesiam violari per homicidium tantùm materialiter malum, quod v. g. fieret ab amente? Attamen non voluisse, colligitur ex communi sensu Doctorum.

Interim ratio aliqua disparitatis est, quòd homicidium, utì etiam sanguinis & seminis effusio sint actiones quasi transeuntes, ex vi quarum Ecclesia relinquitur polluta, tametsi nullum effectum physicum in ea reliquerint: porrò sepultura pagani aut excommunicati polluit Ecclesiam per effectum ex vi ipsius sepulturæ in ea permanentem, id est, per corpus excommunicati vel infidelis in tali loco sepulti, quem effectum principaliter attendunt jura, utpote contra reverentiam debitam loco sacro, etiam quando causa ejus fuit per accidens inculpabilis.

Dico, *Per accidens*; quia in hoc omnes conveniunt, quòd per se loquendo, & ex genere suo, grave peccatum sacrilegii sit, aliquid agere in Ecclesia, quo ipsa Ecclesia polluitur; quia id non fit sine gravi irreverentia loci sacri. Non enim, ut aliqui volunt, hi actus sacrilegi sunt, quia polluunt Ecclesiam; sed ideo polluunt, quia sacrilegi sunt.

323. Non censetur locus pollutus in aliquo casu, nisi publicè constiterit.

De cætero commune est omnibus prædictis casibus, quòd non censeatur locus sacer pollutus, nisi de eis publicè constet vel evidentiâ facti, vel confessione auctoris, vel simili ratione. Quamdiu ergo res manet occulta, ita ut non nisi pauci sciant, *nec peccatum est* in eo celebrare, ut suprà dicebat Scotus, *quia nec reconciliatione indiget*; erit autem peccatum, quia & reconciliatione indigebit, quandocumque factum fuerit publicum. Ita communiter Doctores.

Spontaneâ enim confessione (scribit Stephanus V. Humberto Episcopo Moguntino, & refertur 2. q. 5. cap. 20.) *vel testium approbatione publicata delicta, habito pra oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro iudicare. Occulta verò & incognita illi sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum.* Ibidem ex cap. 20. 9.

Potest etiam hæc sententia probari ex ipsa ratione consecrationis aut reconciliationis. Nam Ecclesia (ut docet Divus Thomas 3. parte q. 83. art. 3.) non ideo consecratur, quia illa sit gratiæ susceptiva; sed quia ex ipsa consecratione assequitur quamdam spiritualem virtutem, per quam apta redditur divino cultui, ut videlicet homines devotionem aliquam ex loci reverentia suscipiant, per quam paratiores fiant ad Divina peragenda. & mirac. D. Thom.

Consimiliter reconciliatio post violationem non ideo fit, quia templum illud materiale sit capax peccati, sed ad hunc finem potissimùm dirigitur, ut indè intelligat peccator, qui templum cordis sui, juxta Pauli doctrinam, per peccatum violavit, quantâ diligentiâ illud mundare & purificare debeat, ut Deum in illo dignè suscipere possit. Hoc autem intelligere non potest, quando peccatum est occultum.

324. Probabile Ecclesia consecratio destructionem pro majori parte.

Tandem alio modo perditur consecratio Ecclesiæ, puta quando parietes Ecclesiæ pro majori parte simul destruuntur; illis enim cùm sint potissima pars Ecclesiæ, potissimùm adhæret consecratio, ut notat Glossa in cap. *Ecclesiis* 20. de Consec. dist. 1. verbo *Exustæ*, dicens: *Consecratio Ecclesiæ maximè consistit in unctione exteriori, & coniunctione & dispositione lapidum.*

non vult falsa.

Unde corruente tecto parietibus illæsis Ecclesia non reconsecratur, ut expresè statuit Alexander III. cap. *Ligneis* 6. de Consecratione Ecclesiæ. *Ligneis ædificijs Ecclesia vestra casu consumptis, parietibus tamen illæsis, ac mensa principalis Altaris in sua extremitate modicam passa fracturam.* Et infrà: *Inquisitioni tuæ taliter duximus respondendum, quòd cùm parietes in sua integritate permanserint, & tabula Altaris mota, vel enormiter læsa non fuerit: ob causam prædictam nec Ecclesia nec Altare debet denuò consecrari.* Ratio; quia adhuc manet moraliter eadem Ecclesia, etsi novum tectum illis parietibus imponatur; secùs quando simul majori parte parietum destructa, novi parietes exstruuntur. Alex. III.

325. aut pauciorum pro minori parte;

Dixi signanter, *Pro maiori parte*; aliàs secùs, ut notat Glossa in cap. *Ecclesiis* 20. de Consec. dist. 1. ubi cùm generaliter dictum esset: *Ecclesiis semel Deo consecratis, non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exustæ* &c. Verb. *Exustæ* limitat Glossa dicens: *Pro maiori parte, aliàs secùs*, argumento ff. de Contrah. empt. leg. *Domum* 57. sequentis tenoris: *Domum emi, cùm eam & ego, & venditor combustam ignoraremus. Nerva, Sabinus, Cassius*

Glossa in cap. Consecrationis

Cassius nihil venisse: quamvis area maneat, pecuniamq; solutam condici posse aiunt: sed si pars domus maneret: Neratius ait hanc quæstionem multum interesse, quanta pars domûs incendio consumpta permaneat, ut si quidem amplior domûs pars exusta est, non compellatur emptor perficere emptionem: sed etiam quod fortè solutum ab eo est, repetet: sin verò vel dimidia pars, vel minor quàm dimidia exusta fuerit: tunc coarctandus est emptor venditionem adimplere &c.

326. Adjectione enim minoris eadem est moraliter Ecclesia,

Ratio limitationis jam est assignata; quia post reparationem hujusmodi Ecclesiæ per adjectionem minoris partis, censetur moraliter eadem Ecclesia, & illa minor pars adjecta, ipsâ accessione ad majorem partem, consecrationem à toto corpore censetur acquirere; quoniam major pars trahit ad se minorem, ut patet in vestibus sacris, quæ reparantur, de quibus latiùs infrà.

major namque pars trahit ad se minorem. Innoc. III.

Et docet Innocentius III. cap. 3. *Quod in dubijs* de Consecratione Ecclesiæ ibi: *Nec negamus quin oleum non consecratum, consecrato posit oleo commisceri.* Ubi Glossa: *Et dicetur totum consecratum. Nota quòd ea quæ Religiosis adhærent, religiosa censentur. Item magis dignum trahit ad se minus dignum. Et ita Sacrum tamquam dignius trahit ad se non Sacrum.*

Intellige, quando major pars est sacra; alioquin si gutta olei consecrati infunderetur integro vasi olei non consecrati, totum esset consecratum, quod constat esse falsissimum. Quantò minùs major pars murorum de novo exstructa, sanctificabitur per minorem partem, quæ remanserat, cùm hæc ipsa per destructionem majoris partis simul, jam pridem consecrationem suam amiserit?

327. Requiritur destructio simultanea.

Dico, *simul*; quia si successivè parietes destructi fuerint, & successivè reparati, ita ut numquam major pars simul destructa fuerit, probabile est talem Ecclesiam non esse reconsecrandam, sed sufficere aspersionem aquæ benedictæ: argumento can. *De Fabrica* 24. de Consec. dist. 1. qui sic habet: *De Fabrica verò cuiuslibet Ecclesiæ, si diruta fuerit, instauranda* (id est, reconsecranda) *& si in eo loco consecrationis solemnitas debeat iterari, in quo sanctuaria* (id est, Reliquiæ Sanctorum, vel Altaria) *non fuerint* (quia indè erant ablatæ Reliquiæ) *nihil judicamus officere, si per eam minimè aqua exorcizata* (aliàs, benedicta) *iactetur: quia consecrationem cuiuslibet Ecclesiæ, in qua Spiritus Sancti arrha* (aliàs, Ara) *non ponitur, celebritatem sumus tantùm esse Missarum: & ideo si qua Sanctorum basilica à fundamentis etiam fuerit innovata, sine Altaris motione, sine aliqua dubitatione, cùm in ea fuerit Missarum solemnitas celebrata, totius consecrationis sanctificatio implebitur.* Ita Vigilius Papa ad Eutherium Epistolâ 1. cap. 4.

Probatur ex cap. 24. de Consec. dist. 1.

Ubi verb. *Innovata* sic inquit Glossa: *Hoc intelligit H. cùm non simul, sed successivè parietes destructi sunt, & successivè reparati, tunc enim Ecclesia intelligitur eadem*, argumento leg. *Proponebatur* 76. ff. de Judiciis. Glossa.

Exscribo totam legem, quia notabilis est: *Proponebatur ex his Iudicibus, qui in eandem rem dati essent, nonnullos causâ auditâ excusatos esse, inq; eorum locum alios esse sumptos, & quærebatur singulorum Iudicum mutatio* (successiva) *eandem rem, an aliud iudicium fecisset.* 328. & leg. 76. ff. de Judiciis.

Respondi non modò si unus aut alter; sed etsi omnes Iudices (successivè) *mutati essent, tamen & rem eandem & iudicium idem, quod antea fuisset, permanere; neque in hoc solùm evenire, ut partibus commutatis eadem res esse existimaretur, sed & in multis cæteris rebus: nam & legionem eandem haberi, ex qua multi decessissent, quorum in locum alij subiecti essent: & populum eumdem hoc tempore putari, qui abhinc centum annis fuissent, cùm ex illis nemo nunc viveret: itemq; navem, si adeò sæpè refecta esset, ut nulla tabula eadem permaneret, quæ non nova fuisset, nihilominus eandem navem esse existimari.*

Quòd si quis putaret, partibus commutatis aliam rem fieri, fore ut ex eius ratione nos ipsi non idem essemus, qui abhinc anno fuissemus, propterea quod, ut Philosophi dicerent, ex quibus particulis minimis constituremus, hæ quotidie ex nostro corpore decederent, aliæq; extrinsecùs in earum locum accederent. Quapropter cuius rei species eadem consisteret, rem quoque eandem esse existimari. Hucusque Alphenus lib. 6. Digestorum.

Quidni ergo eadem Ecclesia esse existimetur, cujus parietes successivè destructi sunt, & successivè reparati? Eadem esse meritò existimatur. Unde huic Glossæ alia consonat de Consecratione Ecclesiæ cap. *Proposuisti* 3. verb. *Reconciliari*, dicens: *Si tota Ecclesia simul destructa fuerit, vel maior pars, debet iterum consecrari: si successivè, sufficit aspersio aquæ benedictæ.*

329. Quid si parietes successivè destruantur ex intentione renovandi Ecclesiam.

Dubitant hìc aliqui, an præfata doctrina vera sit, quando ex intentione renovandi totam Ecclesiam, unus paries post alium successivè destruitur; & ratio dubitandi sumitur, tum ex ratione; quia nimirum in re morali, qualis hæc est, multum valet intentio operantis; tum ex jure civili leg. *Qui res* 98. §. *Aream* ff. de Solut. & liber. ubi censetur eadem navis si tota dissolvatur animo iterum eam compingendi ex eisdem tabulis; secùs si intentione tabulas alteri rei applicandi, estò postmodùm mutatâ intentione rursus compingantur. lex 98. ff. de Solut.

Idem disertis verbis statuitur leg. *Inter stipulantem* 83. §. *Sacram* in fine ff. de verb. oblig. Ratio dubitandi desumitur ex jure civili.

lex 83 ff. de verb. oblig. *Navis* (inquit Paulus lib. 72. ad Edictum) *si hâc mente resoluta est, ut in alium usum tabulæ destinarentur: licèt mutato consilio perficiatur: tamen & perempta prior navis, & hæc alia dicenda est: sed si reficiendæ navis causâ omnes tabulæ refixæ sint, nondum intercidisse navis videtur, & compositis rursus eadem esse incipit.* Ergo similiter si Ecclesia per partes successivè destruatur, animo eam totaliter renovandi, sic renovata non erit eadem Ecclesia, adeoque iterum consecranda.

330. Respondetur. Respondeo Negando primam Consequentiam. Disparitas patebit ex dicendis conclus. 28. Interim ex hac ipsa lege videtur posse ostendi, quòd omnino non valeat argumentum à navi ad domum vel Ecclesiam; sic enim verbis præallegatis continuò subjungitur: *Sicuti de ædibus deposita tigna, eâ mente ut reponantur, ædium sunt, sed si usque ad aream deposita sit, licèt eadem materia restituatur, alia erit.* Ubi Glossa verb. *Mente: Aliam*, inquit, *dissimilitudinem assignat in navi ab homine: in quo non distinguitur quâ mente manumittatur. Ad cuius dissimilitudinis probationem inducit de domo; & hæc est:* Sicuti de ædibus *&c. non tamen est omnino simile ei quod dicit de navi, id quod inducit de domo: unde subjicit:* Sed si usque *&c.*

Ergo similiter si Ecclesia usque ad aream deposita sit, sive animo restituendi, sive animo aliis usibus ligna & lapides applicandi, licèt eadem materia restituatur, alia erit; ideoque reconsecranda: sin verò numquam simul usque ad aream, id est, major ejus pars deposita sit, quâcumque intentione partes minores successivè deponantur, semper manebit eadem, ut patet ex lege: *Proponebatur*; adeoque minimè reconsecranda erit, utpote cujus omnes partes, si non primò, saltem per adjunctionem ad rem sacram & ipsæ consecratæ existant.

331. Quid intentio operetur in re morali. Multùm quidem valet intentio in re morali; sed non sufficit, nisi simul adsit res ipsa seu effectus externus physicus, ex quo resultet effectus moralis. Nonne qui intendit percutere Clericum, si in re ipsa percutit laicum, nonne, inquam, quia intendit, ideo incurrit pœnam excommunicationis? Constat quòd non, idque quia effectus ille moralis, censuram intelligo, non resultat, nisi effectus ipse physicus sequatur. An fortè Ecclesia ideo erit execrata, quia aliquis voluit eam explosis v. g. tormentis totam simul diruere, si tamen verè non diruit? Certè intentio diruentis non execrat, sed ipsa dirutio.

Pari ergo ratione tametsi quispiam cum intentione totam Ecclesiam renovandi, & quasi novam ædificandi, unum murum post alium, intermisso Missæ officio, quasi continuatis operis dejiciat, ut reparet, si tamen non diruit omnes muros simul, aut majorem illorum partem, ita ut in aliqua duratione sit verum dicere; nunc tota Ecclesia, vel major pars illius diruta est, valde probabilis est sententia Navarri in Summa c. 27. n. 258. quem alii sequuntur, quòd scilicet tunc illa Ecclesia quasi nova, &, ut ita dicam, physicè diversa, non sit iterum consecranda, quia moraliter censetur eadem. Navarr.

Certè, inquit Lugo disp. 20. n. 65. Civitas eadem dicitur esse, licèt ex animo eam pulchriorem reddendi, paulatim & successivè omnes ædes destruantur, & reædificentur: item idem Collegium manet, si eodem modo paulatim reficiatur, cur non dicetur moraliter manere eadem Ecclesia? Argumentum à simili. Lug.

Magìs dubitat Eminentissimus ibidem n. 66. an maneat consecratio Ecclesiæ, si ex quatuor parietibus duo ferè corruant: duo solùm parietes & aliquid ampliùs sine tecto, non videntur venire nomine Ecclesiæ: ergo sicuti Alba, Calix, & similia sacra instrumenta, de quibus infrà agemus, amittunt suam consecrationem; quando ita immutantur ex parte formæ artificialis, ut deinceps non mereantur nomen Albæ, vel Calicis; consimiliter amittet Ecclesia suam consecrationem, quando ita ex parte formæ artificialis immutatur, ut imposterùm non mereatur nomen Ecclesiæ. Quis autem dixerit illos duos parietes, & aliquid plùs sine tecto, quis, inquam, vocaverit eos, Ecclesiam? 332. An maneat consecratio Ecclesiæ, si ex quatuor parietibus duo ferè corruant.

Idcirco existimo tantam murorum partem debere simul permanere, quæ simpliciter appellari possit Ecclesia; id est, tantam partem, quæ licèt ægrè, absolutè tamen deservire potest ad usus sacros, quod moraliter judicandum erit. Et fortè Navarrus, aliique Doctores nihil aliud voluerunt, intelligentes per majorem partem murorum, illam partem, quæ sola meretur nomen Ecclesiæ, utpote adhuc conveniens usibus sacris. Atque hæc satìs superque de pollutione & execratione Ecclesiæ.

Dubitas porrò, quomodo Ecclesia polluta reconciliari debeat? Consule jus Canonicum, quod de Ecclesia solùm benedicta sic statuit cap. fin. de Consecratione Ecclesiæ ibi: *Si Ecclesia non consecrata cumsque fuerit semine, aut sanguinis effusione polluta, aquâ protinus exorcizata lavetur, ne divina laudis organa suspendantur.* Ubi Glossa verb. *Lavetur* interrogat: *Sed per quem debet lavari?* Respondet: *Videtur quòd per Episcopum tantùm sup. cap. proximo. In hoc casu satìs credo quòd per simplicem Sacerdotem posset lavari: quia si intellexisset Papa, quòd per Episcopum deberet lavari, illud dixisset, sicut dixit in proximo capitulo precedenti, cùm Papa in utroque capitulo scribat eidem: & quia dixit*, Aqua exorcizata lavetur, *qua fit per simplicem Sacerdotem.* Hæc Glossa. 333. Modus reconciliandi Ecclesiam benedictam. cap. fin. de Consecr. Eccl.

Et sanè

Et sanè si Ecclesia primò possit benedici per simplicem Sacerdotem cum aqua à se benedicta, quidni etiam polluta reconciliari? Quòd autem possit benedici, saltem de licentia Episcopi, patet manifestè ex Rituali Romano Tit. de Benedictionibus §. Ritus benedicendi novam Ecclesiam, ubi sic lego: *Sacerdos novam Ecclesiam de licentia Episcopi benedicturus, ut in ea divinum Sacrificium Missæ ritè celebretur* &c. *Rit. Rom.*

Quin imò expressis verbis idem docet de reconciliatione §. Ritus reconciliandi Ecclesiam, si nondum erat ab Episcopo consecrata: *Ecclesiæ*, inquit, *violatæ reconciliatio per Sacerdotem ab Episcopo delegatum fiat hoc modo. Altare Ecclesiæ omnino nudetur, provideaturq; ut Ecclesia possit liberè circumiri tam exteriùs, quam interiùs, si fieri potest, paretur vasculum cum aqua benedicta* (Quis ambigit an à simplici Sacerdote, cùm alia communiter in Ecclesia non habeatur, nec benedictionis Episcopalis ulla fiat mentio?) *& aspergillum de herba hyssopo factum* &c.

Et quamquam ibi videatur requiri delegatio Episcopi, id tamen intelligendum est ex quadam decentia; nam, ut advertit Lugo disp. 20. nu. 61. de jure communi posset fieri absque alia licentia, servatis interim, quæ à Rituali ibi præscribuntur.

334. Modus reconciliandi Ecclesiam consecratam.

Si verò Ecclesia erat consecrata, sicut à solo Episcopo primò potuit consecrari, ita, secluso privilegio, ab ipso solo poterit reconciliari, aquâ ab aliquo Episcopo benedictâ cum vino & cinere, argumento cap. *Proposuisti* 4. de Consec. Eccles. ibi: *Fraternitati tuæ taliter respondemus, quòd manente Ecclesiâ & Altari* (loquitur de Ecclesia Sancti Jacobi Compostellana, quæ indubiè erat consecrata) *ipsa reconciliari poterit per aquam cum vino & cinere benedictam.* *Cap. 4. de Consec. Eccles.*

Et cap. *Aqua* 9. eodem. *Aquâ per Episcopum benedictâ Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum non negamus, per Sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes: non obstante consuetudine provinciæ Bracharensis, quæ dicenda est potiùs corruptela.* Rationem attexit Pontifex: *Quia licèt Episcopus committere valeat, quæ iurisdictionis existunt; quæ Ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradûs Clericis demandare.* *Cap. 9. eod.*

335. An Episcopus possit hanc reconciliationem committere simplici Sacerdoti?

Non reticeam tamen, inquit Diana parte 2. tract. 1. Miscel. resol. 6. contrariam sententiam extare apud Victoriam in Sum. Sacrat. n. 99. ubi sic ait: De modo quo Ecclesia debet reconciliari postquam fuerit polluta, distinguendum est, quia vel Ecclesia est consecrata, vel dedicata, & sic à solo Episcopo est reconcilianda, nisi ipse vel Papa alteri commiserit; potest autem committi Clerico cuicumque. *Victoria.*

Emanuel Sa. Eandem sententiam invenio apud Emanuelem Sa post correctionem Magistri sacri Palatii verb. *Ecclesia* nu. 20. & noviſſimè apud Sylvium 3. parte q. 83. art. 3. ubi testatur de praxi dicens: Quibusdam videtur quòd Ecclesia priùs consecrata, sic debeat reconciliari per Episcopum, ut is vices suas nequeat simplici Sacerdoti committere; contrarium tamen tradunt Victoria, & Sa. Credimus esse in praxi, non contradicente, sed potiùs concedente Pontifice. Hæc ille. Quæ quidem sententia, an sit probabilis, judicent viri docti; videtur enim contra caput *Aqua* ubi suprà, & consuetudo & praxis, quam adfert Sylvius, est in contrarium. Hucusque Diana. *Sylvius.* *Diana.*

336. Sententia Sylvii.

Sed quantùm ad Sylvium, in tertia editione loco citato sic inquit: Ex cap. *Aqua* Tit. de Consec. Eccles. quod est Gregorii IX. apparet quòd Ecclesia priùs consecrata sic debeat reconciliari per Episcopum, ut is vices suas nequeat simplici Sacerdoti committere. Et quamvis contrarium (quod tradunt Victoria, & Emanuel Sa) sit in praxi, satìs tamen videtur certum; quòd illa praxis non sit ex voluntate summi Pontificis, vel introducta, vel recepta. Sic enim loquitur Gregorius dicto cap. *Aqua: Aqua per Episcopum* &c. & in Romano Rituali jussu Pauli V. edito sic legitur: *Simplex Sacerdos tantùm ex privilegio Sedis Apostolicæ potest Ecclesiam ab Episcopo consecratam reconciliare.*

Atque his consentit Navarrus lib. 3. consil. Tit. de Consec. Eccles. consil. 1. & in Enchiridio cap. 27. n. 256. Et hanc sententiam, quòd quando Ecclesia, quæ per Episcopum fuit consecrata, est violata, non possit per simplicem Presbyterum reconciliari, nequidem de Episcopi licentia, sicut secuti fuimus in secunda hujus operis editione, ita etiam nunc in tertia sequimur. Hucusque Sylvius. *Navarrus.*

337. Ex privilegio Pontificis potest Sacerdos simplex Ecclesiam reconciliare;

Cæterùm neminì dubium esse potest, quin id liceat simplici Sacerdoti ex privilegio Pontificio, quale datum fuit à Leone X. Prælatis Ordinis Minorum, & per consequens aliorum Ordinum, qui participant in privilegiis, Bullâ: *Religionis honestas*, sexta apud Rodriguez ibi: *Nos igitur* &c. *vobis & pro tempore existentibus Generalibus & Provincialibus, ac Guardianis, & Fratribus vestri Ordinis, & Observantiæ, ut Ecclesias, Oratoria, & loca quæcumque recepta & recipienda, nondum consecratas, seu consecrata, factâ priùs requisitione ab Episcopis locorum, eisq; recusantibus, vel negligentibus per quemlibet alium Catholicum Episcopum gratiam & communionem dictæ Sedis habentem, consecrari facere, ac vestri Ordinis Generalibus, & Provincialibus Vicariis, & Custodibus ac Guardianis pro tempore existentibus præfatis, ut omnia & singula eiusdem Ordinis & Observantiæ Ecclesias, Cœmeteria, ac Capitula & Oratoria ubicumque existentia, receptas & recepta, & recipiendas seu recipienda ac paramenta & ornamenta, ac alia quæcumque ad divinum cultum, & usum vestrum necessaria, in quibus Chrisma non intervenit, pro vestro usu tantùm so-*

quale legitur concessum Prælatis Ordinis Minorum à Leone X.

lemni benedictione, ac etiam per Vicarium seu Guardianos, aut alios ad hoc à vobis in vestris Capitulis Generalibus providè deputandis benedicere, ac illos seu illa; & eorum quolibet sanguinis seu seminis effusione seu aliàs quomodolibet pollutas seu polluta, quoties opus fuerit, aquâ per vos, præsertim in locis remotis, ubi Episcopum aquam benedicentem per duas dietas (id est, quatuordecim leucas) *adire non poteritis, benedicta, reconciliari liberè & licitè valeatis, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium concedimus & indulgemus.*

Ubi cùm fiat mentio aquæ benedictæ ab Episcopo, liquet profectò quòd illa potestas data est ad reconciliandas Ecclesias consecratas. Quæ autem Ecclesiarum, eadem est ratio cœmiteriorum; pro quo

338. Pollutâ Ecclesiâ, polluitur cœmiterium, non è converso.

Nota, pollutâ Ecclesiâ, pollui simul cœmiterium illi connexum; quippe cœmiterium est accessorium Ecclesiæ: *Accessorium* autem juxta Regulam juris 42. de Regulis juris in 6. *naturam sequi congruit principalis*, non è converso.

Probatur ex cap. unic. de Consecr. Eccles. in 6.

Quid clariùs quàm quod habetur cap. unico de Consec. Eccles. in 6. *Si Ecclesiam pollui sanguinis, aut seminis effusione contingat, ipsius cœmiterium si contiguum sit eidem, censetur esse pollutum: unde antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis sepeliri: secùs si remotum fuerit ab eadem.*

Sequitur secunda pars: *Non sic quoque in casu converso sentimus, ut videlicet polluto cœmiterio, quamvis Ecclesiæ contiguo, debeat Ecclesia reputari polluta.* Attexitur ratio: *Ne minus dignum, magis, aut accessorium principale ad se trahere videatur.* Hæc Bonifacius VIII.

Qui ibidem ait: *Non unum, sed plura cœmiteria esse noscuntur, quæ quamvis sibi cohærentia, pariete tamen medio seiunguntur*, de quibus ita statuit: *Violato eorum altero, alterum (licèt de uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus) non propter hoc reputabitur violatum.* Neutrum enim est alterius accessorium. Et ideo si utrumque est pollutum, utrumque indiget distinctâ reconciliatione: at verò per reconciliationem Ecclesiæ, consequenter censetur reconciliatum cœmiterium illi connexum.

339. An violatâ Ecclesiâ, reconcilietur per consecrationem bonâ fide in ea factam? *Castro. Emanuel Sa.*

Formam reconciliandi Ecclesiam & cœmiterium vide in Pontificali & Rituali Romano. Quæro autem, an Ecclesia violata sufficienter reconcilietur per præsentiam Corporis Christi, si bonâ fide contingat in ea celebrari? Affirmant Castro lib. 2. de lege pœnali cap. ultimo. Emanuel Sa post expurgationem Magistri Sacri Palatii verb. *Ecclesia* n. 19. & alii.

Sententia negativa verior.

Sed contrarium verius est; quando enim Ecclesia certam formam præscribit pro re aliqua facienda, non est licitum talem formam omittere, etiamsi loco talis formæ aliud fiat plùs meritorium, quàm sit ipsa forma: cùm ergo Ecclesia pro Ecclesiæ reconciliatione certam formam reconciliandi assignet, etiamsi Missa quid majus sit, quàm illæ ceremoniæ reconciliationis, non videtur tolli illa Ecclesiæ pollutio; quia omittitur forma ab Ecclesia assignata. Ita Portel verb. *Ecclesia* n. 5. & alii magis communiter. Portel.

Ex quo patet responsio ad rationem prioris sententiæ, quam assignat Castro suprà dicens: Nam cùm per Missæ celebrationem Deus ipse corporaliter in Ecclesia assistat, talis corporalis assistentia sufficere mihi videtur ad omnem purgationem & reconciliationem faciendam. Patet, inquam, responsio, videlicet non videtur sufficere talis corporalis assistentia; quia Ecclesia, ex cujus voluntate inducitur & tollitur violatio, ad illam tollendam minimè ordinavit celebrationem Missæ; sed aliam determinatam ceremoniam. 340. Satisfit argumento sententiæ affirmativæ.

Præterea indè sequeretur: Primò, reconciliari Ecclesiam per celebrationem etiam malæ fidei; cùm eadem sit corporalis assistentia Christi. Secundò, per celebrationem in necessitate ex dispensatione Episcopi. Tertiò, quando Sacerdos inchoato jam Canone, postea pollutâ Ecclesiâ, prosequitur usque in finem. Quartò, eodem modo si Ecclesia nondum fuisset consecrata aut benedicta, dici posset, semel celebratâ Missâ non indigere aliâ consecratione aut benedictione; quia sicut corporalis illa assistentia Dei, seu dignitas Sacrificii, ut alii loquuntur, æquivalet reconciliationi, sic pariter æquivalet & præponderat consecrationi aut benedictioni: præsertim cùm probabile sit, calicem v. g. remanere consecratum, si in illo non sacro fortuitò quis sacrificet. Ad probatur negativæ ex variis absurdis.

Sed quid ad hæc Adversarii? Emanuel Sa suprà concedit primam Sequelam dicens: Itaque si pauci sciunt, nec rem divulgant, non est opus reconciliatione; nec etiam si quis bonâ fide in ea celebraverit, id enim sufficit pro reconciliatione: immo etiamsi malâ fide celebrasset, etsi quidam negent, dicentes posse Episcopum (vel ejus absentis Vicarium, si est impeditus) dare licentiam celebrandi, donec ipse reconciliet. At ego, ut dixi, satis magnam puto cum aliis esse reconciliationem, seu benedictionem, ipsam consecrationem. Ita ille. 341. Respondetur Adversariis ad primum. Emanuel Sa.

Qui etiam facilè concederet secundam Sequelam, nisi tamen Episcopus limitaret pro illa sola vice; tunc enim non ex vi violationis, sed ex vi talis prohibitionis non poterit extra illam necessitatem ibidem celebrari. Ac proinde qui celebraret, non incurreret pœnas, fortè in illa Diœcesi latas contra celebrantes in Ecclesia violata, sed contra celebrantes in loco interdicto ab Episcopo. Ad secundum.

Ad tertiam respondet Tamburinus lib. 1. de Sacrificio Missæ cap. 1. §. 4. n. 7. per illam Missam inchoatam ante pollutionem, sed posteà continuatam, non reconciliari Ecclesiam; quia 342. Adversus. Tamburinus.

quia fictione juris illa Missa tota censetur fuisse absoluta ante violationem: ergo per illam violatio Ecclesiæ non tollitur. Neque enim in rebus positivis est spectanda prioritas vel posterioritas physica; sed sufficit plerumque moralis seu canonica, ita sacris Canonibus disponentibus.

Missa inchoata ante violationem, & post absoluta, non reconciliat Ecclesiam,

Certè (inquit ille) sic dies vespertina hesterna moraliter reputatur à jure hodierna, in ordine ad recitandum Matutinum hujus diei, non verò in ordine ad laborandum die Festivo. Sic etiam Missa ante mediam noctem Natalis Domini, quæ coram summo Pontifice celebrari solet, judicatur ex quadam fictione, seu dispositione Pontificis, facto ipso sic volentis, esse post mediam noctem, seu pertinere ad diem sequentem; nam propterea qui illi interfuerit, satisfaciet præcepto audiendi Missam in die Natalis. Simili igitur modo Missa inchoata ante violationem, & absoluta post, disponitur à jure ac si esset absoluta anteà, & ideo eandem violationem tollere nequaquam potest. Hactenus Tamburinus.

Si violatio contingat post inceptum Canonem,

Quod intelligendum puto, si violatio contingat post inceptum Canonem; alioquin secundùm Rubricas Tit. de Defect. cap. 10. n. 2. *Si Sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa.* Interim si non dimittitur, sed absolvitur, secundùm sententiam Emanuelis suprà, Ecclesia sufficienter erit reconciliata, quia tunc tota Missa, vel saltem fictione juris, non censetur absoluta ante violationem, quia jus prohibet absolutionem.

Rub. Miss.

343. Ad quartam.

Venio ad quartam Sequelam, quæ ab omnibus debet negari: alioquin omnia Oratoria, etiam in Castris militum, essent consecrata vel deputata ad Sacrificium, postquam in eis ex quacumque causa celebratum fuerit, quod, ut clarum inconveniens, à nemine admittitur. Et ratio disparitatis est; quia plùs requiritur ad inducendam consecrationem seu benedictionem in materiam profanam, quàm ad purgandam sive reconciliandam materiam jam semel consecratam seu benedictam; ut manifestè constat ex Rubricis sive ritibus observandis in prima consecratione & reconciliatione.

Disparitas inter calicem & Ecclesiam.

Neque est par ratio calicis & Ecclesiæ, quoniam calix, dum in illo sacrificatur, immediatè contingitur à Sanctissimo Christi Corpore & Sanguine, unde omnis benedictio promanat, per quem proinde contactum æquivalenter, ut aliqui loquuntur, imò eminenter deputatur ad Sacrificium. Porrò Ecclesia, etsi in ea celebretur, nequaquam contingitur à Sacratissimo Corpore & Sanguine Christi, licèt corporaliter ibi sit præsens, sicut in aliis multis locis, quæ tamen ideo non censentur benedicta seu consecrata ad divinum cultum, ut patet etiam in Oratoriis ab Episcopo deputatis ad hoc, ut in eis publicè celebretur, quæ tamen propterea à nemine vocantur Ecclesiæ benedictæ seu consecratæ.

Ex quo aliqui inferunt hujusmodi Oratoria non violari aut pollui; quia jura citata tantùm loquuntur de Ecclesiis: Ecclesiæ autem nomine (inquit Suarez disput. 81. sect. 4. §. *Quintò violatur*) solùm significatur templum consecratum aut benedictum.

344. Quidam putant Oratoria non violari aut polluti: *Suarez.*

Sed hæc doctrina multis displicet, & inter cæteros Suario tom. 1. de Religione tract. 2. lib. 3. c. 9. ubi n. 2. docet Ecclesiam non consecratam nec benedictam, si obsequiis divinis dedicata sit, & in ea divina mysteria celebrentur, frui privilegio immunitatis Ecclesiasticæ; & n. 3. ait: Talis Ecclesia, si fuerit sanguinis vel seminis effusione polluta, purificanda est, ut constat ex capite ultimo de Consec. Eccles.

quæ doctrina multis displicet,

Immo nu. 4. ulteriùs hoc ampliat, ut procedat, etiamsi in hujusmodi Ecclesia divina Officia nondum cœperint celebrari; quia Ecclesia non incipit esse Ecclesia propter Sacrificium in ea celebratum, sed propter deputationem factam ab Episcopo ad celebrandum; quæ deputatio æquiparatur benedictioni, & ideo potest in ea celebrari, quia est deputata ab Episcopo, & quia est vera Ecclesia, non è converso.

Et verò quòd hujusmodi Oratoria gaudeant privilegio immunitatis, solet probari ex cap. *Ecclesiæ* 9. de Immunitate Eccles. *Ecclesiæ* (inquit Pontifex Gregorius IX.) *in qua divina mysteria celebrantur, licet adhuc non extiterit consecrata, nullo iure privilegium immunitatis adimitur.*

345. eò quòd talia Oratoria gaudeant privilegio immunitatis. *Gregor. IX.*

Ubi quamvis expresè solùm loquatur de Ecclesia non consecrata; equidem decisionem extendendam esse ad Ecclesiam non benedictam, si habeat alias conditiones in illo textu requisitas, est communior sententia, & colligitur ex ratione textûs, scilicet, *Quia obsequiis divinis dedicata nullius est temerariis usibus profananda.* Sed potest esse Ecclesia sufficienter dedicata divinis Officiis, etiamsi benedicta non sit; v. g. si Ecclesia sit auctoritate Episcopi primum lapidem ponentis dedicata: quia talis Ecclesia hoc ipso manet perpetuò dicata divino obsequio; nec potest ad profanos usus converti, inquit Suarez suprà.

Potest Ecclesia esse divinis Officiis dedicata, etsi non sit benedicta.

Confirmatur ex cap. *Ad hæc* 4. de Relig. domibus ibi: *Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd si locus ad hospitalitatis usum & pauperum provisionem fuerit (sicut moris est) auctoritate Pontificis destinatus, cum sit Religiosus, non debet mundanis usibus deputari.* Ergo & Ecclesia sic dedicata est locus Religiosus, qui profanari non debet: ergo gaudet dicto privilegio.

Cap. 4. de Relig. domib.

Sed numquid indè rectè infertur: ergo Ecclesia sic dedicata, polluitur sanguinis, aut seminis effusione &c. Non licet (inquit Dicastillo disp. 4. nu. 102.) argumentari ab uno ad alterum longè diversum & separabile ab alio;

346. An ideo polluatur sanguinis aut seminis effusione? *Dicastillo.*

alio; immo separatum, ut videre est in Religiosis domibus, dormitoriis, sacristiis, & similibus, ubi immunitas est, & tamen in iis locis juxta communem & receptam sententiam non committitur sacrilegium per sanguinis aut seminis iniquam effusionem, ut cum multis docet Diana tum 1. part. tract. 7. resol. 20. tum 3. parte tract. 4. resol. 166.

Diana.

Glossa.

Quapropter Glossa ad cap. *Ecclesiæ* penultimum de Immunitate Eccles. verb. *Celebrantur*, inquit: *Ex hoc videtur quòd si adhuc ibi non sunt divina Officia celebrata, nondum gaudeat privilegio illarum* (Ecclesiarum) *in quibus celebrantur divina.* Non quòd Ecclesia fiat Ecclesia per actualem celebrationem; sed quia, ut ibi subjungit Glossa, *nondum plenè dedicata videtur divinis obsequiis.* Ex quo infert: *Unde sacrilegium non diceretur ibi committi, nec debet aspergi propter hoc: quia nullum divinum Officium fuit ibi celebratum.*

Per consecrationem fit Ecclesia plenè dedicata divinis Officiis.

Et sanè si ita textus intelligatur, jam clariùs apparet, quòd loquatur de Ecclesia etiam non benedicta; quia si esset benedicta, planum est, quòd gauderet immunitate, etiam antequam divina Officia in ea celebrarentur.

347. Interim dubito, quæ fuerit mens istius Glossæ, nam verbis præcitatis continuò subjungit: *Aspergi tamen debet si aliquid turpe ibi factum est, antequam ibi celebretur.* Ubi videtur innuere locum illum pollui seminis effusione, etiam antequam divina Officia fuerint in eo celebrata; si seminis effusione, cur non similiter effusione sanguinis, & homicidio? Non video disparitatem. Unde cap. final. de Consecrat. Eccles. generaliter dicitur: *Si Ecclesia non consecrata cuiuscumque fuerit semine aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur.*

ante quorum celebrationem videtur posse pollui.

Respondet Dicastillo suprà n. 103. Ea verba possunt intelligi de Ecclesia non quidem consecrata, sed benedicta aut simul ab Episcopo deputata, & in qua jam celebrentur divina Officia.

Responsio Dicastillonis.

348. Sed contrà; verba intelligenda sunt sicuti sonant, nisi aliquid obstet: atqui verba illa sunt generalia in quibus nulla fit mentio benedictionis, vel actualis celebrationis divinorum Officiorum; & aliunde nihil obstat quò minùs generaliter intelligantur: ergo sic sunt intelligenda.

Resicitur.

Probo Minorem pro secunda parte: quia si aliquid obstaret, essent illa verba capitis penultimi de Immunitate Eccles. *Ecclesiæ in qua divina mysteria celebrantur.* Sed hoc non; quia per illa verba non statuitur vel postulatur illa conditio, sed solùm ab illa nominatur, quia ita frequentiùs accidit; interim tamen sub illa voce comprehendi Ecclesiâ proximè aptam & sufficientè, ut in ea divina mysteria celebrentur, satis declaravit Pontifex his verbis sequentibus: *Quia obsequiis divinis dedicata, nullius est temerariis ausibus profananda.*

Quæ utique ratio, ut suprà dixi, obtinet in Ecclesiis, in quibus hactenus nullum Officium divinum fuit celebratum. Neque est novum, ut nomen significans actum, usurpetur ad significandam aptitudinem, juxta Regulam Logicæ, quòd verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinem.

Huic sententiæ adstipulatur Glossa ad cap. fin. de Consec. Eccles. verb. *Non consecrata*, dicens: *Ecclesia non consecrata gaudet eodem privilegio, quo & consecrata. Et ita si aliquis illuc confugerit, debet ab Ecclesia defendi.* Sed cur hoc? An fortè quia in ea celebrata fuerint divina Officia? *Et hoc ideo*, subjungit Glossa, *quia locus ille auctoritate Episcopi dedicatus est divino cultui: & quod semel Deo dedicatum est, ad profanos usus redire non debet.*

Sententiæ probatæ adstipulatur Glossa in cap. fin. de Consec. Eccles.

Cæterùm multa loca gaudere immunitate Ecclesiasticâ, quæ non polluuntur, quia non sunt Ecclesiæ, haud inficior: sed dico illa loca, de quibus hìc tractamus, non alio nomine quàm Ecclesiæ, gaudere illâ immunitate (quid enim aliud est Ecclesia, quàm locus aliquis publicus, specialiter deputatus ad Sacrificium Missæ, & alia divina Officia inibi celebranda?) & per consequens verè pollui illis actibus, quibus polluitur Ecclesia consecrata vel benedicta.

Multa loca gaudent immunitate Ecclesiastica, quæ non polluuntur.

Nec dixeris; pollutio est odiosa, ergo restringenda: nam licèt odiosa sit respectu peccantis, tamen est favorabilis & expediens ipsi loco sacro, ut scilicet sic homines magis deterreantur ab istis actibus faciendis. Unde potiùs censenda est favorabilis, quàm odiosa; argumento Can. 29. *Si quis suadente diabolo* 17. q. 4. qui tamquam favor Clericorum extenditur, estò sit pœnalis latæ sententiæ.

350. Objectio solvitur.

Pollutio Ecclesiæ est loco favorabilis.

Deinde odia non sunt restringenda ultra proprietatem verborum, nisi ad evitandum absurdum; Ecclesia autem secundùm proprietatem verbi comprehendit hujusmodi Oratoria, ut patet ex dictis. Neque ad evitandum absurdum (quod enim illud esset?) restrictio ad Ecclesiam consecratam vel benedictam ostenditur necessaria.

Verba apparet objecta pollui, quamvis contrarium non sit omnino probabile.

Propter hæc magis nobis probatur sententia affirmans hujusmodi Oratoria pollui; quamquam opposita non sit omnino improbabilis. Immo si Laymano (inquit Dicastillo suprà) ut par est, credimus, cùm hæc sententia nunc in praxi observetur (ut ipse testatur lib. 5. tract. 5. cap. 5. n. 2.) videtur tuta in praxi, & consuetudine saltem introducta sic esse interpretandos textus citatos.

Finio Conclusionem, & dico, etsi communiter sit grave peccatum celebrare in Ecclesia violata; equidem interdum licet ex concessione seu dispensatione Episcopi ob aliquam necessitatem, ut communiter censent

Doctores

Doctores cum Divo Thoma 3. p. q. 83. art. 3. ad 2. ubi sic ait: *Propter necessitatem potest hoc Sacramentum peragi in domibus non consecratis, vel violatis, sed tamen de consensu Episcopi*, saltem rationabiliter præsumpto; quia tanta potest esse necessitas, ut si non sit recursus ad Ordinarium, possit absque ejus expressa licentia celebrari; v. g. si in die Festo populus non habeat aliam Ecclesiam, in qua possit Missam audire.

352. *Lugo.*

An facilius celebretur in loco non sacro, quàm interdicto sive violato?

Notat autem Lugo disp. 20. n. 63. facilius esse quòd celebretur in loco non sacro, quàm in loco violato: quia violatio affert non meram negationem, sed privationem, & quasi pœnam, ratione cujus illa negatio est magis radicata, sicut carentia gratiæ & sanctitatis in peccatore est turpior, quàm esset in homine existente in pura natura. Quod à posteriori clarè patet; quia in Ecclesia non consecrata potest celebrari ex deputatione Episcopi; & adhuc si violetur, potest cum reconciliatione Sacerdotis: si autem fuit consecrata & violetur, non potest absque reconciliatione facta per ipsum Episcopum; quia nimirum ratione majoris sanctitatis præcedentis, majus & fortius impedimentum contrahitur, ad quod auferendum, major virtus est necessaria. Hactenus Eminentissimus.

Sed contrà facit, quòd faciliùs auferatur violatio templi consecrati, quàm negatio consecrationis, ut patet ex ritibus observandis in consecratione Ecclesiæ & reconciliatione.

Deinde, quòd Episcopus possit de jure communi deputare Oratorium (saltem publicum) non consecratum ad celebrandum, & hoc absque necessitate. Nam, ut superiùs ostendimus, illa deputatio æquivalet benedictioni, & per illam locus, qui anteà erat profanus, fit sacer: sicuti autem sine necessitate potest locum aliquem profanum Ecclesiam consecrare, quidni similiter Ecclesiam deputare? Non ergo prohibetur consecratio in loco taliter deputato, utì bene in loco violato; & sicuti prohibetur in Oratoriis privatis, id est, privatâ auctoritate erectis, quæ non censentur loca sacra, ideoque licentiam in illis celebrandi non potest Episcopus dare sine justa causa, prout explico sequenti Conclusione, quæ talis est:

CONCLUSIO XIX.

Ex parte loci propriè dicti requiritur appositio convenientis dispositionis, scilicet quod sit sanctificatus.

353. *Locus sanctificis convenies,*

ITa Scotus 4. dist. 13. q. 2. n. 13. & probant communiter Doctores per illud de Consecratione dist. 1. c. 1. *Missarum celebrationes non alibi, quàm in sacratis Domino locis, absque magna necessitate fieri debere liquet omnibus, quibus sunt nota veteris & novi Testamenti præcepta.* debet esse sanctificatus. *Scotus.*

Item per istud Felicis Episcopi Epistolâ primâ ad omnes orthodoxos, & refertur eâdem distinctione cap. 11. *Sicut non alii quàm sacrati Domino Sacerdotes debent Missas cantare, nec Sacrificia super altare offerre: sic nec in aliis, quàm Domino sacratis locis, id est, in tabernaculis divinis precibus à Pontificibus delibutis, Missas cantare, aut Sacrificia offerre licet, nisi summa coëgerit necessitas. Satiùs ergo est Missam non cantare, aut non audire, quàm in illis locis, ubi fieri non oportet: nisi pro summa contingat necessitate: quoniam necessitas lègem non habet.* Quæ sit autem hæc necessitas, inferiùs ediserò. Probatur ex cap. 1 & 11. de Consec. dist. 1.

Eandem legem statuit Concilium Triburiense, ut refertur eâdem distinctione cap. 12. *Missarum*, inquit, *solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus.* Item ex cap. 12. eâd.

Præterea Sylvester Papa in generali residens Synodo dixit: *Nullus Presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit esse Sacerdotii.* Ita refert Gratianus suprà cap. 15. & cap. 15.

Hæc, & plura alia decreta, quæ in illa distinctione prima de Consecrat. referuntur, novissimè renovavit Concilium Tridentinum sess. 22. in decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ dicens: *Nevè patiantur* (Episcopi) *privatis in domibus atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda & visitanda, sanctum hoc Sacrificium à sæcularibus aut Regularibus quibuscumque peragi.* aliisque decretis à Tridentino renovatis;

Quin etiam videtur abstulisse potestatem Episcopis, quâ anteà poterant dare licentiam celebrandi in quocumque loco decenti, ut patet ex can. *Missarum* ibi: *Vel ubi ipse permiserit*, & can. *Hic ergo* 14. eâdem dist. sequentis tenoris: *Hìc ergo, id est, in præsenti vita positos, oportet nos agnoscere voluntatem Dei, ubi & agendi & sacrificandi est locus; quoniam in aliis locis sacrificare & Missas celebrare non licet, nisi in his in quibus Episcopus proprius iusserit, aut ab Episcopo regulariter ordinato, tenente videlicet civitatem, consecrata fuerint. Aliter enim non sunt hæc agenda, nec ritè celebranda.* Ita Clemens Epistolâ 3. Hanc, inquam, potestatem Episcoporum permittendi, vel præcipiendi celebrationem Missæ in quocumque loco decenti Tridentinum suprà videtur abstulisse, aut certè limitasse. 354. quod abstulisse videtur potestatem Episcopis dandi licentiam ut alibi celebretur; *Clement Papa.* aut certè eam limitasse:

Quod ultimum addo; quia non videtur eis ablata potestas dandi licentiam ut semel aut sæpiùs (secundùm exigentiam causæ) in loco honesto (quamvis profanis ùtibus destinato) super altari sacrato & ornato, Missa celebretur; v. g. in cubiculo nobilis personæ, ex morbo diuturno decumbentis, prout declaravit Sacra Congregatio apud Barbosam p. 2. *Barbosa.*

de Offic. & potest. Episcopi allegat. 23. n. 8. Ratio est; quia cum hujusmodi casus frequenter accidere soleat, ad bonum regimen animarum necessaria est Episcopis talis potestas.

355. An Episcopus possit in quolibet loco decenti celebrare cum altari portatili?

Similiter post Tridentinum potest Episcopus in quolibet loco decenti, licèt profano, ob suam etiam commoditatem, tum in sua Diœcesi, tum extra (quidni & Romæ? Nam de decisione in contrarium allata ab Ugolino apud Gavantum in praxi Episcoporum V. *Episcopus* nu. 9. non constat authenticè) sive in domo seu palatio suo, sive alieno, sive domi, sive ruri, etiam sub dio cum altari viatico seu portatili celebrare, aut facere celebrari coram se. Ita concessit Bonifacius VIII. & habetur cap. ultimo de Privil. in 6. ubi sic legimus:

Gavantus.

Bonifacius VIII.

Sententia affirmans probatur ex cap. fin. de Privil. in 6.

Quoniam Episcopi, eorumq; Superiores se habent diversis ex causis à suis Ecclesiis & Diœcesibus absentare frequenter; nec semper possunt commodè ad Ecclesias accedere pro Missa celebranda vel audienda in ipsis, sine qua eos transire non decet absque causa rationabili ullum diem. Ecce causa motiva privilegii, frequens scilicet absentia Episcoporum à suis Ecclesiis & Diœcesibus, & moralis quædam necessitas, id est, maxima decentia audiendi quotidie Missam. Sequitur privilegium:

Præsenti Constitutione indulgemus eisdem ut altare possint habere viaticum, & in eo celebrare, aut facere celebrari, ubicumque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare, vel audire Divina. Ecce concessio absoluta & universalis sine limitatione itineris, vel infirmitatis.

356. Sed huic veritati aliqui contradicunt, causantes Episcopos non posse uti illo privilegio, nisi in itinere, vel propter infirmitatem, quam Cardinales declararunt æquivalere itinerationi. Et ratio eorum est; quia cessante causâ, cessat effectus.

quod est generaliter intelligendum, uti sonat.

Respondeo, causam hìc numquam cessare; semper enim verum est dicere, *Episcopi se habent diversis ex causis à suis Ecclesiis & Diœcesibus absentare frequenter:* id est, frequenter contingit Episcopos se absentare à suis Ecclesiis, & ideo Pontifex generaliter concessit, ut possint uti altari portatili ubique, etiam tunc quando sunt præsentes, & commodè alioquin possent audire Missam in Ecclesia. Præsertim cùm jam haberent illud privilegium sine ulla restrictione per cap. *Missarum solemnia* suprà: quod non est verosimile Bonifacium VIII. ibi voluisse restringere ad casum absentiæ aut infirmitatis.

Respondetur declarationi Cardinalium. *Cartuxanus.*

Nec obstat Declaratio Cardinalium, quam allegat Cartuxanus lib. de differentia utriusque fori verb. *Missa*, differentia 2. quia de illa non constat authenticè.

Dices; si anteà habebant illam potestatem celebrandi extra Ecclesiam, quid necesse erat novo privilegio Bonifacii? Respondet Portel in Resp. parte 3. casu 20. nu. 2. Credo quòd id fecit ad tollendum scrupulum Episcopis celebrandi extra Ecclesiam, quando abessent à sua Diœcesi, extra quam non habent jurisdictionem tam amplam. *Portel.*

Nota autem hoc privilegium tantùm esse personale, ut nimirum ipse Episcopus celebret, vel celebrationi intersit. Colligo ex ultimis verbis: *Vbicumque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare vel audire Divina.* Ergo requiritur præsentia Episcopi, cùm non nisi præsens possit celebrare, vel audire Divina. Ergo non poterunt alii Sacerdotes Episcopo non præsente tali privilegio gaudere. 357. Illud privilegium est personale.

Rogas; an quando Episcopus vel alius coram ipso celebrat, fideles, etiamsi non sint de familia ejusdem, satisfaciant præcepto, si tali Sacro intersint die Festivo. An fideles audiendo talem Miss. tam satisfaciant præcepto.

Respondeo affirmativè. Ratio est; quia præceptum audiendi Missam non obligat fideles ut in tali vel tali loco audiant; sed simpliciter, ut audiant Missam, ut inferiùs ostendam proprio loco.

Sed numquid præsente Episcopo, alii & alii eodem die possunt ibidem celebrare? Licèt videatur alicui posse solum unum, quia solùm conceditur Missa, quam audiat Episcopus, ne transeat dies, in qua ipse non audiat, ad quod inconveniens vitandum una satis Missa est, puto tamen posse plures; quia privilegia, quæ non sunt in ullius præjudicium, sunt amplianda, & quia id favet devotioni Episcopi, plures Missas audire volentis, quam à Canone foveri credendum est. Ita Tamburinus lib. 1. de Sacrificio cap. 4. §. 2. n. 11. An possint plures eodem die coram Episcopo celebrare. *Tamburinus.*

Atque hæc dicta sint de quocumque loco, etiam profano, camerâ quoque, vel aulâ Episcopi &c. Quomodo autem non sint contraria Decreto Concilii Tridentini, statim declaro. Quæro igitur, an Episcopus sine transgressione hujus Decreti possit deputare Oratorium privatum, ubi celebretur Missa indifferenter ab omnibus? 358. An Episcopus possit deputare Oratorium privatum pro omnibus possint Sacerdotibus celebrare?

Portel suprà n. 1. ait: Ego vidi meis oculis anno 1626. in aula cujusdam Domini tunc Collectoris istius Regni, publicari edictum Sanctissimi Domini nostri Papæ Urbani VIII. in quo prohibebat, ne Episcopus aliquis, vel similis Prælatus licentiam dare posset alicui celebrandi vel celebrare faciendi in Oratoriis privatis, & scirent omnes talem licentiam concedere esse reservatum soli summo Pontifici. *Portel.*

Citatur etiam Breve quoddam Pauli V. vel veriùs Epistola quædam Cardinalis Horatii Lancilotti jussu Pauli V. die decimo Martii anno 1615. missa ad Illustrissimos Cardinales, Archiepiscopos, & Episcopos, quâ eis auferebatur facultas, ut concedant licentiam habendi

habendi Oratoria in domibus privatis ad celebrandum. Et similem refert declarationem Cardinalium Azor tom. 1. Summæ l. 10. c. 26. in fine. Quid ergo?

Azorius.

359. Potest domi suæ,

Respondeo ad quæstionem cum Tamburino suprà num. 12. Episcopus potest domi suæ sive urbana sive rusticana, sive intrà Diœcesim, sive extra, etiam sine licentia Episcopi, in cujus Diœcesi moratur (id enim non pertinet ad jurisdictionem contentiosam, sed est quid voluntarium, quod ipse liberè valet exercere extra Diœcesim) potest, inquam, Episcopus etiam solùm Titularis, deputare Oratorium privatum, ubi celebretur Missa indifferenter ab omnibus.

ut declarat praxis.

Hæc doctrina, inquit ille Auctor, si alio argumento non firmaretur, sanè illud sufficiens esset, nempe id passim sine ullo scrupulo ab Episcopis in usum deduci. Recordor ego, quòd sine ullo scrupulo celebraverim Missam in Oratorio, quod Illustrissimus Cameracensis Dominus ac Pater F. Josephus Bergaigne Ordinis nostri piæ memoriæ, in domo sua rurali deputaverat ad celebrandum, ipso etiam absente.

Ratio fundamentalis.

Interim ratio fundamentalis est; quia ex una parte hanc facultatem amplissimè obtinet Episcopus in jure; can. *Missarum*, & can. *Hic ergo* suprà, & ex alia parte nec Tridentinum, nec aliud Pontificis Decretum id illis prohibet: Tridentinum siquidem & alia Decreta mox relata, utì etiam declaratio Cardinalium (si de ea authenticè constet, quod non puto) loquuntur de Oratoriis in domibus privatorum; porrò domus Episcopi non est domus privata, teste Gavanto parte 1. Tit. 20. ubi agens de hac controversia, sic inquit: Non tamen intelligitur domus privata Palatium Episcopi, ut notavit Carolus Episcopus Novar. in Comment. Canon. ad Can. *Missarum* 12. de Consecrat. dist. 1. in eo enim Capella deputari potest pro Missa celebranda.

Explicatur Conc. Triden.

Gavantus.

360. In domo Episcopi possunt eâdem die plures Miss. celebrari.

In qua proinde posse plures Missas celebrari eâdem die sive ab Episcopi familiaribus, sive ab exteris, sive præsente Episcopo, sive absente, non est mihi dubium; quia hoc privilegium personale est simul & locale, id est, concessum tali domui respectu Episcopi cujus est, vel qui eam inhabitat, ita ut desinente inhabitatione hoc ipso amittatur illud privilegium, estò etiam Episcopus adhuc retineret ejus dominium: siquidem jam desinit respectus ad Episcopum, qui non fundatur in dominio, sed in usu, quem ipse vel saltem sui obtinent talis domûs. Pro quo

Declaratio Card.

Nota Cardinales unanimiter declarasse die 9. Septembris anno 1592. Tridentinum, in ea parte, in qua disponitur, extra Ecclesiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, Sacrificium Missæ celebrari non debere, non derogasse privilegio introducto in favorem Episcoporum per cap. ultimum de Privilegiis in 6. quia intentio Concilii est tollere abusus; at in Episcopis non est abusus, cùm fiat ex causa, scilicet ut quotidie Missam audiant, quam non audirent si illa privilegia ipsis derogarentur.

Decreta Pontificum explicantur.

Consimiliter intelligenda sunt Decreta Pauli V. & Urbani VIII. ut videlicet solùm prohibeant Episcopis concedere licentiam celebrandi extra Ecclesiam in Oratoriis, in quibus præsumi posset abusus; at in Oratoriis Episcoporum abusus præsumendus non est: ergo quoad illa manet jus antiquum.

361. An Episcopus possit dare licentiam celebrandi in Oratorio privato?

Nota secundò illa verba Tridentini: *Et ad divinum tantùm cultum dedicata Oratoria.* Quid si ergo in domo aliqua privata esset Oratorium, tantùm divino cultui dedicatum, idque permanenter, putas, quia posset Episcopus post Tridentinum concedere licentiam, ut in eo celebretur?

Affirmat Zerola, Beia, Rodriguez, Suarez, Gutierez, & Quaranta.

Affirmat Zerola in praxi Episcopali parte 1. verb. *Missa*, asserens Sacram Congregationem ita pluries declarasse. Bassæus verb. *Missa* 4. nu. 1. citat pro eadem sententia Beia, Rodriguez, Suarez, Gutierez & Quaranta, quorum auctoritate nixi aliqui Episcopi; etiam in nostro Belgio, illam licentiam concedunt, inquit Bassæus.

Bassæus.

Negat Navar. Bonac. Miranda, Fagundez, Gavant, Marchinus, & Lugo.

Alii autem sequentes oppositam sententiam, pro qua citantur Navarrus, Bonacina, Miranda, Fagundez, Gavantus, Marchinus, Lugo, illam negant. Et verò absolutè negandam existimo, ubi vigent Decreta Pauli V. & Urbani VIII. de quibus suprà fecimus mentionem.

362. Diversitas inter designationem Oratorii ad celebrandum & licentiam celebrandi.

Scias porrò multùm diversa esse deputare sive designare Oratorium ad celebrandum, & concedere licentiam celebrandi. Nam quando Pontifex concedit licentiam celebrandi in Oratorio privato, una ex conditionibus est visitatio & approbatio Oratorii per Ordinarium loci. Vide Tamburinum supra §. 4.

Tamburinus.

Cæterùm si Oratorium privatæ domûs sit permanenter dicatum cultui divino, & habeat ingressum expositum, ut quilibet ingredi possit, Episcopus posset concedere licentiam ut in ipso celebretur. Ratio est, quia licèt hujusmodi Oratorium sit erectum ex intentione commoditatis privatæ, de se tamen publicum est, cùm habeat ingressum omnibus expositum, & sit erectum auctoritate Episcopi & subjaceat ejusdem visitationi: unde in hujusmodi Oratorio posset celebrari januis clausis, ita ut accedant tantùm Domini & illi, quos ipsi voluerint admittere; quia ex præcepto habemus tantùm, quòd Missa celebretur in Ecclesia seu Oratorio publico, non autem quòd publicè celebretur in ipso.

363. Privilegia Mendicantium in hac materia,

Hæc sufficiant de potestate Episcoporum. Transeo ad privilegia Mendicantium, quorum primum erit illud, quòd in corpore juris conceditur Fratribus Prædicatoribus & Minoribus cap. *In his* 30. de Privilegiis, ubi sic ait Pontifex Honorius III. *Mirari compellimur, quòd cum Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus duxerimus indulgendum, ut ubicumque fuerint, sine Parochialis iuris præiudicio* (id est, sine oblationibus quæ debentur Parocho de jure ex eo quòd Sacramenta ministret) *cum aliàri valeant viatico celebrare: quidam nimis stricte interpretando indulgentiam nostram, nituntur asserere, quòd per eam prædicti Fratres præter Prælatorum assensum facere hoc non possint: propter quod eos celebrare iuxta indulgentiam Apostolicam non permittunt. Cùm autem nihil eis conferret memorata indulgentia, sine qua id Prælatis annuentibus, liceret eisdem: Fraternitati tuæ mandamus, quatenus interpretatione huiusmodi reprobatâ, dum tamen ab aliis, quæ iure Parochiali proveniunt, prorsus abstineant, datam eis licentiam celebrandi, auctoritate nostrâ non differas publicare, ita quòd dicti Fratres aliquam ex indulgentia nostra videantur in hoc gratiam consecuti.*

Primum datum ab Honorio III.

Secundum datum à Paulo III.

Simile privilegium concessit Patribus Societatis Paulus III. Bullâ, *Licet debitum* 8. apud Rodriguez ibi : *Liceat Præpositis, ac de eorum etiam facultate universis Fratribus & Sociis Societatis in locis, in quibus degunt, & eos pro tempore morari contigerit habere Oratoria, & in eis ac quocumque alio honesto & congruenti loco, in altari portatili cum debita reverentia, & honore celebrare.*

quæ privilegia sunt personalia.

Hæc sunt privilegia amplissima ; verumtamen personalia, quibus proinde gaudere non possunt Sacerdotes sæculares, qui fortè socii sunt Religiosorum.

364. Alia assignantur localia.

Alia sunt privilegia localia, quibus conceditur Religiosis, ut possint in suis domibus deputare Oratoria privata, ubi per modum habitûs indifferenter ab omnibus celebretur. Inter hæc primum locum obtinet privilegium concessum Patribus Societatis à Gregorio XIII. post Tridentinum cum clausulis sufficienter derogantibus ; in quo datur facultas, ut in Oratoriis & Capellis, quæ Provinciales Societatis per se ipsos, in Domibus, Collegiis, & aliis locis, ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint, Missæ & alia divina Officia celebrari possint, nullius alterius ad id requisita licentia. Ita refertur in Compend. Privil. Societatis verb. *Oratoria.*

Primum datum à Gregorio XIII.

Secundum datum à Pio IV. *Bassæum.*

Est & aliud privilegium, inquit Bassæus verb. *Missa* 4. nu. 1. concessum à Pio IV. Canonicis Regularibus Sancti Salvatoris Lateranensis sub die 18. Maii anno 1565. ut possint celebrare in cellis seu cameris suorum infirmorum, nullâ Ordinariorum licentiâ requisitâ, ut habetur in privilegiis eorumdem Canonicorum Lateranensium, & refertur in Compend. Privil. Congregationis Sanctæ Mariæ Fuldensis Tit. Infirmi §. 5. Et notant Marchinus de Sacr. Ord. Tract. 3. parte 3. cap. 9. num. 12. Pasqualigus in Decis. mor. Decis. 176.

Marchinus. Pasqualigus.

365. Hi privilegia non ob per Tridentinum derogatum.

Nec huic privilegio obstat Decretum Tridentini : quia concessum fuit post ipsum Concilium, & cum amplissimis clausulis derogatoriis etiam Constitutionum editarum in Conciliis Generalibus. Non est autem necesse, quòd infirmitas sit magni momenti ; sed sufficit quòd ratione infirmitatis non possit infirmus exire à cubiculo, ut exprimitur in privilegio. Hactenus Bassæus.

Qui ibidem cum aliis Doctoribus notat hoc privilegium non esse locale, sed personale, proinde sequi personam, *ita* ut in quocumque loco infirmus Regularis reperiatur, etiam in domibus sæcularium, *illo uti* possit.

Docet præterea, cum Pasqualigo suprà, qui citat Cast. Palao parte 1. tract. 3. de Privil. disp. 4. puncto 2. §. 9. num. 1. Moniales subjectas Regularibus, communicantibus in privilegiis, gaudere dicto privilegio ; quia cùm sint veluti quid accessorium Regularium, & pars ejusdem Ordinis, privilegium concessum Regularibus, extenditur etiam secundariò ad ipsas, quatenus illius capaces sunt.

Castro Palao & extenditur ad Monialis.

366. Alia Pontifices non intendunt revocare per Tridentinum quæ non sunt per illud abrogata,

Quidquid ergo sit de privilegiis concessis ante Concilium Tridentinum, sive Fratribus Minoribus ab Innocentio IV. Bullâ : *Nos attendentes* 25. & Sixto IV. Bullâ : *Regimini universalis* 14. sive Fratribus Prædicatoribus ab eodem Sixto IV. Bullâ : *Noverint universi* 33. sive Cistercien sibus ab Alexandro VI. Bullâ : *Romanus Pontifex* 14. apud Rodriguez. Quidquid, inquam, sit de his privilegiis, utpote de quibus movetur quæstio, an per Tridentinum sint revocata (utì etiam de privilegiis Honorii III. & Pauli III. suprà commemoratis) abundè sufficiunt privilegia concessa post Tridentinum ad tollendum omnem scrupulum.

quæ non sunt per illud abrogata,

Dico, *Quidquid sit* ; quoniam probabilius mihi est, istis privilegiis Regularium nullatenus per Concilium Tridentinum fuisse derogatum.

Primò ; quia Tridentinum, solùm decernit, ne Episcopi patiantur in privatis domibus à sæcularibus vel Religiosis Missam celebrari. Igitur donec Episcopi contradicant, non sunt illa privilegia revocata, adeoque possunt Religiosi celebrare, etiam in cameris, in quibus dormiunt conjugati, & in cameris propriis Religiosorum ; hoc enim significat illud, *Vbicumque fuerint*, quod ponitur in privilegio Honorii, modò

ob ratio antecedens.

modò sit locus decens & aptus, & subsit aliqua justa causa, quam crediderim esse vehemens desiderium ægroti ad Sacrum audiendum & in illo communicandum; præsertim occurrente aliquo Festo principaliori.

Secundò; cùm privilegium Honorii insertum sit in corpore juris, non puto Concilium voluisse illud ab Episcopis impediri, cùm ad derogationem juris communis expressa ejus mentio fieri debuerit, ut constat ex praxi; quippe non obstante Decreto Concilii Tridentini sess. 23. de Refor. cap. 10. quo revocat privilegium Abbatibus concessum conferendi Tonsuram, vel minores Ordines, Abbates, ut testatur Sanchez tom. 2. Consil. lib. 7. c. 1. dub. 19. n. 20. illos conferunt, cùm jure communi illam facultatem habeant cap. *Cùm contingat* 11. de Ætate & qualit. & cap. *Abbates* 3. de Privilegiis in 6. Pro quo

Sanchez.

367. Duplex est genus privilegii,

Nota, duplex esse genus privilegii; unum quod privatis conceditur, & est odium juris, alterum quod à Principe conceditur in perpetuum in bonum alicujus communitatis, aut Ordinis Regularis, & hoc æquatur legi, ac si insertum esset in corpore juris, & tamquam favor est amplè interpretandum. Igitur omnia privilegia Regularium se habent ut privilegia in Corpore juris inserta, quibus proinde non derogatur, nisi expressa fiat de ipsis mentio.

Regularium privilegiis non derogatur, nisi fiat expressa eorumdem mentio,

Profectò non sufficere clausulam generalem revocatoriam etiam geminatam, evidentissimè constat ex concessione Julii II. ann. 1507. factâ Benedictinis Congregat. Montis Oliveti Bullâ: *Etsi ad universos.* 12. apud Cherubinum §. 37. ibi: *Ac quod deinceps per quascumque revocatorias, seu alias Apostolicas concessiones vel literas sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, aut clausulis derogatoriis, etiamsi illa motu & scientiâ similibus emanaverint, nulla ex prædictis concessis, & quæ eidem Congregationi pro tempore concedentur, exemptionibus, immunitatibus, gratijs, indultis, privilegijs, & concessionibus, quomodolibet revocari, cassari, vel annullari censeantur, seu revocari, cassari, vel annullari seu ipsis, vel ipsorum, seu quibusvis in eis contentis particulis aut clausulis derogari valeat, nisi in derogatorijs vel alijs literis seu cassationibus hujusmodi illa, vel illæ ex literis, quæ revocari, aut cassari, vel annullari videtur, aut cui vel quibus derogari appareret, eorumq; totus tenor de verbo ad verbum integrè inseratur, & de omnibus & singulis Congregationis hujusmodi Monasterijs nominatim & specificatim mentio fiat, ac in eisdem revocatorijs, cassatorijs, vel alijs literis manifestè & expresse appareat, quòd Romanus Pontifex, privilegijs, indultis, & literis, de quibus tunc actum fuerit, voluerit specialiter derogare, vel illa revocare aut cessare, seu annullare; ac tunc demùm urgens, sufficiens & rationabilis, propter quam derogatio, revocatio, cassatio vel annullatio ipsa meritò fieri debeat, causa exprimatur, aliàs derogationes, revocationes, cassationes, irritationes & annullationes quæcumque, si quas aliter, quàm ut præfertur à quoquam etiam Romano Pontifice fieri contigerit; ac quæcumque exinde subsecuta nullius sint roboris vel momenti, ipsis concessis literis, privilegijs, indultis, gratijs, & exemptionibus, & libertatibus in suo pristino, plenario, atque integro robore duraturis.*

ut patet ex Constitutione Julii II.

Accedat concessio facta Prædicatoribus ab Eugenio IV. & Benedictinis ab eodem Eugenio IV. & Leone X. scilicet: *Quod nullæ literæ seu privilegia Apostolica quibusvis personis, & quibusvis Collegijs, Universitatibus, seu Conventibus concessa contra tenorem privilegiorum Mendicantium & Benedictinorum, & eorum, qui per viam communicationis gaudent privilegijs eorum, præjudicant dictis Religionibus, eusq; domibus, locis, aut personis, nisi in eis cum expressione dictorum Ordinum & illorum Religiosorum, ac illorum domibus ac eis concessis privilegijs, nec non de Generali cuiuslibet dictorum Ordinum, qui pro tempore erunt specialiter ac expresse ac de verbo ad verbum mentio facta fuerit.* Ita teste Rodriguez tom. 1. qq. Regularium q. 9. à 6. haberur in Compend. Societ. tit. Privil. §. 8 & in Compendio Ciltert. eodem verbo §. 7.

Eugenii IV. & Leonis X.

Rodriguez.

Addit Rodriguez: Et advertendum quòd factâ revocatione generali privilegiorum non censentur revocata privilegia Regularium, cùm privilegia Regularibus propter merita concedantur, & privilegia propter merita numquam in dubio revocentur, licèt in revocationibus verba generalia & geminata ponantur: jam autem ad minus dubium est, an prædicta privilegia per Tridentinum revocentur.

368. Privilegia Regularium ob meritum concessa, non revocantur in dubium.

Altiùs clamat Bruno Chassaing de Privil. Regul. Tract. 1. c. 5. propos. 5. Adde, inquit, præmissis, quòd tantùm abest, quòd prædicta revocatio generalis privilegia Regularium revocet, quin imò illa confirmat, ut manifestè constat ex Bulla Urbani VIII. in favorem Congregationis Sancti Mauri editâ anno 1627. actus initium: *In supereminenti*, in qua hæc verba habentur: *Neque sub quibuscumque similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, & alijs quibuscumque dispositionibus, etiam per nos & successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis, etiam derogatoriarum derogatorijs pro tempore quomodolibet factis comprehendatur confundi, sed ab illis semper perpetuò excipi: & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum & validissimum restitutas, repositas & plenariè reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data, quandocumque eligenda concessas esse & fore &c.* Quid clariùs? Hæc ille.

& revocata magis confirmantur ut ait Brunò Chassaing.

Urbanus VIII.

Sed ego hanc Bullam non invenio apud Cherubinum in magno Bullario Romano; neque apud R. P. Augustinum à Virgine Maria qui novissimè anno scilicet 1661. impressit

privilegia omnium Religiosorum Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium in quibus ipsi communicant, allatis fideliter propriis verbis Constitutionum Summorum Pontificum usque ad Alexandrum VII. inclusivè. Fides ergo permaneat penes Brunonem. Ab illa Bulla non dependet veritas principalis doctrinæ. Contra quam

369. Privilegium Gregorii XIII. contra Conclusionem allegatur,

Dicet quispiam: Gregorius XIII. ut suprà vidimus, concessit privilegium Patribus Societatis erigendi Oratoria in propriis domibus, in iisque celebrandi, cum clausulis derogantibus Concilio Tridentino. Similiter cum eisdem clausulis concessit aliud privilegium (ut refertur in Compend. Privil. Societ. verb. *Altare*) *ut possint Patres in Missionibus, quæ à Superiore fiunt, Sacrificium Missæ super altare viatico ubique gentium, cum debita reverentia & honore celebrare, etiam in Castris Militum, modo loca, etsi communia, & profana, tuta & honesta sint, & Præpositus Generalis, aut per eum Provincialis eo utendum fore iudicaverint, & posse ibidem sacram Eucharistiam Fidelibus ministrare.*

sed explicatur,

Quid erat opus clausulis illis derogatoriis, si Tridentinum non revocat privilegia Regularium? Respondeo, id fecisse ad majorem securitatem, propter sententiam multorum, quam videtur Gregorius supposuisse, qui censent privilegia fuisse revocata, maximè quæ concedunt celebrationem omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata Oratoria.

Quod addo, quia de illis quæ licentiam tribuunt celebrandi in Oratoriis, & erectis in Infirmariis, Grangiis, aliisque locis Religiosorum, inter quæ computo domum Refugii, minor est difficultas, si nudè spectemus verba Concilii. Nam Oratoria illa non dicuntur esse in domibus privatis, contra quas tantùm agit Concilium Tridentinum, sed in domibus communitatis.

370. Nomine Ecclesiæ etiam Monasteria intelliguntur. *Rodriguez.*

Neque in his locis videntur celebrari Divina omnino extra Ecclesiam, cùm secundùm Doctores communiter, ut ait Rodriguez tom. 2. qq. Regul. q. 75. a. 1. nomine *Ecclesiæ* etiam Monasteria comprehendantur; nomine autem Monasterii claustrum, domus, & officinæ interiores, prout explicat Innocentius IV. in declaratione Regulæ Fratrum Minorum.

Quid nomine Monasterii intelligatur?

Eugenius IV.

Quantùm ad Grangias, Eugenius IV. prout refertur in Compend. Ordinis Cistercienſis, *Concessit quòd Grangiæ Monasteriorum Cisterciensium, sicut Ecclesiarum atria à pravorum hominum incursu & violentiâ liberæ & quietæ debent esse, ita ut nemo in eis hominem capere, spolium aut ruinam exercere præsumat, in virtute Spiritûs Sancti inhibendo statuit.* Ita lego apud Rodriguez suprà art. 2.

Utcumque ergo sit de hac appellatione & nomine *Ecclesiæ*, non debemus de istis locis judicare, sicuti de domibus privatis, quod sufficit; & quamvis in his locis non videantur celebrari Divina omnino in Ecclesia, quia Monasterium in omni rigore non est Ecclesia, utpote quod non polluitur sanguinis aut seminis effusione, estò Ecclesia polluatur; equidem non omnino extra Ecclesiam, quia Monasterium aliquo modo censeri potest Ecclesia.

Monasterium non pollutione sanguinis aut seminis effusione.

Hucusque de privilegiis celebrandi extra Ecclesiam sive locum sanctificatum, per quem intelligo locum divino cultui dedicatum per consecrationem, vel benedictionem, vel saltem per Episcopi deputationem.

371. Celebrare in loco non sanctificato est mortale.

Si autem à me quæritur, quantùm sit peccatum sine dispensatione Episcopi, aut hujusmodi privilegiis Pontificiis celebrare extra Ecclesiam? Respondeo citiùs cum communi Doctorum esse peccatum mortale; quia transgressio legis Ecclesiasticæ in materia gravi, quæ gravitas partim colligitur ex materia subjecta, scilicet celebratione Missæ, quæ ex se gravis est; partim ex abusibus, qui facilè contingerent, si unicuique liberum esset ubicumque vellet hoc Sacrosanctum Sacrificium offerre; partim etiam ex pœna depositionis, quam transgressoribus comminatur Sylvester suprà cap. *Nullus* de Consec. dist. 1. Et decernitur in sexta Synodo cap. 31. his verbis: *Clericos, qui ministrant* (id est sacrificant) *vel baptizant in Oratoriis, quæ intrà domos sunt, cum consensu Episcopi loci hoc facere præcipimus. Si quis verò hoc non observaverit, deponatur.* Ita refert Gratianus de Consecrat. dist. 1. cap. 34.

Cap. Nullus de Consec. dist. 1. Can. 34. ibid.

Interim contrarium asserit Sa correctus à Magistro Sacri Palatii verb. *Missa* n. 20. si absit contemptus & scandalum, citans Sotum dist. 13. q. 2. art. 3. Sed non est audiendus, nisi ab illis, qui docent, nulla præcepta humana obligare sub mortali, si absit contemptus & scandalum, quod constat esse falsum.

Contrarium affert Sa à nullo admittendum in contemptu.

372. Nullum est peccatum celebrare extra Ecclesiam in necessitate.

Cæterum, quoniam necessitas legem non habet, liquet profectò ex juribus in principio Conclusionis allegatis, nullum esse peccatum celebrare extra Ecclesiam, ubi *Summa exigerit necessitas*, ut habetur cap. 11. *Sicut non aliy.* de Consec. dist. 1. Variæ autem à Doctoribus allegantur necessitates.

Casus quibus necessitatis allegantur Scoto.

Casus necessitatis (inquit Scotus 4. dist. 13. q. 2. n. 13.) *sunt isti, ut si Ecclesiæ in Patria sunt destructæ, vel si quis in via penitus non poterit accedere ad aliquam Ecclesiam consecratam, quod regulariter verum est de navigantibus, & cæteris hujusmodi.* Intellige, quando urget præceptum audiendi Missam.

Patet ex ratione, quam subjungit: *Non enim videtur verosimile, quòd observationem illius præcepti Decalogi*, Sanctifica Sabbatum, (*quod præceptum Ecclesia interpretata est in hoc quod est audire Missam die Dominico de Consec. dist. 1. Missas*) *voluerit Ecclesia impedire per aliquod præceptum minoris*

minoris obligationis, ut per talem, vel talem locum requiri ad hoc ut Missa audiatur, cùm non debeat quis restringi ab observatione magis necessarij, per arctationem ad minus necessarium. Hæc Doctor Subtilis.

Absolutam necessitatem celebrandi extra loca deputata, negat Bassæus,

Contrarium videtur innuere Bassæus verb. *Missa* 4. n. 1. dicens, non posse unquam intervenire absolutam necessitatem celebrandi extra loca deputata, quia quando non potest celebrari in locis deputatis, cessat præceptum audiendi Missam. Ex quo infert: Itaque solùm potest intervenire quædam necessitas moralis, fundata in exigentia devotionis fidelium; quia videlicet indecens sit, quòd fidelium devotio defraudetur non celebratione, aut quia celebratio censeatur necessaria ad conservandam devotionem: quæ est ponderanda habitâ ratione circumstantiarum. Unde generaliter tunc censenda est adesse necessitas, quando cultus divinus notabiliter læditur aut imminuitur, si non celebretur. Hucusque Bassæus, cujus doctrinam statim examino.

admittit moralem.

373. Casus ne cessitatis aliquantur. Primus. Secundus.

Casus ergo necessitatis sunt: Primus, quando aliqui peregrinantes diu, puta per mensem, Missâ caruissent; immo ne in solemnioribus Festis eâ carere cogantur. Secundus, quando ex quacumque causa confluit magna multitudo, ita ut non possit capi intrà locum destinatum ad celebrandum.

Tertius.

Tertius & frequentissimus in Castris militum, maximè (inquit Bassæus suprà) diebus Festis, & quando pugnandum est, tum quia tunc militum devotio valde periclitaretur, nisi Sacrificio frueretur: tum quia cùm in pugna milites se exponant evidenti periculo mortis, oportet ut possint se præparare per sacram Eucharistiam. Immo etiam diebus non Festis quoad Generales, & alios primarios Ductores militum.

Sed unum verbum antequam pergo ad alios casus. Quare putas Bassæus distinguit inter diem Festum, & non Festum, si in die Festo cessat præceptum audiendi Missam? Quia alioquin, inquis, valde periclitaretur devotio militum. Sed contrà, si periculum indevotionis est causa sufficiens, cur non etiam præceptum audiendi Missam, cujus finis est devotio? An fortè excusaret Bassæus illos milites à peccato, qui nollent audire Sacrum, quod fieret die Dominico extra loca deputata? Non credo. Quomodo ergo verum est quod suprà dicebat: Quando non potest celebrari in locis deputatis, cessat præceptum audiendi Missam?

Et verò si Parochus possit diebus Dominicis & Festis celebrare extra loca deputata, quando hæc omnia diruta sunt, de quo non dubito, quare non tenetur, ut populus satisfaciat suæ obligationi? Haud video aliquod solidum fundamentum id negandi: *Non enim videtur verisimile* (ut Scotus suprà bene dixit) *quòd observationem illius præcepti..... voluerit Ecclesia impedire per aliquod præceptum minoris obligationis.*

Hic ergo sit casus quartus, de quo sic lego in Concilio Triburiensi, & refertur de Consec. dist. 1. cap. 30. *Concedimus etiam ut ubi ..... à Normanis, & Sclavis, ab Vngaris & malis Christianis, seu alio qualicumque modo Ecclesia fuerint incensa & combusta, in Capellis cum tabula consecrata Missas interim celebrari permittimus, donec Ecclesia ipsa restaurari queant.* Sequitur de itinerantibus: *In itinere verò positis, si Ecclesia defuerit, sub dio, seu in tentoriis, si tabula Altaris consecrata, cæteraq; sacra ministeria ad id officium pertinentia ibi affuerint, Missarum solemnia celebrari concedimus: aliter omnino interdicimus.*

374. Quartus. Triburiense.

Quintus.

Quintus erit in littore pro nautis intrà triremes existentibus, vel multitudine etiam navigantium in aliis navibus, dum non possunt navem deserere, ut saltem Festo die Missam audiant.

In dictis casibus decens foret petere licentiam Ordinarii.

In his & similibus casibus si commodè fieri potest, decentia postulat ut petatur licentia Ordinarii: alioquin non est de ea laborandum, cùm ipsa necessitas sufficienter eam tribuat, ut patet ex juribus suprà citatis; semper autem exigitur altare portatile consecratum cum cæteris necessariis ornamentis, de quibus in consequentibus.

375. De licentia Pontificis potest celebrari in navi saltem grandiori. *Suarius. Baronius.*

Illud quasi pro coronide ad calcem hujus Conclusionis addiderim, posse, saltem de licentia Pontificis, celebrari in ipsis navibus, præsertim grandioribus, etiam dum navigant, secluso semper periculo irreverentiæ. Et sanè quidni hodie possit fieri, quod olim fecisse Sanctum Wulfranum Senonensem Archiepiscopum narrat Surius tom. 2. die 20. Martii, & refert Cardinalis Baronius tom. 8. anno Domini 700? Vel si fieri non possit, quo jure?

cùm id non repugnet juri naturali, aut divino.

Nam in primis jus naturæ, & jus divinum solùm exigunt debitam reverentiam in celebratione hujus mysterii: constat autem ex testimoniis fide dignis (quæ testatur se vidisse Cardinalis Lugo disp. 20. n. 87.) nullum prorsus esse in illis magnis navibus periculum irreverentiæ: in iis enim locus aptissimus destinari facilè potest, decenter imò & magnificè ornatus, ab omni fœtore & sordibus secretus, in quo debito tempore celebretur: potest etiam facilè vitari omne effusionis sanguinis periculum; tum, quia periti nauclerì prævident maris commotionem, quæ si immineat, præmonebunt ante Missæ initium; tum, quia adesse potest alter Sacerdos, qui post consecrationem calicem manu teneat, ne cadat aut moveatur, quibus positis nullum prorsus remanet irreverentiæ periculum.

376. Obstare videtur jus humanum.

Quantùm ad jus humanum, seu prohibitionem Ecclesiæ, solùm adferri potest quoddam Rituale antiquum approbatum à Leone X. ubi 1. part. Tract. 4. cap. 35. dicitur: *In loco fluctuan-*

fluctuanti, ut in mari & flaminibus celebrare non licet alicui. Hoc tamen parùm probat; nam, præterquam quòd non satìs constat de illa approbatione Leonis, ut ostendit Lugo suprà n. 82. illa approbatio, si quæ fuit, non plùs videtur sonare, quàm licentiam juxta illud Sacerdotale operandi; non verò præceptum, aut legem.

sed intelligendum quando foret periculum irreverentiæ,

Atque ut esset lex sic operandi, intelligi debet quando est periculum effusionis sanguinis aut alterius irreverentiæ, ut omittam Pontificem in omni lege humana dispensare, adeòque saltem de ipsius licentia in tali loco posse celebrari, etiam non obstante quacumque consuetudine in contrarium; quamquam consuetudo illa introducta magis fuerit, tum ex negligentia & tepiditate fidelium, qui non ita solliciti erant de fructibus hujus Sacrificii & Sacramenti; tum etiam quia non erant in usu navigationes ita longæ & diuturnæ, sed breves, & in quibus frequenter possent ad terram accedere, & in littore celebrare.

377. Prout etiam intelligendi sunt oppositæ sententiæ Auctorum.

Porrò Auctores, qui communiter negant hoc esse licitum, intelligendi sunt ut suprà Sacerdotale Romanum, quando foret periculum alicujus irreverentiæ. Sic loquitur Antoninus 3. parte tit. 13. cap. 6. §. *Hu verbis*: In nulla necessitate licet celebrare in mari, vel super fluvium, ubi probabiliter timetur de effusione sanguinis propter agitationem navis. Sylvester. Lugo. Eadem verba habet Sylvester verb. *Missa* 1. q. 2. vers. *Secundum*, & alii quos citat Cardinalis Lugo suprà n. 84.

Absente tali periculo esse licitum, quidam docent, Emanuel Sa, Major,

Cæterùm licere, ubi non est illud periculum, in terminis docet Emanuel Sa correctus verb. *Missa*, n. 19. Super mare, inquit, aut fluvium, si timetur sanguinis effusio, celebrare non licet, si non timetur, putarim licere; sed standum erit consuetudini receptæ. Eodem modo loquitur Major in 4. dist. 13. q. 4. paulò post principium, ubi postquam dixit non esse in mari celebrandum, subjungit: Cùm autem non patet accessus rationabilis ad terram, tales excusantur ab auditione Missæ; esset enim periculum effusionis sanguinis Christi, à quo ubi caveretur, posset celebrari.

Durantes,

Ejusdem opinionis videtur fuisse Guilielmus Durantes lib. 4. Rationalis Divini Officii cap. 1. n. 41. ubi sic ait: Potest autem esse necessitas, ut Missa dicatur in mari, vel in exercitu sub papillione. Henriquez lib. 9. de Missa cap. 27. n. 3. in fine sic inquit: In fluvio placidissimo, ubi effusio sanguinis timeri non posset, fortasse in necessitate liceret. Et in margine dicit hanc esse sententiam Recentiorum; quam expressis verbis post exortam hanc controversiam tradit Fagundez lib. 3. de primo præcepto Ecclesiæ cap. 10. & novissimè Jacobus Granado in 3. parte Controvers. 6. de Eucharistia tract. 14. disp. 13.

Henriquez,

Fagundez,

& Iacobus Granado.

378. Cùm ergo in necessitate ex licentia Episcopi, vel etiam sine illa, juxta superiùs dicta, possit celebrari extra Ecclesiam, dum tamen reverentia debita servetur, quid obstat quò minùs in diuturnis navigationibus id fiat? Primò, ut satisfiat præceptis Ecclesiæ audiendi Missam, accipiendi Viaticum, Eucharistiam in Paschate &c. Secundò, ut major sit in navibus observantia divinæ Legis, & Christiani mores peccandi consuetudine non corrumpantur. Tertiò, ut otium vitetur. Quartò, ut pericula oceani, vel impediantur, vel mitigentur, quod experientiâ constat factum.

Vera sunt istius generis fortè frequentia.

Propter hæc Lusitani primò in navigatione Indiæ Orientalis; dein Hispani in navigatione Indiæ Occidentalis in navibus celebrarunt; non tamen absque licentia Pontificis, vel Episcopi: immo Episcopi ipsi primi fuerunt, qui celebrarunt. Vide Lugonem suprà n. 89.

Accessit etiam Lusitanorum praxis.

Si dixeris, ante paucos annos Pontifex negavit licentiam celebrandi pro triremibus in mari Mediterraneo. Respondeo id factum fuisse, quia illæ triremes non sunt ita aptæ ad celebrandum, sicuti grandiores illæ naves, & aliunde frequenter ad terram accedunt, ubi in littore altari erecto possunt ex ipso mari Missam audire.

379. Objectio dirimitur.

Et hactenus quidem de loco celebrationis propriè dicto, id est, Ecclesia, seu Oratorio. *De loco autem mobili*, inquit Scotus suprà n. 14. *sive vase, distinguo, quod vas remotum est altare ..... Vasa propinqua sunt calix, & patena.* Pro vase remoto erit

CONCLUSIO XX.

Ad Sacrificium Missæ licitè offerendum requiritur Altare lapideum, Chrismatis unctione benedictum ab Episcopo, vel ex commissione solius Pontificis à simplici Sacerdote.

380. Ad consecrandum necessarium est altare.

PAtet ex perpetuo usu Ecclesiæ & communi Doctorum sensu, neque legitur unquam Pontificem dispensasse, vel licentiam concessisse celebrandi sine altari consecrato, cæterisque sacris ministeriis ad id officium pertinentibus.

Tribur.

Quid clariùs, quàm quod refertur ex Concilio Triburiensi dist. 1. de Consecrat. cap. *Concedimus* 30. *In itinere positis, si Ecclesia defuerit, sub dio, seu in tentoriis, si tabula altaris consecrata, cæteraq; sacra ministeria ad id officium pertinentia ibi affuerint, Missarum solemnia celebrari concedimus; aliter omnino interdicimus.*

Et verò, si Sacrificia veteris legis super altare offerri debebant, quantò magis Sacrificia novæ legis?

Quòd

381. hodie lapideum,

Quòd autem debeat esse lapideum, constat ex vita S. Sylvestri, ut legitur in Festo Dedicationis Basilicæ Salvatoris 9. Novembris ibi, *Quòd si B. Sylvester postea in consecratione Altaris Principis Apostolorum decrevit, ut deinceps nisi ex lapide Altaria ædificarentur.*

quod olim poterat esse ligneum.

Deinceps, inquit; nam anteà altare poterat esse ligneum & à Divo Petro tale habebatur, hodieque servatur in Ecclesia Lateranensi, in quo altari, sic decernente eodem Sylvestro, solus Romanus Pontifex potest celebrare, ut colligitur ex sequentibus verbis ejusdem historiæ. *Tamen Basilicæ Lateranensis altare fuit è ligno erectum: quod mirum non est. Nam cùm à S. Petro propter persecutiones, Pontifices certo loco consistere non possent, quocumque eos necessitas compulisset, sive in cryptas, sive in cœmiteria, sive in ædes piorum, super illo altari ligneo ad arcæ similitudinem concavo Sacra faciebant. Quo altari S. Sylvester, redditâ Ecclesiæ pace, honoris causâ Principis Apostolorum, qui in illo sacrificasse dicitur & reliquorum Pontificum, qui usque ad id tempus ad mysteria conficienda eo usi fuerant, in Lateranensi primæ Ecclesia collocato, sancivit, ne quisquam in eo, præter Romanum Pontificem Missam deinceps celebraret.*

Epaunens.

Post Sylvestrum statutum legitur in Concilio Epaunensi cap. 26. & refertur de Consecrat. dist. 1. cap. 31. *Altaria si non fuerint lapidea, Chrismatis unctione non consecrentur.*

Evaristus.

Et ante Sylvestrum hoc sancivit Evaristus Papa (apud Burchardum lib. 1. cap. 27.) dicens: *Altaria si lapidea non fuerint, ad celebranda divina Officia non consecrentur.*

Gregor. Nyssen.

Appositè Gregorius Nyssenus oratione in sanctum Baptisma: *Lapis*, inquit, *est natura communis, nihil differens ab aliis crustis lapideis, ex quibus parietes nostri exstruuntur* &c. *sed quoniam Dei cultui consecratum, & dedicatum est, ac benedictionem accepit mensa sancta, altare immaculatum est.* Et Divus Chrysostomus Homiliâ 20. in 2. ad Corinthios de altari ait: *Lapis quidem est natura, sanctum autem fit, quoniam Corpus accipit Christi.*

A. Chrysost.

382. Ratio congruentiæ D. Thomæ.

Cæterùm hæc institutio, *competit & significationi huius Sacramenti* (utor verbis Doctoris Angelici 3. part. q. 83. a. 3. ad 5.) *tum, quia altare significat Christum. Dicitur autem 1. Corint. 10. Petra autem erat Christus: tum etiam, quia Corpus Christi in sepulchro lapideo fuit reconditum. Competit etiam quoad usum Sacramenti, lapis enim & solidus est, & de facilè potest inveniri ubique.*

Objectio soluitur.

Nec refert quòd altare ligneum aliquando fuerit in usu, ut superiùs diximus, quia & illud habuit proportionem cum altari crucis, quod & ipsum fuit ligneum. Nihilominus propter commoditatem & majorem durationem usûs, materia est mutata.

383. Debet specialibus ritu consecrari.

Et quoniam Corpus & Sanguinem accipit Christi, ad majorem sanctitatem & reverentiam, Sanctus Sylvester speciales ritus in consecrandis altaribus primus instituit, ut legitur in Festo Dedicationis Basilicæ Salvatoris ibi: *Ritus, quos in consecrandis Ecclesiis & altaribus Romana servat Ecclesia, B. Sylvester Papa primus instituit. Nam etsi iam ab Apostolorum temporibus loca fuerunt Deo dicata, quæ à quibusdam Oratoria, ab aliis Ecclesiæ dicebantur* &c. *non tamen illa adeò solemni ritu consecrabantur, nec in eis adhuc in titulum erectum erat altare, quod Chrismate delibutum Domini nostri Iesu Christi, qui altare, hostia & Sacerdos noster est, figuram exprimeret.*

Quis enim tam rudis est in hac Religione, inquit Divus Augustinus lib. 17. de Civit. cap. 16. *vel tam surdus adversus eius famam, longè lateq; diffusam, ut Christum à Chrismate, hoc est, ab unctione appellatum esse non noverit?* S. Aug.

Constat ex Concilio Agathensi & sancto Augustino.

De hac ergo consecratione non est dubitandum, liquidò enim demonstratur ex Concilio Agathensi cap. 14. & refertur de Consecrat. dist. 1. cap. 32. ubi sic dicitur: *Altaria placuit non solum unctione Chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari.*

Eleganter Sanctus Augustinus Ser. 255. de Tempore in principio: *Sicut optimè novit sanctitas vestra Fratres, consecrationem altaris hodie celebramus, & iustè ac meritò gaudentes celebramus festivitatem, in qua benedictus, vel unctus est lapis, in quo nobis divina Sacrificia consecrantur.*

384. Hæc consecratio est reservata Episcopis,

Illam autem benedictionem, sive consecrationem reservatam esse Episcopis, probatur ex Epistola 88. alias 92. Leonis Papæ, ubi agens de Chorepiscopis & Presbyteris sic inquit: *Ergo ne ultrà talis à vobis* (scribit ad universos Germaniæ atque Galliæ Ecclesiarum Episcopos, quorum aliqui Chorepiscopos, vel Presbyteros destinaverant, qui absente Pontifice altaria erigerent, & Basilicas consecrarent) *licentia usurpetur, communi sententiâ statuendum oportuit, scientes, quia sicut Chorepiscopo vel Presbytero illicita consecratio est altaris, ita & constitutio. In divinis enim litteris, præcipiente Domino, solus Moyses in Tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse unxit, qui utique summus Sacerdos Dei erat, sicut scriptum est de eo*: Moyses & Aaron in Sacerdotibus ejus: *ideoq; id, quod tantùm facere Principibus Sacerdotum iussum est, quorum typum Moyses & Aaron tenuerunt: omnino decretum est, ut Chorepiscopi, vel Presbyteri, qui filiorum Aaron gestant figuram, arripere non præsumant. Nam quamvis cum Episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispensatio, quædam tamen authoritate veteris legis, quædam novellis & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint, sicut Presbyterorum & Diaconorum, aut Virginum consecratio, sicut constitutio altaris, ac benedictio, vel unctio. Siquidem nec erigere eis altaria, nec Ecclesias vel altaria consecrare licet:* nequidem de licentia Episcoporum; nam arguuntur illi Episcopi, qui licentiam dederant, & per consequens Chorepiscopi & Presbyteri, qui ex licentia Episcoporum altaria consecraverant.

ut clarum est ex Epistola Leonis Papæ.

385. *Hormisda.* Episcopus nequit eam concedere simplici Sacerdoti;

Quod ergo ex Decretis Hormisdæ Papæ refertur dist. 1. de Consecrat. cap. 25. *Nullus Presbyter in Ecclesia consecrata aliud altare erigat, nisi quod ab Episcopo loci sanctificatum est, vel permissum*, non sic accipias velim, quasi Episcopus loci possit permittere, sive concedere consecrationem altaris simplici Sacerdoti; sed quoniam hoc potest concedere Episcopo alterius loci, ut sæpiùs practicatur. Porrò quàm graviter peccet contraveniens huic ordinationi Ecclesiæ, colligitur ex præfato capite 25. ubi in fine additur: *Quod si fecerit, si Clericus est, degradetur, si verò laicus, anathematizetur.* Cæterùm cùm sit tantùm ordinatio Ecclesiastica, non dubium quin simplex Sacerdos id possit ex commissione seu privilegio Pontificis.

secùs Pontifex,

386. qui de facto id fecit, ut constat ex privilegiis,

Primum est Innocentii VIII.

Ast numquid invenitur tale privilegium alicui Ordini Religioso, aut ejus Prælato concessum? Respondeo, triplex invenitur. Primum est Innocentii VIII. Bullâ: *Exposcit tuæ devotionis sinceritas* 5. apud Rodriguez pro Abbate Cistertii, & quatuor primis ejus Coabbatibus, ibi: *Nos qui Ordinem ipsum præ cæteris in visceribus gerimus charitatis &c. tibi, & successoribus tuis ac dictis Abbatibus aliorum quatuor Monasteriorum prædictorum nunc & pro tempore existentibus, ut de cætero perpetuis futuris temporibus prædicta, & quæcumque alia vestimenta, ac ornamenta Ecclesiastica, corporalibus, vasculisq; ad reponendum sacram Eucharistiam, ac imaginibus quibuslibet comprehensis in locis, & domibus dicti Ordinis benedicere, & calices consecrare, tam de dicto Ordine, quàm si ad vos aliunde nonnumquam deferantur. Ac altaria de novo constructa, seu translata, restaurata, aut mutata in quibuslibet locis dicti Ordinis, Chrismate sacro, priùs ab aliquo Catholico Antistite recepto, consecrare &c. liberè ac licitè possitis & possint auctoritate Apostolicâ, & ex certa scientia tenore præsentium de speciali dono gratiæ indulgemus.*

387. circa quod est notabile primum. *Rodriguez.*

Quo privilegio, ut notat Rodriguez tom. 1. qq. Regul. q. 28. art. 2. non licet uti Abbatibus quantùm attinet ad consecrationem eorum, in quibus intervenit Chrisma, ut calicis, patenæ & altaris extra Monasteria Ordinis vel Ecclesias illis annexas, nisi de licentia Diœcesani, juxta Concilium Tridentinum sess. 16. de Reform. cap. 5. ibi: *Nulli Episcopo liceat, cuiusvis privilegij prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarij loci expressa licentia.* Est enim id exercere Pontificalia.

Trident.

Notabile secundum.

Notat secundò, Gregorium XIV. Romæ sub annulo Piscatoris die 28. Junii anno 1591. Pontificatûs sui anno primo, hoc & alia primorum Coabbatum privilegia, ad omnes Abbates Congregationis Cistertii in partibus Hispaniarum extendisse.

388. Hoc privilegio uti non possunt Prælati Regularium; *Tamburinus.*

Sed numquid hoc privilegio uti possunt Prælati Regularium? Minimè, quantùm ad consecrationem eorũ, in quibus Chrisma intervenit, id enim non datur nisi veris Abbatibus; & quidem (inquit Tamburinus lib. 1. de Sacrificio cap. 1. §. 2. n. 4. in fine) ex vi hujus privilegii, benedictis, licèt ex vi aliorum, etiam non benedictis.

possunt Abbates non benedicti. Rodriguez.

Verius existimo, etiam ex vi hujus privilegii id posse Abbates non benedictos; quod probo: quia, ut docet Rodriguez tom. 1. qq. Regul. q. 18. art. 2. Abbas electus & confirmatus in Abbatem, ante benedictionem dicitur Abbas, & in negligentiam & contumaciam Superioris, nolentis eum benedicere, ipse non benedictus, potest suos Monachos benedicere, aliaque suæ Prælaturæ munia obire. Jam autem privilegium præfatum loquitur generaliter de omnibus Abbatibus pro tempore existentibus: ergo nulla est ratio restringendi ad benedictos.

389. Episcopus ante consecrationem non potest benedicere calices &c.

Nec obstat, quòd Episcopus ante consecrationem non possit benedicere calices, altaria &c. quoniam actus Ordinis sunt, qui Ordo ipsi confertur per consecrationem. Unde ejus consecratio dicitur in jure ordinatio dist. 75. cap. 1. ibi: *Ordinationes Episcoporum auctoritate Apostolicâ ab omnibus, qui in eadem fuerint provincia, Episcopis sunt celebrandæ.* Ita Anacletus Papa *Anacletus.* ad Episcopos Italiæ Epistolâ 2. in principio. Et cap. 2. eâdem ex Concilio Calcedonensi c. 25. sic legitur: *Placuit Sanctæ Synodo intrà tres menses fieri ordinationes Episcoporum.* At verò per benedictionem Abbatis non confertur Ordo, neque ipsa benedictio in jure dicitur ordinatio.

Unde non est mirum quòd Summi Pontifices Eugenius IV. Julius II. & Leo X. prout tradit Collector privilegiorum Ordinis Cistertii (& habetur in dicto compendio Tit. Abbas §. 4. & 5. teste Rodriguez suprà) concesserint generaliter Abbatibus non benedictis fungi omnibus, & singulis honoribus, præeminentijs, privilegiis, prærogativis, juribus & insigniis, Abbatibus benedictis competentibus, non, inquam, mirum est, cùm ipsi electi, & confirmati in Abbates, ante benedictionem sint verè Abbates, & per benedictionem nulla ipsis ordinatio conferatur.

390. Secundum privilegium Pii IV.

Secundum privilegium, quod hac de re invenio, est concessum Abbatibus Congregationis Cassinensis (aliàs S. Justinæ Monachorum Ordinis S. Benedicti) à Pio IV. Bullâ: *Sedis apostolicæ circumspecta benignitas* 97. apud Cherubinum sub his verbis: *Nos volentes &c singulis illius Abbatibus pro tempore existentibus &c. quoscumque lapides marmoreos vel porphyrios, vel alios ad usum altarium portatilium accommodandos, pro usu quorumcumque utriusque sexûs dictæ Congregationis Monasteriorum, Prioratuum, & Ecclesiarum, & aliorum piorum locorum, super quibus intrà claustra eorumdem Monasteriorum & Prioratuum seu septa Ecclesiarum & aliorum piorum locorum hujusmodi dumtaxat, Missæ celebrari possunt, consecrare, & benedicere, Ordinariorum locorum licentiâ desuper minimè requisitâ, liberè & licitè valeant, plenam & liberam licentiam & facultatem auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium concedimus & indulgemus.*

Tertium

391. Tertium est Pauli III.

Tertium privilegium concessum est Patribus Societatis Jesu à Paulo III. Bullâ, *Licet debitum* 8. apud Rodriguez ibi: *Ac in locis prædictis remotissimis* (puta Infidelium) *quæcumque, Ecclesias, Hospitalia, & alia pia loca, prout expediens fuerit erigere, ac nunc, & pro tempore erecta reformare, sine alicuius præiudicio, & vestes Sacerdotales, pallas, corporalia, calices, cœmiteria (si Episcopus qui ea faciat, Catholicus inibi non adsit) benedicere ac profanatas Ecclesias reconciliare possint.*

quo possunt uti FF. Minores & alii in privilegiis cõmunicantes,

Ubi notat Portel verbo *Benedicere* in Addit. n. 3. hoc privilegio posse uti Fratres Minores, & cæteri qui gaudent communicatione privilegiorum; quod utique est probabile, immo, salvo meliori, certum. Neque id negat Fagundez de primo præcepto Ecclesiæ lib. 3. cap. 22. n. 3. (ut perperàm existimat Tamburinus suprà n. 6.) verba ejus sunt : Numquam verò quòd sciam adhuc illam (potestatem consecrandi calices &c.) Sacerdotibus simplicibus commisit, nisi solis tantummodò Religiosis Societatis Jesu, & non aliis. Quæ commodè intelligi possunt de commissione principali: immo debent, si est aliqua communicatio privilegiorum, cùm nullum sit verbum in Bulla Pontificis, quod significet exclusionem aliorum Religiosorum, communicantium in aliis privilegiis concessis eisdem Religiosis Societatis Jesu.

quod non negat Fagundez.

392. Quartum est Leonis X.

Quartum privilegium concessit Leo X. Bullâ, *Aliàs felicis recordationis* 3. apud Rodriguez, in qua post enumerata plurima indulta à suis Prædecessoribus concessa Fratribus Minoribus in terris infidelium commorantibus, & inter cætera, benedicendi *capellas, altaria, nec non calices & paramenta Ecclesiastica*, sic inquit: *Nos tam sancto & hominibus huiusmodi pro eorum animarum salute necessario opere, desiderio favorabiliter annuere volentes, motu proprio & certâ scientiâ, ac potestatis plenitudine vobis & vestrum cuilibet facultatibus, concessionibus & gratijs ac indultis supradictis iuxta superiùs narratorum continentiam vobis & cuilibet vestrum* (nimirum Fratri Joanni Glapioni, & Fratri Francisco de Angelis Ord. Minorum euntibus ad Indias occidentales) *& ad vitam vestram à vobis quatuor deputandis, uti, potiri, & gaudere, prout superiùs explicatur, liberè & licitè valeatis, concedimus & indulgemus. Volumus autem quòd ea, quæ ad Episcopalem Ordinem ac dignitatem dumtaxat pertinent, vigore præsentium nullus vestrum exercere possit, nisi in Provincijs ubi Catholicus Antistes non fuerit, in alijs enim locis pontificalia solùm per Episcopos exercere valebunt &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 25. Aprilis anno 1521. Pontificatûs nostri anno 9.*

393. quod confirmavit Adrianus VI.

Hoc privilegium anno sequenti videlicet 1522. confirmavit Adrianus VI. Bullâ: *Exponi nobis fecisti* 1. apud Rodriguez hisce verbis : *Et quia, ut accepimus, per præfatos Prædecessores nostros Romanos Pontifices aliqua indulta concessa fuerunt Fratribus* (Minoribus) *existentibus, aut ire procurantibus in dictis & ad dictas Indiarum partes, nos omnia illa confirmando, ac (quatenus opus est) de novo concedendo, volumus ut præfati Prælati Fratrum pro tempore existentes, & quibus ipsi de suis Fratribus duxerint concedendum omnibus prædictis indultis in genere vel in specie hactenus concessis, & imposterùm concedendis uti, potiri, & gaudere liberè & licitè possint, & valeant, habentes omnia pro sufficienter expressa, tamquam si de verbo ad verbum insererentur. Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, præsertim Sixti IV. incipiente:* Etsi Dominici gregis, *ac Bullâ Cœnæ Domini, cæterisq; in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Cæsar-augustæ sub annulo Piscatoris die. 10. Maij 1522. Suscepti à nobis Apostolatûs officij anno 1.*

Alia privilegia de hac re non invenio. Equidem hæc abundè sufficiunt ad veritatem Conclusionis. Pro cujus ampliori explicatione

394. Altare duplex est, fixum & portatile.

Nota, altare esse duplex, fixum videlicet & portatile. Fixum sic dictum à figendo, estque integra structura sive mensa lapidea alicui loco seu basi affixa ut ibi permaneat, atque adeò consecratur totum altare, id est, integra structura, ita quòd in qualibet parte mensæ illius possit sacrificari. Altare portatile à portando dicitur, quia nullo loco permanenter affixum, sed communiter mobile de loco in locum, soletque appellari ara.

In utroque est licitum celebrare,

Sive autem sit fixum, inquit Doctor Subtilis 4. dist. 13. q. 2. n. 15. *sicut est communiter in Ecclesijs, sive portatile, non est magna differentia, quia in altari portatili, sive in alio fixo, convenit Missas celebrare, ut habetur extrà de Privil. & exceßibus Privilegiatorum cap* In his quæ ad cultum ..... cum Fratribus Prædicatoribus & Minoribus duximus indulgendum, ut ubicumque fuerint sine parochialis juris præjudicio, cum altari valeant viatico celebrare : quidam nimìs strictè interpretando indulgentiam nostram, nituntur asserere, quòd per eam prædicti Fratres præter Prælatorum assensum facere hoc non possunt. *Et paulo post* : Cùm autem nihil eis conferret memorata indulgentia, sine qua id Prælatis annuentibus liceret eisdem, Fraternitati tuę Mandamus, quatenus interpretatione reprobatâ, dum tamen ab aliis, quæ jure parochiali proveniunt, prorsus abstineant, datam eis sic licentiam celebrandi auctoritate nostrâ non differas publicare : ita quòd dicti Fratres aliquam ex indulgentia nostra videantur in hoc gratiam consecuti, *ait Honorius III.* Hactenus Scotus, & prosequitur :

ut ex jure declarat Scotus,

395. Objectio solvitur.

Si obiiciatur ex hoc capitulo, quòd non licet uti altari viatico, nisi ex privilegijs. Respondeo, verum est quantùm ad usum eius indifferenter in quocumque loco consecrato vel non consecrato, sed quantùm ad usum eius in loco consecrato videtur satìs esse ius commune : quia ante dedicationem altaris in Ecclesijs quibuscumque communiter celebratur cum altari parvo.

Altare sit tantæ magnitudinis

Parvo, inquit ; attamen tantæ magnitudinis, ut majorem partem calicis & patenæ queat

ut majorem partem calicis & patenæ sustentet, *Tamburinus*.

sustentare. Unde diligenter advertendum est, ut saltem major pars calicis & hostiæ imponatur ipsi lapidi consecrato, licèt id (inquit Tamburinus lib. 1. cap. 5. §. 1. n. 3.) non esse scrupulosè curandum, modò non sit periculum lapsûs, rectè moneat Suarez disp. 81. sect. 5 §. *dicendum ergo* in fine.

Suarius.

An hæc sit monitio Suarii, poterit Lector judicare ex ejus verbis, quæ hìc exscribo: Non oportet autem scrupulosè in hoc laborare, ut calix & patena, seu hostia, quoad omnes partes suas super lapidem constitui possint, satìs enim est, ut quoad majorem partem supra illum collocari valeant, dummodò firma sint & sine periculo cadendi. Hæc ille.

396. & sit physicè unum;

Advertendum secundò, non esse licitum absque concessione Pontificis uti altari portatili, confecto ex duobus lapidibus, insertis in duabus ligneis tabellis, ita invicem colligatis, ut instar libri claudi possint & aperiri; non propter illam insertionem, seu inclusionem, quæ communis est, & solùm adhibetur ad ornatum, aut faciliorem conservationem; sed quia non est lapis unicus physicè repræsentans unicam physicè Christi personam; & quia est contra universalem consuetudinem Ecclesiæ. Ita communiter Doctores.

397. quam unitatem impugnat Bassæus;

Non desunt nihilominus rationes, inquit Bassæus in supplemento verbo *Altare* n. 5. quibus id fieri posse probetur. Primò; quia unitas, quæ reperitur in altari, non est necesse quòd sit unitas naturalis lapidis, sed sufficit quòd sit unitas artificialis, & quòd moraliter censeatur unum; quia altare est quid artificiatum. Unde non quærit aliam unitatem, quàm artificialem; salvatur autem unitas artificialis, etiamsi constet ex duobus lapidibus quocumque modo ad invicem connexis; nam connexio facit, quòd se habeant per modum unius. Et cùm nulla adsit prohibitio, non est censendum illicitum; quia in ijs, quæ naturâ suâ mala non sunt, non est illicitum, nisi quod est prohibitum.

Hinc fit, quòd possit altare portatile confici ex duobus lapidibus insertis in duabus tabulis ligneis, quæ claudi & aperiri possint instar libri: si tamen quando aperiuntur, remaneant lapides contigui; quia tunc lapides illi conjunguntur in capsula lignea, quod sufficit ut se habeant per modum unius, & constituant unicum altare, sive cõjungantur per seipsos aliquo nexu ferreo, sive ex alia materia. Hactenus Bassæus.

sed petit principium.

Sed manifestè petit principium; nam quæritur, an sufficiat unitas artificialis seu moralis. Et quamquam altare fixum sit quid artificiatum, & ideo ad illud sufficiat unitas artificialis; equidem constat ex consuetudine Ecclesiæ altare portatile esse unicum simplicem lapidem, qui licèt aliquando ligno includatur, ut superiùs diximus, hoc tamen lignum nullatenus censeri debet pars altaris. Unde etiam non amittitur consecratio, licèt lapis à ligno separetur, juxta plerosque Doctores, quos sequitur Bassæus suprà n. 6. neque sufficeret si ligno illi major pars calicis & patenæ inniteretur.

398. Discrimen inter aram & calicem.

Ex quo patet diversitas inter aram & calicem, qui potest constare ex duplici parte, superiori & inferiori, ita ut una sit separabilis ab alia, & conjungantur opere tornatili, aut aliquo alio modo, nec tamen per hoc tollitur quin sit unus. Patet, inquam, diversitas; quia nemo dubitat calicem esse quid artificiatum, constans ex certa materia & certa figura. Nec aliquis dicere potest pedem calicis non esse partẽ calicis.

Unde omnes admittunt etiam pedem illum esse consecratum, & calicem, saltem fixum, amittere suam consecrationem, si pes iste separetur à cuppa.

Quid simile reperitur in altari portatili confecto ex duobus lapidibus unico ligno inclusis? An fortè requiritur certa aliqua figura lapidis, ut possit consecrari? Quid aliud quæso importat ara, quàm lapidem consecratum? Et verò calix nùm solùm aurum significat, vel argentum? Constat apud omnes præter materiam importare certam formam sive figuram. Peræràm ergo Bassæus calici comparat aram.

399. Comparatio calicis cum altari fixo.

Melìùs comparasset altare fixum; quod utique si ita fieret ut tabula sive mensa lapidea facilè & sine periculo posset imponi & auferri à base vel columnis, opere quasi tornatili, non video (inquit Lugo disp. 20. n. 74.) cur non possent ejusmodi partes consecrationem retinere, quoties connecterentur. Lugo.

Nam reverà sicuti mensa lignea eadem est, licèt sæpè tabula superior à pedibus auferatur, ut contingit in mensis aliquibus pauperum, eadem etiam esset mensa lapidea, si eodem artificio facta esset. Item sicut calices tornatiles introduci potuerunt, & cũ illa separabilitate partium consecrari, licèt anteà soli calices fixi consecrarentur; cur similiter non possent consecrari altaria cum separabilitate partium, licèt anteà nullum esset ejusmodi altare? Nam licèt altare non soleat consecrari nisi intrà Ecclesiam & alligatum Ecclesiæ; potest tamen intrà eandem Ecclesiam aliquod altare integrum transferri ab uno loco ad alium, quo casu, cùm idem altare omnino maneat, non indiget novâ consecratione: posset ergo similiter illud altare cum separabilitate partium consecrari in tali Ecclesia, intrà quam posset dissolvi, & componi, si tali artificio fuisset fabricatum. Hæc Cardinalis.

Et planè ignoro, quid efficaciter posset objici, præter consuetudinem; quamquam & illa videatur orta magìs ex ignorantia ejusmodi structuræ lapideæ, quàm ex obligatione.

400. Objectio.

Dices; ergo similiter non obstat consuetudo conficiendi altare portatile ex unico tantùm lapide, quia non est consuetudo obligativa: non enim est fundata (inquit Bassæus suprà) in aliquo dictamine rationis, quòd sit necessa-

necessarium ita facere; quia cùm adhuc altare sit unum, etiamsi lapides sint plures, adhuc significat Christum ut unam personam: non enim oportet ut in significativo sit illa unitas, quæ est in significato; sed sufficit quòd significativum sit unum in significando, quod erit cum quacumque unitate in esse materiali. Unde falsum est, quòd idem sit, ac si consecraretur Corpus Christi in una Ecclesia, & in alia Sanguis.

Responsio. Respondeo, illud argumentum ad summum probare, quòd Ecclesia ita potuisset ordinare: equidem contrarium statuisse, dico sufficienter probari ex consuetudine, quam ita interpretantur omnes Doctores, & meritò; cùm enim possit facillimè ejusmodi ara ex duplici lapide fabricari, & magis commoda sit, quidni sæpiùs fuisset fabricata?

Præterea si ara ex duobus lapidibus ligno inclusis potest primò consecrari; quidni ara ex unico lapide ligno incluso retineat suam consecrationem, estò in mille partes frangatur? Semper enim manebit idem & unicus lapis moraliter sive artificialiter.

401. Objectio 2. solvitur. Dices; non est idem lapis physicè. Quid tum? Etenim si sufficit unitas moralis, ut primò recipiat consecrationem, quare non itidem sufficiat identitas moralis, ut semel acceptam retineat? Neque enim per illam discontinuationem physicam amittit suam formam, quod tamen videtur Bassæus requirere suprà nu. 6. dicens: Altare portatile amittit consecrationem, quando ipsum enormiter frangitur, ita ut amittat formam, ut esset, si non posset, quod superest, commodè capere hostiam, & calicem.

402. Utrùm Reliquiæ sint de substantia consecrationis altaris? Sed antequam edissero modos, quibus altaria perdunt suam consecrationem, breviter inquiro; an Reliquiæ sint de substantia consecrationis? Solent in consecratione altaris recondi sacræ Reliquiæ in ejus sigillo, sive, ut vocant, sepulchro, id est parvulo loculo in ipsa mensa vel basi altaris seu aræ; ideo namque Sacerdos in ipso Missæ principio osculans altare dicit: *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiæ hic sunt.* Dubitatur ergo, an id, quod fieri solet, sit de substantia, ita ut Reliquiis deficientibus, non sit legitima altaris consecratio.

Quidam affirmant ex cap. *Placuit* 26. de Consecr. dist. 1. Affirmant aliqui, argumento cap. *Placuit* 26. de Consecratione distinctione 1. ubi ex Concilio Africano cap. 50. sic legitur: *Placuit ut altaria, quæ passim per agros, & per villas tamquam memoriæ Martyrum construuntur, in quibus nullum corpus, aut Reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis qui locis eisdem præsunt, si fieri potest, evertantur.*

Pontific. Rom. Et verò nemo, qui aliquando inspexit Pontificale Romanum ignorat ejus ordinationem circa Reliquias in altari consecrando includendas, Tit. de Altaris consecratione ibi: *Sanè ante diem consecrationis Pontifex parat Reliquias in altari consecrando includendas, ponens eas in decenti & mundo vasculo* &c. Et infrà: *Deinde depositâ mitrâ, recondit ibi vasculum cum Reliquiis & aliis in eo inclusis veneranter.* Nisi ergo huic ordinationi per consuetudinem sit derogatum, liquet profectò saltem ex præcepto Reliquias esse necessarias.

Dico, *Saltem ex præcepto*; nam defectu earum consecrationem esse invalidam, negat communior sententia: tum quia nullus est textus, in quo invaliditas sufficienter exprimitur; tum propter consuetudinem in contrarium, maximè circa altaria portatilia, utique propter eorum multitudinem, & paucitatem Reliquiarum. 403. Alii communiùs negant.

Interim ubi sacræ Reliquiæ commodè possunt haberi, solent Episcopi etiam hodie eas recondere in altaribus, præsertim fixis, de quibus loquitur Septima Synodus Generalis can. 7. dicens: *Quæcumque templa consecrata sunt absque Reliquiis Martyrum, in eis fieri statuimus Reliquiarum depositionem cum consuetis precibus. Qui autem templum consecraverit sine sanctis Reliquiis, deponatur.* Pro quo *Synodus VII.*

Nota, dum Ecclesia consecratur, simul consecratur altare fixum, in quo juxta Pontificale Romanum Reliquiæ includuntur. Tit. de Ecclesiæ dedicatione seu consecratione ibi: *Sanè ante diem dedicationis Pontifex parat Reliquias in altari consecrando includendas.* Quamquam & id ipsum præscribatur circa altaria portatilia. Tit. de altaris portatilis consecratione ibi: *Parantur in loco ubi consecratio huiusmodi fieri debet in primis aliquæ Reliquæ cum tribus granis incensi in altari includendæ.* 404. Ex præscripto Pontificalis Reliquiæ altaribus includuntur.

Cæterùm, sicut superiùs indicavi, nullum est verbum in his Constitutionibus, quod significat consecrationem aliter factam esse invalidam; præsertim cum de facto extent altaria sine Reliquiis inclusis. Consecrationem aliter factam esse invalidam, non ostenditur.

Si quæras, quomodo in his celebrans verè possit dicere: *Quorum Reliquiæ hic sunt?* Respondeo; eodem modo sicut dicit: *Dominus vobiscum, Orate Fratres*, etiam solo uno præsente; quia scilicet de more multi solent adesse; & quia de more solent inibi adesse Reliquiæ.

Certum est in defectu Reliquiarum non posse includi particulam Sacræ Eucharistiæ, quidquid aliqui in contrarium sentiant: exponitur enim Sacramentum certæ corruptioni contra finem suum (est enim institutum per modum cibi) & per consequens contra reverentiam ipsi debitam. Consuetudo, si quæ olim fuit, tamquam corruptela abolita est. Unde Ostiensis in Summ. de Consecrat. Ecclesiæ vel Altaris §. *Et qualiter* verb. *Dicunt etiam*, ait: Dominus noster (intelligit Innocentium Papam) per me (de hoc) consultus habito consilio Dominorum Patriarchæ Constantino- Defectu Reliquiarum particula sacræ hostiæ non est includenda. Ostiensis.

stantinopolitani & Domini Sabinensis, quondam Mutinensis, qui ei assistebant Lugduni, mihi respondit contrarium.

405. Altare fixum violatur per pollutionem Ecclesiæ;

Sed jam locus postulat, ut breviter attingamus modos, quibus altare violatur; ita ut indigeat novâ consecratione, aut certè reconciliatione. Et primò quidem pollutâ Ecclesiâ, etiam polluuntur omnia altaria fixa, accessoriũ enim sequitur suum principale. Patet in cœmiterio, quod suprà diximus pollui cõcomitanter, quando polluitur Ecclesia, ergo multò magis altaria fixa. Rogas, an indigeant distinctâ reconciliatione? Respondeo negativè; sed sicuti concomitanter polluta sunt; sic etiam simul unâ & eâdem formâ reconciliantur.

Secundò; cùm altare fixum non sit nisi intrà Ecclesiam, vice versâ altare pollui non potest quin etiam Ecclesiæ corpus violatum censeatur: fieri tamen potest, ut Ecclesia execretur, id est, amittat suam consecrationem, v. g. per destructionem murorum, sine execratione altarium: & è converso, quòd altare execretur, v. g. per fractionem enormem, quin execretur ipsa Ecclesia, ut statim patebit ex jure.

secùs si tantùm portatile.

Dixi, *Altaria fixa*; quia portatilia non videntur habere tantam connexionem cum Ecclesia, & ideo Ecclesiâ violatâ non censentur pollui; adeoque licitum esset extra Ecclesiam in ipsis celebrare.

406. Altare non potest esse enormiter fractum. *Scotus.*

Nunc quod spectat ad execrationem altaris, *Sive fixum* (inquit Scotus 4. dist. 13. qu. 2. n. 16.) *sive mobile & portatile, oportet esse non enormiter fractum, extra de Consecratione Ecclesiæ* cap. 1. ubi sic ait Alexander III. *Ad hæc si altare motum fuerit, aut lapis ille solummodò suprapositus, qui sigillum continet confractus, aut etiam diminutus, debet denuò consecrari. Propter hoc verò nequaquam reiterare suam consecrationem Ecclesia consuevit, licèt id quidam Canones innuere videantur.*

Alex. III.

Quæris, qui sint isti Canones, & quomodo intelligendi? Respondeo de Consecr. dist. 1. can. 19. Iginus Papa dicit: *Si motum fuerit altare, denuò consecretur Ecclesia*, id est, *altare* secundùm Gloss. ibi verb. *Ecclesia*. Et alia Gloss. ad cap. 1. mox citatum verb. *Canones* sic explicat ista verba: *Si mota fuerit tabula, consecretur altare*. Estque communis sententia Doctorum.

Iginus.

407. Ad execrationem altaris fixi sufficit amotio superioris tabulæ, aut ejus enormis læsio.

Profectò sufficere ad execrationem amotionem superioris tabulæ altaris fixi, vel enormem ejus læsionem, colligitur præterea ex cap. *Ligneis ædificiis* 6. de Consecrat. Eccles. ibi: *Inquisitioni tuæ taliter duximus respondendum, quòd cùm parietes in sua integritate permanserint, & tabula altaris* (id est, mensa superior) *mota vel enormiter læsa non fuerit, ob causam prædictam, nec Ecclesia, nec altare debet denuò consecrari.* Ergo à contrario sensu, si tabula altaris mota, vel enormiter læsa fuerit, altare denuò debet consecrari.

Cap. 6. de Consecr. Eccles.

Quid miramur? Ecclesia est, quæ ordinavit consecrationem; Ecclesia est, quæ ordinat talem execrationem. Nec immeritò; quia per illam motionem destruitur altare priùs consecratum; fuit enim consecratum, ut fixum (de illo quippe loquor) adeoque ut totum aliquod compositum ex mensa sive tabula superiori & structura inferiori sive basi (lapidea, lignea perinde est) alterâ ergo parte, vel utriusque conjunctione destructâ, destructio altaris à nemine potest negari. Quid ergo mirum si altare vetus perdat suam consecrationem (nam esse consecratum supponit esse) aut si altare noviter exstructum indigeat novâ consecratione?

Quæ consecrationis alteri obstabula.

Et eadem est ratio enormis læsionis, quam voco, quando ita læditur sive frangitur inferior pars altaris, ut superiorem commodè non possit sustinere, vel ita frangitur tabula superior, ut non possit in ea commodè collocari major pars calicis & patenæ. Patet; quia tunc ampliùs non est altare, nam altare, sive fixum, sive mobile importat lapidem tantæ magnitudinis, secundùm superiùs dicta, ut in eo commodè possit reponi major pars calicis & patenæ.

408. Obstabit fissura.

Nec obstat, quòd omnes partes maneant simul; quia requiritur unitas physica, ut suprà ostendimus. Unde si pars lapidis non consecrati addatur seu inseratur parti consecratæ, non propterea fit consecrata; quoniam pars addita non facit unum physicè continuum cum consecrata. Quare, nisi pars consecrata tanta sit, ut se solâ possit sustentare calicem & patenam, uti eâ minimè licebit, prætextu quòd modo dicto fuerit refecta.

Consecratum alteri obstabit.

Scio, quòd si assuatur frustum serici non benedictum, planetæ v. g. benedictæ, tota planeta erit benedicta: idemque si parùm aquæ, vel olei infundatur in aquam benedictam, vel oleum consecratum, scio, inquam, quòd tota aqua erit benedicta, & totum oleum consecratum; quoniam major pars ad se trahit minorem. At hoc in casu nostro dici non potest; quia requiritur dicta unitas physica, non tantùm contiguitatis, sed veræ continuitatis. Jam autem pars lapidis alteri inserta, nequaquam ei continuatur, sicuti pars aquæ aut olei continuatur alteri parti, cui infunditur.

Si dixeris, etiam frustum serici, quod assuitur planetæ, non continuatur illi; fateor, interim habet illam unitatem, quam planeta requirit, utpote quæ non solet confici, nisi ex diversis partibus discontinuis, sibi mutuo assutis. Lapis autem, ex quo communiter fit altare, solet esse unus physicè secundùm continuationem omnium partium.

409. Breviter

Ex dictis patet aram, sive altare portatile non perdere suam consecrationem, ut superiùs

à ligno non perdit consecrationem,

breviter attigi, per hoc, quod separetur à ligno, cui ad ornatum & faciliorem conservationem erat inclusum, utique quia illud lignum non est pars istius altaris; sed tota consecratio cadit super solum lapidem, qui per illam separationem neutiquam perdit suam formam; cur ergo perderet suam consecrationem? Unde videmus multas aras nulli ligno inclusas, super quas tamen indubiè licitum est celebrare.

etsi in ligno foret locus Reliquiarum.

Quod etiam verum existimo, tametsi in ligno esset sigillum sive locus Reliquiarum: nam suprà probavimus Reliquias non esse de substantia consecrationis; consequenter videtur dicendum, quòd per fractionem sigilli seu amotionem Reliquiarum, nequaquam violetur seu execretur altare fixum vel portatile; apto interim remanente lapide ad Sacrificium. Si enim primò altare potest consecrari absque sigillo vel Reliquiis; cur non poterit retinere consecrationem acceptam, etsi sigillum frangatur, & Reliquiæ auferantur? Siquidem adhuc manet eadem forma substantialis.

410. Neque si frangantur omnia ejus cornua,

Et par ratio videtur esse, si frangantur omnia cornua altaris, tametsi illa sola sacro Chrismate in ejus consecratione soleant inungi, neque enim illa cornua sunt forma substantialis, ut patet si consecretur altare rotundum; & aliunde per illam unctionem non cornua solùm consecrantur, sed totum altare; quare si pars remanens sufficiat ad Sacrificium, remanet consecrata.

aut in plures partes dividatur si quælibet pars sit satis magna.

Immo si in multas partes altare portatile divideretur, & unaquæque caperet patenam & calicem, nulla amitteret consecrationem, & consequenter possemus iis in pluribus Ecclesiis uti ad celebrandum. Testatur autem Thomas Tamburinus lib. 1. de Sacrificio cap. 5. §. 1. nu. 16. se vidisse in Domo professa Panormitanâ aras tam latas, ut altari octo vel novem palmorum superimpositæ, totam superiorem ejusdem altaris superficiem adæquent. Hæ procul dubio dividi possent in plures partes, quarum singulæ caperent patenam & calicem.

Tamburinus.

411. Per celebrationem excommunicati, suspensi &c. non violatur altare;

Sed numquid execratur altare, si in eo celebraverit excommunicatus, suspensus &c.? Respondeo non magis, quàm ipsa Ecclesia. Attendite quid dicat Honorius III. cap. *A nobis* 2. de Sacramentis non iterandis. *A nobis*, inquit, *humiliter quæsivistis quid fieri debeat .... de indumentis Sacerdotalibus, cum quibus, nec non de altaribus, in quibus degradati Presbyteri celebrarunt: Nos autem inquisitioni vestræ breviter respondemus, quòd non concedimus ob hoc dumtaxat .... debere indumenta talia iterum benedici, vel reconsecrari altaria supradicta.*

Honor. III.

412. neque per Episcopi excommunicati benedictionem;

Quæ autem celebrationis excommunicati &c. eadem, vel major est ratio benedictionis, si fortè ab Episcopo excommunicato &c. altaria fuerint benedicta vel consecrata; credendum enim propter hoc dumtaxat non debere iterum benedici, vel reconsecrari hujusmodi altaria: argumento cap. 20. de Consecrat. dist. 1. ubi ex Concilio Nicæno referuntur isthæc verba: *Ecclesiis semel Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi, nisi aut ab igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cuiuscumque semine pollutæ fuerint: quia sicut infans à qualicumque Sacerdote in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti semel baptizatus, non debet iterum baptizari, ita nec locus Deo dicatus, iterum consecrandus est, nisi propter eas causas, quas superiùs nominavimus: si tamen fidem Sanctissimæ Trinitatis tenuerint, qui eum consecraverunt.*

benedictionem; *Nicænum.*

Scio aliquos, & satis multos contrarium sustinere; videlicet Ecclesiam pollui si fuit benedicta vel consecrata ab aliquo Episcopo excommunicato non tolerato; adeoque indigere reconciliatione, sed absque ullo fundamento in jure, à quo tamen solo dependet omnis violatio Ecclesiæ. Immo jus statim citatum non obscurè indicat nostram sententiam, postulans dumtaxat in consecrante fidem Sanctissimæ Trinitatis.

quamquam multi contrarium doceant.

413. Objectio.

Dices cum Adversariis; ex jure constat quòd sepultura excommunicati polluat locum sacrum: ergo multò magis consecratio ipsa transiens per os excommunicati, eundem locum polluet.

Responsio.

Respondeo Negando Consequentiam; quia in hujusmodi legibus pœnalibus argumentum à simili est inefficacissimum. Neque argumentum à paritate rationis sufficit; quia potuit Ecclesia prudenter velle eâ ratione uti in uno casu, & non in alio, ne aut casus nimium multiplicaret, aut omnes impunitos relinqueret.

Posset etiam negari paritas rationis; quia injuria quę fit Ecclesię per sepulturam hominis excommunicati, est vel major, vel permanentior, quia videlicet corpus ab Ecclesia præcisum, quasi in custodiam committitur loco sacro.

Non valet hic argumentum à paritate rationis.

Et sanè si licet argumentari à paritate rationis, cur non valeat hoc argumentum: Ecclesia vel altare non polluitur ex eo quòd excommunicatus in eo celebret; ergo non polluitur ex eo quòd excommunicatus illud consecret? Item si argumentum à simili est efficax: sicuti Ecclesia polluitur, dum in ea excommunicatus sepelitur, ita quoque polluetur, dum Sacerdos excommunicatus aliquem solemniter in Ecclesia sepeliet, quod tamen sine dubio falsum est.

414. Ipsâ consecratione non potest altare violari.

Denique si propriè loquamur & in rigore metaphysico; violatio Ecclesiæ vel altaris supponit consecrationem: ergo non fit ipsâ consecratione. Ergo si validè consecrat Episcopus excommunicatus, ut omnes supponunt; quia consecratio Ecclesiæ substantialiter non requirit jurisdictionem, sed potestatem dum-

dumtaxat Ordinis, quam non aufert excommunicatio, non est cur polluatur vel suspendatur talis locus, quò minùs exercere possit munus loci sacri, quia in ipso ut sic nihil factum fuit, quo posset pollui.

Et dato quòd suspenderetur, sicuti excommunicatus, qui ordinatur validè, suspensus relinquitur, ne Ordines exercere possit: quo jure probatur, quòd talis Ecclesia debeat reconciliari eo modo, quo Ecclesia polluta sanguinis vel seminis effusione? Certè sufficerent illi modi, quibus tolluntur aliæ suspensiones à jure, vel ab homine inflictæ. Unde magis censeri deberet talis Ecclesia interdicta, quàm polluta, & ideo minimè indigens hujusmodi reconciliatione. Quamquam secundùm dicta neque pollutio ullo jure expressa inveniatur, neque interdictum, vel suspensio, ut propterea nullatenus asseri debeat.

415. An consecratio bonâ vel malâ fide facta in altari violato illud reconciliet? *Bassæus.*

Quærunt etiam hic aliqui: an si quis bonâ vel malâ fide celebret in altari non consecrato aut profanato, remaneat consecratum. Respondet Bassæus: illi, qui id negant de Ecclesia polluta, aut de calice nondum consecrato, negabunt etiam de altari, quòd remaneat consecratum, cùm militet eadem ratio. Sed cùm contraria sententia sit valde probabilis, dico non esse opus aliâ consecratione, sed posse in ipso celebrari.

Ratio est; quia consecratio non est aliud, quàm quædam deputatio, quâ altare deputatur ad offerendum Sacrificium Deo, & effectus consecrationis non est alius, quàm sanctificare; & hoc totum habetur ex celebratione in ipso: nam plùs est deputari divino cultui facto, quàm ceremoniis; per celebrationem autem facto ipso deputatur altare divino cultui, & ex hoc fit, quòd sanctificetur, eò quòd concurrat ad actionem sanctissimam, qualis est Sacrificium, eam in seipso suscipiendo. Hucusque Bassæus.

Quem si interrogarem, nùm Ecclesia anteà non consecrata, si fortè in ea celebretur, & alia peragantur divina Officia, remaneat consecrata, putas quòd affirmaret? Profectò, etsi multi doceant Ecclesiam pollutam reconciliari per celebrationem, neminem tamen hactenus legi, qui audeat asserere, etiam primò per illam consecrari: ergo licèt concederemus altare pollutum sufficienter reconciliari per celebrationem, adhuc minimè sequitur, etiam primò per illam consecrari. Vide dicta Conclusione 13.

416. An particulæ consecratæ debeant manere in altari usque ad Communionem? *Rubr. Miss.*

Illud pro fine hujus Conclusionis addo, valde decens esse ut particulæ consecratæ pro Communione populi facienda, quæ secundùm Rubricas Missalis Tit. Ritus servandus in celebratione Missæ cap. 2. nu. 3. tempore oblationis & consecrationis positæ fuerant *super corporale ante calicem, aut in aliquo calice vel vase mundo consecrato .... retrò post calicem*; utique super altare vel aram, saltem tempore consecrationis, decentissimum, inquam, esse, ut ibidem permaneant usque ad Communionem Sacerdotis inclusivè; quoniam & illæ particulæ sunt victima ejusdem Sacrificii, & omnes cum majori hostia per modum unius sine discrimine offeruntur; adeò ut per se loquendo sufficeret ad integritatem Sacrificii, si Sacerdos communicaret ex illis particulis, relictâ majori hostiâ integrâ & intactâ, vel etiam aliis per partes distributâ. Hinc etiam benedictiones, & cæteræ ceremoniæ æqualiter spectant ad omnes.

417. Major hostia debet manere super altare usque ad ejus sumptionem.

Sicuti ergo major hostia non tantùm tempore consecrationis, quando est in manibus Sacerdotis, sed etiam toto tempore sequenti usque ad ejus consumptionem omnino collocari debet, & locata remanere super altare sive aram; simili certè ratione, si non debeat, saltem maximè conveniens est id ipsum observari circa minores particulas, ut videlicet non priùs auferantur ex altari, quàm Sacrificium, cujus sunt hostia, fuerit integraliter completum per Communionem Sacerdotis.

Profectò minùs congruit, ut alii participent priùs de Sacrificio, quàm ipse Sacerdos, qui est principaliter offerens & sacrificans respectu aliorum. Et verò quid aliud significant omnes Liturgiæ & Ritualia ac Regulæ antiquæ, quæ semper primo loco ponunt Communionem Sacerdotis celebrantis, & postea Communionem Cleri & populi? Ut propterea non videatur ille ordo facilè pervertendus.

418. An Communio Sacerdotis debeat præcedere Communionem populi?

An autem strictè obliget, non ausim affirmare, quia talis obligatio nullo jure efficaciter probatur; immo contrarium sæpiùs ab aliquibus practicatur sine ullo scrupulo, quando populus v. g. in alio altari expectat Communionem, & non adsunt aliæ hostiæ, quæ possint ipsis distribui: alioquin communiter solent relinqui in altari usque ad finem Missæ, aut saltem usque ad Communionem inclusivè.

Cæterùm etiam sine ulla causa posse statim post consecrationem reponi in Sacrario, aut populo distribui, videtur probabile, & docet Dicastillo disp. 4. n. 148. quia quòd debeant remanere in altari, nullo jure, ut jam jam diximus, efficaciter probatur; satis quippe est ad integritatem Sacrificii & verificationem benedictionum, aliarumque ceremoniarum, quòd remaneat in altari pars ejusdem victimæ, quæ possit recipere illas benedictiones, & in qua possit Sacrificium consummari; præsertim cùm in aliis partibus Sacrificium non sit consummandum. Dicastillo.

Quòd autem populus priùs participet de Sacrificio, quàm ipse Sacerdos, per accidens est. Et quamvis decentius sit, quòd Sacerdos primo loco communicet, equidem si pro commoditate populi aliter fiat, nihil video,

video, inquit Dicastillo nu. 149. in hoc esse peccati.

Sed pergamus ad alia, ad ornamenta, inquam, altaris, quæ varia sunt, atque in primis

CONCLUSIO XXI.

Altare oportet esse ornatum duabus mappis lineis, ubi moris est, benedictis; insuper Corporali de sindone munda. Accedat lumen, saltem unicum, liber Missalis, & Crux.

419. Altare oportet esse ornatum tobaliis duabus consecratis secundùm Scotum,

EST communis, & satìs patet ex perpetuo usu Ecclesiæ. De prima & secunda parte sic scriptum reperio apud Scotum 4. dist. 13. quæst. 2. num. 16. *Hæc etiam vasa* (intelligit altare, calicem & patenam) *oportet esse ornata, altare quidem tobaliis duabus, ubi est mos Ecclesiæ, consecratis; & quod magis præcisum est Corporali de sindone munda. Et oportet quòd illud Corporale cooperiat ad minus locum calicis, & hostiæ quæ debent collocari super altare consecratum, sive totum immobile consecratum sit, sive super mobile, ubi requiritur usus eius.*

secundùm Rubricas tribus,

Et quidem Rubricæ Missalis Tit. Rubricæ generales cap. 20. videntur requirere tres mappas: *Altare*, inquiunt, *operiatur tribus mappis seu tobaliis mundis, ab Episcopo vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblongâ, quæ usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus vel unâ duplicatâ.* Hinc Tit. de Defectibus cap. 10. n. 1. inter alios defectus in ministerio ipso occurrentes ponitur: *Si celebretur in altari tribus mappis non cooperto.*

à Corporali distinctis:

Quòd autem hìc sit sermo de tribus mappis præter Corporale patet; quia de Corporali specialiter tractant Rubricæ Tit. Ritus servandi in celeb. Missæ cap. 1. nu. 1. ibi: *Super velum ponit hujusmodi coloris paramentorum intus habentem Corporale plicatum, quod ex lino tantùm esse debet, nec serico vel auro in medio intextum, sed totum album, & ab Episcopo, vel alio habente facultatem simul cum palla benedictum.*

420. ut etiam decrevit Pius V.

Accedat Decretum Pii V. quod refertur de Consecrat. dist. 2. cap. *Si per negligentiam* 27. ibi: *Si super linteum altaris & ad aliud stillæ* (Sanguinis Christi) *pervenerit, quatuor diebus pœniteat. Si usque ad quartum, viginti diebus pœniteat.* Ubi fit mentio quatuor linteaminum, utique Corporalis, & trium mapparum sive tobaliarum.

Verùm tamen sicut huic Decreto derogatum est consuetudine, quantùm ad pœnitentiam, quæ ibi injungitur Sacerdoti, cujus negligentiâ aliquid de Sanguine Domini stillaverit; ita etiam facilè derogari potuit, & censetur de facto consuetudine derogatum numero mapparum, sive linteaminum: quamquam enim sit decentius, ut præter Corporale tres adhibeantur, & ita in multis Ecclesiis adhuc observetur; equidem sine scrupulo propter auctoritatem communem Doctorum celebratur passim super altare coopertum tantùm duabus mappis præter Corporale.

cui decreto est per consuetudinem derogatum.

421. An adhibitio unius tantùm mappæ cum Corporali sit mortalis? *Præpositus.*

Immo Præpositus 3 parte q. 83. nu. 167. censet non improbabilem sententiam, quæ docet non peccari mortaliter ab eo, qui ob aliquam necessitatem solùm adhibet unam mappam præter Corporale: quia, inquit, illa omissio non videtur esse ita gravis.

Ego autem dico, si illa omissio ex se sit materia levis, veluti omissio v. g. cinguli, ut multi docent, quidni sicuti necessitas excusat omissionem cinguli ab omni peccato, ut iidem consequenter asserunt; ita quoque excuset omissionem unius mappæ?

Gradus verò necessitatis non est hìc valde strictè accipiendus. Quare necessitas audiendi & celebrandi Sacrum die Festivo, fervor devotionis, & tentato voluntas tentationem eo remedio superandi; immo & Sacerdoti pauperi opportunitas eleëmosynæ satìs superque in prædicta parvitate, etiam à veniali, celebrantem excusabit. Ita Thomas Tamburinus lib. 1. de Sacrificio cap. 3. §. 1. n. 4. de omissione cinguli; & consequenter de omissione unius mappæ cap. 5. §. 2. n. 1. *Tamburinus.*

Una mappa duplicata æquivalet duabus.

Rogas, an una mappa duplicata æquivaleat duabus? Respondeo cum pluribus Doctoribus affirmativè. Hinc si Corporale sit paulò majus, poterit plicari & altera pars servire loco secundæ mappæ.

422. An sit obligatio benedictionis?

Quantùm ad benedictionem istarum mapparum, optimè Doctor Subtilis refert se ad consuetudinem: quia tunc temporis ex jure scripto non poterat ostendi aliqua obligatio, neque hodie ostendi potest saltem gravis. Præscribitur quidem benedictio à Rubricis, ut patet ex verbis suprà citatis, & inter defectus in ipso ministerio occurrentes recensetur: *Si mappæ non sint benedictæ.* Tit. de defect. c. 10. n. 1. & in Rituali Romano inter cæteras benedictiones, ponitur benedictio mapparum, sive linteaminum altaris; sed quid tum? Etenim multæ benedictiones ibi recensentur, sive ordinantur ab Ecclesia, quæ licèt utiles, haud equidem necessariæ sunt, & non omnes Rubricæ obligant sub mortali: sed aliquæ ad summum sub veniali, quidni inter illas hæc numeretur? Non video quid obstet.

Hinc Layman lib. 5. Tract. 5. c. 6. nu. 11. cum aliis, quos citat, affirmat, posse in necessitate mappam mundam profanam assumi ad ornandum altare pro celebranda Missa & finito Sacro reddi ad usum profanum priorem. Quod verum existimo.

423. Corporalis benedictio necessaria ex c. 46 de Consecrat. dist. 1.

Sed numquid major necessitas benedictionis Corporalium? De ea ex Epistola Eusebii Papæ & Sylvestri hoc modo legitur de Consecrat. dist. 1. cap. 46. *Consulto omnium statuimus, ut Sacrificium altaris non in serico panno, aut tincto quisquam celebrare præsumat, sed in puro linteo ab Episcopo consecrato, terreno scilicet lino procreato atque contexto: sicut Corpus Domini nostri Iesu Christi in sindone linea munda sepultum fuit.* Ecce quasi in terminis secunda pars Conclusionis, de qua proinde nemo dubitat.

ob immediatum Corporis Christi contactum.

Cur autem magis requiratur benedictio Corporalium, quàm mapparum, ratio est; quia Corporalia immediatè tangunt Corpus Christi, adeoque proximè deserviunt ad Sacrificium: quid ergo miramur si requirant majorem sanctitatem, quàm mappæ, quæ, ut patet, non tangunt immediatè Corpus aut Sanguinem Christi, & remotè tantùm concurrunt ad Sacrificium?

424. An sit necessaria benedictio pallæ?

Et quamvis olim quæ Corporalis, eadem fuerit ratio pallæ, quâ calix cooperitur; erat enim pars Corporalis: equidem hodie quando palla est omnino separata & condistincta, videmus in multis locis illam, etiam ex ea parte quâ tangit calicem, non esse lineam, albam, & benedictam, estò Rubricæ Missalis id præscribant Tit. Ritus servandus &c. cap. 1. n. 1. *Rubr. Miss.* ibi: *Eam* (patenam) *tegit parvâ pallâ lineâ, tum velo serico: super velum ponit bursam coloris paramentorum, intùs habentem Corporale plicatum* &c. *simul cum palla benedictum.*

Nihilominus, sicut dixi, videmus in aliquibus locis contrarium fieri, & sine scrupulo. Credo, quia palla non tangit immediatè Corpus aut Sanguinem Christi, ideo minoris illa Rubrica æstimatur; unde non ausim definire obligationem sub mortali, quidquid sit de veniali, ubi consuetudine Rubrica illa non est abrogata.

Nota etiam, quòd inter defectus in ipso ministerio occurrentes non recenseatur: *Si palla non sit benedicta*, ex quo faciliùs omissio benedictionis etiam à peccato veniali posset excusari.

425. An Corporale possit esse serico vel auro intextum?

Interea indubitatum est tam Corporale in extimis partibus, quàm pallam in parte superiori, quâ calicem non tangit, ex quacumque pretiosa materia vel colore ornari posse, ut patet de Corporali ex Rubricis suprà allegatis ibi: *Nec serico vel auro in medio intextum*, id est, in illa parte in qua solet reponi hostia consecrata: ergo in aliis partibus potest esse serico vel auro intextum; quia, ut communiter dicitur, exceptio firmat regulam in contrarium.

Objectio solvitur.

Si dixeris: Sanguis Christi reponitur in calice aureo vel argenteo. Respondeo, etiam Corpus Christi in patena aurea & argentea: ergo etiá potest reponi in Corporali argento & auro in medio intextum, Nego Consequent. Ratio disparitatis est voluntas Ecclesiæ, quæ, ut ait Doctor Angelicus 3. p. q. 83. a. 3. ad septimum: *Vbi potuit sine periculo fieri, statuit circa hoc Sacramentum id, quod expressius repræsentat passionem Christi. Et ideo licet calix* (qui repræsentat sepulchrum) *non fiat de petra* (ne Sanguinem imbibat) *Corporale tamen sit de panno lineo, quo Corpus Christi fuit involutum. Vnde in Epistola Sylvestri Papæ in eadem distinct.* (1. de Consect.) *legitur:* Consulto omnium &c. *Competit etiam pannus lineus propter suam munditiam, ad significandam conscientiæ puritatem: & propter multiplicem laborem, quo talis pannus præparatur, ad significandam Christi passionem.* D. Thom.

426. Purificatorium sit lineum.

Cæterùm præter pallam & Corporale lineum requiritur purificatorium, quo calix tergitur, similiter album, & ex lino, non tamen necessariò benedictum, ut habet praxis Ecclesiæ, & censent communiùs Doctores contra Layman suprà n. 12. dicens: Sextum (ornamentum altaris) est purificatorium, ex lino factum, quod benedictum esse oportet. Jure scripto, an consuetudine, non meminit, neque allegat aliquem Auctorem, neque ullam rationem, & ideo non audiendus.

Sanè nulla specialis benedictio purificatorii invenitur in Rituali Romano, quamvis alioquin satis propinquè attingat Sanguinem Domini, & interdum fortasse aliquæ reliquiæ Corporis vel Sanguinis illi adjungantur.

427. Prædicta ornamenta altaris possint legitimè fieri ex cannabe, vel gossipio. Posse ex cannabe, mihi certum est, inquit Tamburinus lib. 1. de Sacrificio c. 5. §. 3. n. 3. si quidem telæ ex cannabe censentur in humana acceptione, & usu lineæ; iis enim ad sternendas mensas, & ad interiores tunicas communiter utimur, ad quarum similitudinem mappas, Albas, & prædicta assumpsit Ecclesia. Prædicta ornamenta posse fieri ex cannabe docet Tamburinus.

Prosequitur dictus Auctor: majus dubium est de gossipio, de quo tamen sic habet Azor p. 1. lib. 10. c. 28. q. 8. Plinius lib. 19. c. 1. testatur ex gossipio fieri lina Xylina: quod si ex eo fiunt lineæ vestes, hoc sufficit. Ita Azor, & quidem probabiliter, loquens de Corporali, id quod propter paritatem rationis, de aliis prædictis dici rectè potest. Azor. Plinius. Idem venit de gossipio.

Confirmo proferendo verba Plinii: *Superior pars Ægypti*, ait, *in Arabiam vergens, gignit fruticem, quem aliqui Gossipion vocant, plures Xylon, & ideo lina indè facta Xylina. Parvus est, similemq; barbatæ nucis defert fructum, cuius ex interiori bombyce lanugo netur, nec ulla sunt eis in candore, molitiave præferenda.* Hæc Plinius. Ubi nota illud: *Lina indè facta*; linea ergo est ex gossipio contexta tela: estò enim linum, cannabis, & gossipium specie physicâ inter se differant; non differunt in hominum acceptatione, usuque vestium.

Nota item obiter, ætate Plinii in ea tantùm Regione crevisse Xylon; nunc passim in Sicilia, & Italia colitur, & vulgare est, vocaturque *Cottone*, vel *Bambace*. Hactenus Tamburinus.

Et

428. Requiritur prædictorum ornamentorum munditia.

Et hæc quidem de substantia prædictorum ornamentorum; sed quid dicam de eorum munditia? Uter verbis Innocentii III. cap. *Relinqui nolumus* 2. de Custodia Eucharistiæ. *Innoc. III.* *Sunt & alii, qui non solùm Ecclesias dimittunt incultas, verùm etiam vasa ministerii, & vestimenta ministrorum ac pallas altaris, nec non & ipsa Corporalia tam immunda relinquunt, quòd interdum aliquibus sunt horrori. Quia verò zelus nos comedit Domus Dei .... Præcipimus ut Oratoria, vasa, Corporalia, & vestimenta prædicta munda & nitida conserventur. Nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis.*

Posset immunditia esse mortalis culpa, quandoque venialis, quandoque nulla.

Propter hoc præceptum aliqui Doctores censent illam immunditiam esse peccatum mortale, alii id limitant ad Corporalia, quæ immediatè contingunt ipsas species consecratas, præsertim si immunditia sit enormis; alioquin communiter non videtur esse nisi veniale, secluso scandalo & contemptu: imò nullum peccatum, si ex necessitate in illis celebretur, maximè ab his, ad quos non spectat cura ornamentorum; nam cui ex officio incumbit prædicta disponere & curare, ut munda sint, faciliùs potest graviter peccare, quod judicio prudentis relinquitur, prout etiam enormitas immunditiæ.

429. Corporalia, & purificatoria &c. sunt à Diacono lavanda,

Rogas à quo lavari debeant Corporalia, purificatoria, & similia, si fuerint sordidata? Respondeo, saltem ex convenientia à Diacono, in vase ad hoc præparato, lotionemque mittendam esse in Piscinam sacram seu Sacrarium; quod hìc nihil aliud est, quàm locus in pariete, seu sub terram defossus, & ab aliis profanis usibus separatus, in quem hæc lotio, & similia, projici ob reverentiam solent.

quantùm ad primam lotionem.

Hoc autem communiter intelligitur de prima lotione, nam hâc per Diaconum habitâ, passim laici sine ullo scrupulo & fœminæ, præsertim sacræ virgines, ea meliùs lavant, tergunt, & reficiunt.

Dicastillo.

Ubi bene notat Dicastillo disputat. 4. num. 164. aliquas ita velle quandoque parare & levigare Corporalia amydo infecta, ut potiùs videantur incrustare, & tegere materiam ipsam telæ, & sæpè contingat, non in tela ipsa linea, sed in ipsa amydi crusta celebrare; imò fortè, ut sæpè fit, aliqui etiam Sacerdotes scrupulosi nimis illam ipsam crustam patenâ abraserint, quasi essent particulæ hostiæ consecratæ, quæ omnia meritò evitanda sunt. Hæc ille.

430. An sit stricta obligatio?

Dixi in responsione, *Saltem ex convenientia*; quia aliquibus Auctoribus, neque ex jure positivo, neque ex ratione naturali efficaciter probatur stricta obligatio, adeò ut probabile ipsis sit, laicum, qui sine necessitate primò lavat Corporalia, nec peccare venialiter. Et sanè si verum est, quod alii docent, non esse veniale tangere Corporalia munda, consequens planè videtur, neque esse veniale ea sordida primò lavare; in lotione enim nihil aliud intervenit, nisi quidam contactus.

Illum autem nullo jure esse prohibitum, censet Tamburinus sup. cap. 2. §. 1. n. 12. cum aliis, quos citat, expendens singulos textus (à n. 13. usque ad finem §.) qui communiter adferuntur pro contraria sententia; sed quia in his non tantùm agitur de contactu Corporalium; sed etiam calicis & patenæ, de quibus posset esse major difficultas propter unctionem sacri Chrismatis, quæ in eorum benedictione intervenit, hinc commodius infrà illos explicabimus. *Tamburinus.*

Solùm hìc expendo particularem illum textum, per quem Doctores communiter existimant prohiberi lotionem Corporalium, de qua impræsentiarùm agimus. Est autem textus hujusmodi: *Pallas & vela Sanctuarii si sordidata fuerint ministerio, Diaconi cum humilibus ministris intrà Sanctuarium lavent; non ejicientes foràs à Sacrario, & velamina Dominicæ mensæ abluant, ne forte pulvis Dominici Corporis malè decidat.* Ita Clemens Papa Jacobo Hierosolymitano Episcopo Epistolâ 2. & refertur can. *Nemo per ignorantiam* 40. de Consecr. dist. 1. 431. Explicatur cap. 40. de Consecrat. dist. 1. *Clemens.*

Ubi in primis notat Glossa, huic Canoni quo ad vela esse consuetudine derogatum: *Et vela*, inquit, *id est ornamenta altaris, vel vela, id est, cortinæ. Huic hodie derogatum est consuetudine generali.*

Secundò per *Pallas*, Glossa ibi & in capite præcedenti intelligit Corporalia; quod à Doctoribus propter identitatem rationis meritò extenditur ad purificatoria, calices, patenasque.

Notâ tertiò, hunc textum concedere prædictam lotionem Diaconis cum humilibus ministris, quos licet interpretari Subdiaconos, aliosque Clericos minorum Ordinum, ac primæ Tonsuræ. Cur igitur, inquit Tamburinus suprà c. 2. §. 2. n. 8. plures Doctores id coarctent ad unum Diaconum? Si licet igitur meo intellectu hunc Canonem explicare, sensus erit, ut Diaconi tamquam ii, quibus cura Sacrorum incumbit, assistant, minores ministri lavent; tunc enim rectè dicetur Diaconus cum ministris lavare, sicut domina cum ancillis dicitur domûs servitia exhibere, illa scilicet dirigente, his exequentibus. Hæc ille. *Tamburinus.*

Cæterùm loquendo de laicis, puto, inquit idem Auctor, iis nequaquam in hoc textu prohiberi, ne sub veniali quidem, primam prædictorum lotionem. Probat; quia ut patet ex littera, nullum verbum est ostendens obligationem ejusmodi; solùm enim dicitur: *Diaconi cum ministris lavent*: hoc autem imperativum nec ex se significat prohibitionem sub peccato in opinione probabilissima (quàm probabilis sit hæc sententia, nolim hìc disputare, mihi certum est, multa esse prohibita in Regula nostra, etiam sub mortali 432. & ostenditur illa non prohiberi laicis primam lotionem.

per solum verbum imperativum juxta declarationem Clementis V. Clementinâ: *Exivi de Paradiso* de Verborum significatione) & multò magis hìc ex Pontificis mente, qui explicare dumtaxat in hoc textu intendit, id esse officium Diaconorum & aliorum ministrorum; cæterùm an ab aliis idem fieri possit, nec annuit, nec abnuit. Sanè si quis ita dicat: *Ostiarii ianuas Ecclesiæ aperiant*; ostenderet quidem officium Ostiarii, non tamen prohiberet, quò minùs ab aliis, quamvis non ex officio aperiri Ecclesiæ januæ possint. Hactenus Tamburinus.

433. Sed contrarium videtur ex aliis verbis ejusdem textûs,

Sed dicet aliquis; hæc quidem primâ fronte plausibilia apparent, interim dum rem totam tacitus mecum pensito, statim incidit scrupulus, nùm fortè textus suprà adductus, mutilatus, seu non integer, & dum illum penitiùs introspicio, ecce post verba citata illicò attexitur: *Sindonem verò non foràs abluant: & erit hæc operanti peccatum. Idcirco intrà Sacrarium ministris præcipimus hæc sancta cum diligentia custodire.*

Per *Sindonem*, intelligit Glossa verb. *Non foràs*, secundam vestem Sacerdotalem. Alii dicunt quòd est ornamentum calicis. Ego autem puto esse velamen Dominicæ mensæ, ut infrà patebit ex Originali.

434. Rogas quid significet ly *Non foràs*? Respondet Glossa, *id est, ab aliis segregatam*: ego verò existimo idem esse quod intrà sive juxta Sacrarium, ut facilè colliges ex eodem Originali. Si ergo Diacono hæc operanti, id est, sindonem foràs abluenti, peccatum erit; quantò magis erit peccatum laico foràs abluenti Corporalia, quæ magis sancta sunt?

Interim, ut rectè advertit Tamburinus suprà nu. 11. quòd linteamina sacra laventur intrà Sacrarium, quotusquisque est, qui hodie observat? Lavantur enim passim à ministris ubi libuerit in pelvi, quamvis observent illud, quòd non projiciant lotionem foràs à Sacrario.

435. & communi sensu fidelium.

Cæterùm si Pontifex lotionem intrà sive juxta Sacrarium sub peccato præceperit, quantò potiùs censeri debet voluisse præcipere sub peccato ut lotio fieret à Diaconis cum aliis ministris; adeoque voluisse eam prohibere laicis? Certè hic est sensus communis fidelium & praxis omnium timoratorum, à qua non videtur recedendum propter privatam aliquorum opinionem.

Quin si Tamburinus originalem textum inspexisset, fortè id ipsum, seclusâ contrariâ consuetudine, omnino sensisset. Verba originalia hæc sunt: *Pallas verò & vela, quæ in sanctuario sordidata fuerint ministerio, Diaconi cum humilibus ministris iuxta Sacrarium lavent, non eicientes foràs à Sacrario velamina Dominicæ mensæ, ne forte pulvis Dominici Corporis malè decidat à sindone foràs abluta, & erit hæc operanti peccatum; idcirco intrà Sacrarium ministris præcipimus, hæc sancta cum diligentia custodire.* Clemens.

Dico, *Fortè id ipsum sensisset*; quia fortè respondisset ex his verbis tantùm probari præceptum lotionis intrà seu juxta Sacrarium, ut clarè colligitur ex ratione motiva legis: *Ne fortè pulvis Dominici Corporis malè decidat à sindone foràs abluta*: quæ utique ratio solùm concernit lotionem foràs à Sacrario; minimè autem lotionem, quæ fieret à laico intrà, seu juxta Sacrarium.

Quantùm ad praxim communem, fortè dixisset, multa practicari à timoratis, quæ magis convenientia sunt, licèt non omnino necessaria. Sed de his rursum infrà; ubi etiam de ministro benedictionis.

436. Ad celebrandum necessario. Progredior ad tertiam partem Conclusionis, scilicet ad lumen, quod necessarium esse, me tacente, clamat consuetudo, & colligitur ex jure scripto capite ultimo de Celebratione Miss. ibi: *Intellecto iterum quòd prædicta Eccle-* Hæres. XXX. *sia per malitiam dicti Presbyteri, multipliciter laedebatur, inquisitionis officium iterans, ex eius confessionibus invenisti, quòd idem sine igne sacrificabat & aqua.* Et sequitur: *Cùm igitur vel ex aperta malitia, vel nimia desipientia peccasse probetur: Mandamus, quatenus Officio & Beneficio perpetuò ipsum prives.*

437. Nec satisfeceris dicendo, punitur ibi Presbyter ob alia crimina. Responsio enim est plana: punitur ob alia crimina & unà propter illud, quod commisit celebrando sine lumine; hoc namque inter cætera ibi enumeratur. Adeò ut Tamburinus lib. 1. cap. 5. §. 4. existimet illicitum celebrare Missam sine lumine saltem uno, etiamsi necessaria foret ad dandum Viaticum infirmo. Etiam si necessaria sit ad dandum Viaticum infirmo Tamb.

Quæris, quare potiùs liceat celebrare Missam post sumptum cibum aut potum, quando est necessaria ad communicandum infirmum, quàm sine lumine? Respondeo, quia præceptum jejunè communicandi multas patitur exceptiones; non legitur autem Ecclesia unquam dispensasse, nec quempiam aliquando impunè attentasse Missam celebrare sine lumine, quod signum est hanc legem majoris esse momenti. Ergo celebrare Missam sine lumine saltem uno, præsertim quando nulla est necessitas, indubiè erit peccatum mortale.

438. Sufficit unum. Dixi, *Saltem uno*; quia licèt, ut habet communis consuetudo, magis congruum sit adhibere duo lumina, equidem aliquibus non videtur esse stricta obligatio.

439. An autem lumen illud ardere debeat in candela cerea, est major difficultas, communiter affirmant Doctores, nisi in casu prudentis necessitatis, in quo utique existimat Dicastillo disp. 4. n. 160. nullum esse peccatum; immo seclusò scandalo satiùs esse celebrare cum lumine olei, quàm non celebrare.

Tota

Tota ergo necessitas ex parte defectûs cereę spectanda est; si adhibitâ morali diligentiâ haberi non possit, tunc celebretur, inquit ille, cum alio lumine, & non propterea omittatur celebratio. Et quidem olei usum, prout etiam candelæ sebaceæ, in Ecclesiis esse coram Venerabili Sacramento, nemo non videt. Et olim in Sanctuario lampades in cultum Dei ardebant.

Alii paulò majorem requirunt necessitatem, quamvis non adeò magnam, illam scilicet, quæ sufficit ut Sacerdos celebret sine vestibus Sacerdotalibus minoris momenti, de quibus infrà; præciso semper scandalo, quod facilè fieri potest, si instruat Sacerdos adstantes.

Et verò vellem videre jus disponens quidpiam de materia luminis. Scio à Rubricis Missalis Tit. de Defect. cap. 10. inter defectus occurrentes in ipso ministerio numerari: *Si non adsint luminaria cerea*; sed etiam non ignoro multas Rubricas solùm esse directivas; alioquin non tantùm duo cerei erunt necessarii, sed etiam tertius accendendus in consecratione, quod ex communi usu constat esse falsum. Igitur luminaria sint cerea, quando commodè fieri potest. Sanè qui etiam sine ulla necessitate uteretur sebaceis, non auderem damnare peccati, saltem mortalis; neque illum, qui uno tantùm uteretur lumine cereo.

439. Celebrare Missam sine Missali cum periculo errandi est peccatum:

Sed numquid peccat mortaliter, qui celebrat Missam sine Missali? Respondeo cum distinctione, vel exponit se periculo morali errandi, vel non. Si primum; clarum est peccare mortaliter vel venialiter, prout error, cujus periculo proximo se exponit, gravis fuerit vel levis. De secundo dubitant Doctores, an saltem non esset peccatum veniale.

Suarez. si non sit periculum, non videtur peccatum, saltem mortale.

Suarez disp. 81. sect. 6. §. *Quartò requirunt*, sic inquit: An in aliquo casu ubi liber deest, & Sacerdos esset ita instructus, & de sua memoria confidens, ut moraliter non dubitaret posse se omnia integrè dicere sine libro; an, inquam, in eo casu esset peccatum id facere, aliorum judicio relinquo: nam ego propter multorum auctoritatem licentiam dare non audeo, & aliunde sufficienter rationem peccati non invenio.

Nec ego; in quo enim Decreto specialiter hoc est præceptum? Doctorum autem est Canones explicare, haudquaquam novos condere. Quod attinet ad Rubricam Missalis, patet responsio ex dictis. Unde hanc sententiam docet Cardinalis Lugo disp. 20. n. 78. & sequitur Tamburinus suprà §. 5. n. 1. Quæ an debeat intelligi non tantùm de peccato mortali, sed etiam veniali, relinquo judicio aliorum.

Lugo. Tamburinus.

Fortè Cardinalis non intellexit nisi de mortali, allegat enim pro se Dianam part. 2. tract. de Celeb. Miss. resol. 46. ubi quærens an talis Sacerdos peccet mortaliter. Respondet cum aliis, quos citat, non peccare; quod sufficienter posset intelligi de peccato mortali juxta propositam quæstionem.

Diana.

Tamburinus autem simpliciter asserit ipsum non peccare; sicuti, inquit, nec peccaret luscus, qui cæteras actiones exhibendas in Missa videt, nec tamen videt legere, si vel moraliter legenda sciat, vel à Sacerdote adjuvetur. Et verò quis dixerit talem luscum peccare venialiter? Porrò quid refert quòd Missale sit in altari, si eo non possum uti ad legendum? Sanè non ad ornatum, sed ad necessariam lectionem requiritur.

440. An sit peccatum mortale celebrare sine Missali in quo saltem non continetur Canon?

Nihilominus multi docent semper peccari non tantùm venialiter, sed etiam mortaliter ab eo, qui sine magna necessitate celebrat absque Missali, in quo saltem non contineatur Canon. Sed illi (salvo meliori judicio) ut alibi adhuc memini me dixisse, nimis bono pretio vendunt peccata mortalia. *Facilis* (inquit Poëta) *descensus averni, sed revocare gradum, hoc opus, hic labor est.* Herculè valde multa quotidie perpetrant filii hominum peccata mortalia, & cum illis descendunt in infernum, ut non oporteat sine magna ratione viam seu descensum inferni novis peccatis mortalibus reddere faciliorem.

Si dixeris, cessante fine legis in casu particulari solùm negativè, non cessat lex: ergo licèt periculum errandi in Canone Missæ hìc & nunc cesset, non tamen cessat ipsa lex, quæ propter periculum, quod communiter subest, generaliter est lata.

Respondeo, me nullam aliam legem strictè dictam, saltem graviter obligantem, hìc agnoscere, præter illam quæ præcipit integram recitationem Canonis: & quamvis hæc communiter requirat ad sui observantiam præsentiam Missalis in altari propter fallibilitatem memoriæ humanæ; equidem ubi moralis certitudo est integræ recitationis sine usu Missalis, liquet profectò sine usu Missalis legem istam perfectissimè adimpleri. Ergo in tali casu nulla est obligatio istius medii.

Accipe simile: qui obligatur legere Horas canonicas, ex consequenti obligatur habere Breviarium tamquam medium necessarium legendi propter memoriæ fallibilitatem, & communem ignorantiam; interim tamen si aliquis totum Officium sine periculo erroris ex memoria sciret recitare, quid opus tali homini Breviario?

441. Celebratio sine Missali non facilè consulenda.

Cæterùm non facilè alicui consulendum, ut celebret sine Missali, præsertim extra necessitatem, tum propter communem sententiam Doctorum in contrarium, tum propter periculum erroris, quod sæpè subest, ubi etiam aliquando non putatur subesse, tum propter scandalum adstantium, quod natum est indè oriri. Ex quo rectè à Rubricis Tit. de Defect. cap. 10. inter defectus in ipso ministerio

occurrentes ponitur: *Si non adsit Missale, licèt memoriter sciret Missam, quam intendit dicere.*

Perinde autem existimo, sive Missale sit scriptum sive impressum. Quid enim factum arbitramur, antequam ars typographica foret inventa? Et quid refert ad evitandum periculum erroris sive legam ex charta scripta, sive ex impressa?

442. Crux collocanda in medio altaris. *Rubr. Miss.*

Restat ut breviter aliquid dicamus de necessitate Crucis, si tamen vera necessitas est, & non magis congruentia. Præscribitur quidem in Rubricis Missalis Tit. Rubricæ Generales cap. 20. ibi: *Super altare collocetur Crux in medio*; attamen ejus absentia non ponitur inter defectus. Profectò multa in isto capite præscribuntur, quæ constat non esse obligatoria; v. g. *Ad Crucis pedem ponatur tabella Secretarum appellata. In cornu Epistolæ cubitus supponendus Missali; & ab eadem parte Epistolæ paretur cereus ad elevationem Sacramenti accendendus, parva campanula, ampullæ vitreæ vini & aquæ cum pelvicula & manutergio mundo in feneſtella, seu in parva mensa ad hæc præparata.*

Putas autem quòd hæ omnes Rubricæ, & similes obligent sub peccato? Noli putare: *Vbi enim non est lex, nec prævaricatio*, inquit Apostolus Rom. 4. v. 15. Rubrica, ut suprà memini me dixisse, nihil aliud est ex se, quàm mera quædam manuductio circa ea, quæ dicenda sunt, vel facienda, rubro colore solita scribi: nisi ergo aliunde habeatur, vel ex jure naturæ, vel divino positivo, vel Ecclesiastico, aut certè ex consuetudine quòd ea, quæ sic scribuntur, sint de præcepto, non possunt talia esse; & è contra si aliunde habeatur quòd ea, quæ sic scribuntur, sint de præcepto, non possunt non talia esse.

Rom. 4.

443. Minutiores Rubricæ non omittendæ cum scandalo,

Interim tamen cavendum primò, ne etiam minutiores Rubricæ negligantur cum scandalo, vel ex contemptu explicito, aut certè implicito, qualis est illa intolerabilis negligentia, quâ quis perpetuò, seu ut plurimùm, non curat eas servare.

444. aut animo inducendi novum ritum;

Secundò, ne negligantur animo inducendi novum ritum in Ecclesia; hoc enim per se grave est, graviterque prohibitum à Pio V. Bullâ, *Quo primum tempore* (apud Cherubinum 106. & ponitur in initio Missalis) §. 3. hisce verbis: *Ac huic Missali nostro nuper edito, nihil unquam addendum, detrahendum, aut immutandum esse decernendo, sub indignationis nostræ pœnâ, hâc nostrâ perpetuò valiturâ Constitutione statuimus & ordinamus. Mandantes, ac districtè, omnibus ac singulis Ecclesiarum prædictarum* (in quibus scilicet alia institutio à Sede Apostolica approbata, vel consuetudo supra ducentos annos observata non fuit) *Patriarchis, Administratoribus &c. illis in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes, ut cæteris omnibus rationibus & ritibus ex aliis Missalibus quantumvis vetustis hactenus observari consuetis, in posterum penitus omissis, ac planè reiectis, Missam iuxta modum, ac normam, quæ per Missale hoc à nobis nunc traditur, decantent ac legant, neque in Missæ celebratione alias ceremonias, vel preces, quàm quæ hoc Missali continentur addere, vel recitare præsumant.*

hoc enim repugnat Constitutioni Pii V.

Et infrà §. 6. sic inquit Pontifex: *Volumus autem & eâdem auctoritate decernimus, ut post huius nostræ Constitutionis ac Missalis editionem, qui in Romana adsunt Curia Presbyteri post mensem, qui verò intrà montes post tres, & qui ultra montes incolunt, post sex menses, aut cum primùm illis Missale hoc venale propositum fuerit, iuxta illud Missam decantare vel legere teneantur*, id est, juxta ritum in illo præscriptum, & non juxta alium quemlibet, ab aliis priùs inventum, vel à se noviter introducendum.

445. quam confirmavit Clemens VIII. & Urb. VIII. Debet unusquisque intelligi derogari substantialibus,

Constitutionem Pii V. confirmavit Clemens VIII. Bullâ, *Cum sanctissimum* apud Cherubinum 108. & Urbanus VIII. Bullâ, *Si quid est*, habentur in initio Missalis. Intelligo autem Pium V. de ritibus principalibus & quasi substantialibus; non autem de omnibus præscriptionibus Rubricarum, præsertim doctrinalium, & quæ moraliter loquendo non possunt, vel propter ignorantiam, aut inadvertentiam ab omnibus observari.

Pii & Tridentinum,

Et consimiliter intelligo Concilium Tridentinum quando sess. 22. in Decreto de Observandis & evitandis in celebratione Missæ, mandat Ordinariis, ut edicto & pœnis propositis caveant, ne Sacerdotes ritus alios aut alias ceremonias & preces in Missarum celebratione adhibeant præter eas, quæ ab Ecclesia probatæ, ac frequenti & laudabili usu receptæ fuerint. Ritus, inquam, quasi substantiales, præsertim animo inducendi novam formulam. Hæc latius pro intelligentia eorum, quæ adhuc superiunt explicanda.

446. An Crux illa ponenda in altari ita quo ritu vana Ecclesia.

Ut autem redeamus ad Crucem, quæ collocari solet in medio altaris, liquet profectò non esse obligationem, nisi ad summum sub peccato veniali, ubi hæc Rubrica in praxi ita est recepta. Præterea ab aliquibus docetur Crucem non esse in altari statuendam, ubi servatur clausum in tabernaculo Sanctissimum Christi Corpus: in quo enim loco adest (quamvis veluti sub cortina) ipse Dominus personaliter, alio signo ipsum repræsentare opus non est.

Sed hoc alii negant propter expressa verba Rubricæ, & consuetudinem in contrarium. Hoc certum tene, quando est exposita super altare Sacratissima Eucharistia, necessariam nequaquam esse Crucem, quia jam ipse Dominus crucifixus palam est.

Neque desunt, qui existimant, satis observari Rubricam, si adsit Crucis, vel Crucifixi effigies depicta in tabula vel pariete. Neque enim, ait Tamburinus suprà cap. 5. §. 6. n. 2. ejusmodi requisita adhiberi debent sub ritu metaphysico, & penè dicam, pharisaico, sed moral-

Sufficit Crucis effigies picta in pariete. Tamburin. opinio.

morali & humano. Quis verò moraliter ampliùs crucem requirat, si crucem habeat in prospectu (licèt non inter candelabra) ad quam & orare & incensare & quælibet circa illam officia exhibere possit? Hæc ille. Et hoc ergo tutum erit in praxi.

447. De aliis requisitis.

Omitto cætera convenienter requisita, ut pallium altaris, candelabra, & similia, superiùs per transennam ex Rubricis Missalis recensita, de quibus minor est difficultas, & quæ, utpote satis remota à sacris actionibus, benedictione, ut sacro usui deserviant, neutiquam indigent: immo quando aliquod ex istis præstò in Ecclesia non esset, id ex profanis, sed congruenter mundis, mutuo accipi ad sacrum Missæ ministerium posset, & deinde usui priori sine scrupulo reddi.

Defectu purificatorii uti quis posset sudario mundo.

Numquid etiam uti possum sudario mundo, quando non adest purificatorium? Planè, dummodò postea non impendas illud usui profano; quamvis enim, ut suprà dictum est, purificatorium non debeat esse benedictum, equidem nimis propinquè deservit sacro usui, quàm ut possit postea ad usus profanos adhiberi.

Et hæc quidem satis de loco mobili, sive vase remoto, id est, altari, ejusque ornatu. Sequitur agendum de vase proximo. Queris quod sit illud? *Vasa propinqua*, inquit Scotus 4. dist. 13. q. 2. n. 14. *sunt calix & patena*. De his instituitur

Scotus.

CONCLUSIO XXII.

Ad licitè celebrandum requiritur calix & patena, quæ debent esse de auro, vel argento, vel ubi paupertas cogit, ad minus de stanno.

448. Calix & patena ad celebrandum requisita. Triburiense.

ITa Doctor Subtilis loco statim citato & alii communiter. Prima pars constat ex perpetuo & universali usu tam Ecclesiæ Græcæ, quàm Latinæ. Et statuitur in Concilio Triburiensi cap. 18. his verbis: *Vasa in quibus Sacrosancta conficiuntur mysteria, calices sunt & patenæ, de quibus Bonifacius Martyr & Episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere, respondit:* Quondam Sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur: nunc è contrario lignei Sacerdotes aureis utuntur calicibus. *Zeppherinus 16. Romanus Episcopus patenis vitreis Missas celebrari constituit. Tum deinde Vrbanus Papa omnia ministeria sacra fecit argentea. In hoc enim sicut & in reliquis cultibus magis & magis per incrementa temporum decus succrevit Ecclesiarum. Nostris enim diebus, qui servi Patris-familias sumus, ne decus Matris Ecclesiæ imminuatur, sed magis cumuletur & amplificetur, statuimus, ut deinceps nullus Sacerdos sacrum mysterium Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi in ligneis vasculis ullo modo conficere præsumat: ne unde placari debet, indè irascatur Deus.* Ita refert Gratianus de Consecrat. dist. 1. cap. *Vasa* 44.

Et ecce ingressi sumus secundam partem Conclusionis, cujus plenissima probatio habetur eâdem dist. cap. *Vt Calix* 45. ubi ex Concilio Rhemensi cap. 6. hoc modo decernitur: *Vt calix Domini cum patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat.* Et infrà: *Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat. De ære, aut auricalco non fiat calix, quia ob vini virtutem æruginem parit, quæ vomitum provocat. Nullus autem in ligneo, aut vitreo calice præsumat Missam cantare.*

449. debent esse de auro vel argento, *Rhemense.* vel ubi cogit paupertas de stanno,

Sed cur hoc? *De vitreo*, inquit Scotus suprà, *rationale est, propter eius fragilitatem, ne Sanguis Domini periculo exponatur. De ligneo, propter imbibitionem humoris.*

Solùm obstare videtur huic doctrinæ consuetudo contraria, quam his verbis testatur Cardinalis Lugo disp. 20. n. 90. Sunt in Ecclesijs ad communem usum Sacrificii plerique calices ex ære toti seu cupro inaurato, Italicè *Rame*, Hispanicè *Cobre*, & hìc Romæ sunt innumeri, & plures patenæ; ex stanno autem nullus reperitur, quam praxim nescio quomodo nostri Recentiores non adverterint, qui quotidie in iis vasis sacrificabant.

450. nullatenus ex ære, *Lugo.*

Respondeo, non advertisse propter inaurationem; quot enim non inveniuntur, qui æs bene inauratum nesciunt distinguere, seu discernere ex argento inaurato? Sanè quàm plurimi, & credo quòd etiam ipsum Cardinalem nebulones quidam facilè decepissent, qui solent adeò affabrè annulos, & similia ærea inaurare, ut pro vero auro non rarò ea vendant.

Existimo autem hujusmodi consuetudinem tolerari; quia inauratio impedit æruginem, propter quam, ut patet ex verbis Concilii, prohibetur calix fieri ex ære. Cumque Romæ toleretur, ubi tamen exactissima deberet esse scientia & observatio hujus Constitutionis, quidni etiam alibi posset tolerari?

451. nisi inauratus,

Nam in primis Concilia jam allegata Provincialia sunt, & per consequens non obligant universam Ecclesiam, nisi in quantum ab ea sunt recepta. Porrò non esse universim recepta quoad istud punctum, patet ex consuetudine Romana. Deinde dici posset Concilium debere intelligi de ære simpliciter, id est, non inaurato, cùm legis ratio nihil aliud exigat. Quòd autem communiter in his partibus calices & patenæ sint ex vero auro vel argento, fit ad majorem splendorem augustissimi illius Sacrificii; alioquin ubi paupertas cogit, constat calices esse ex stanno.

Nec obstat Rubrica Missalis Romani reformati Tit. Ritus servandus &c. cap. 1. ibi: *Deinde præparat calicem, qui debet esse vel aureus,*

452. Objectio ex Rub.

vel

vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intùs inauratam, & simul cum patena itidem inaurata; non obstat, inquam, hæc Rubrica, quia tantùm est directiva in quantum plùs aliquid videtur requirere, quàm Decreta superiùs allegata. Solvitur.

Quod indè colligo; quia Tit. de Defectibus cap. 10. adhuc post reformationem Missalis sic legitur: *Si non adsit calix cum patena conveniens, cuius cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea, non ærea vel vitrea.* Ergo secundùm illam Rubricam nullus est defectus in ministerio, si adsit calix cujus cuppa est stannea, etiam non adhibitâ restrictione paupertatis, de qua ibi, ut patet, nulla fit mentio, quantò magìs ubi cogit paupertas? Quare concessio Canonis, *Ut calix*, nequaquam videri debet revocata per Rubricas Missalis, sed potiùs extensa.

453. Responsio ad contrariam ptaxim,

Dices; saltem praxis & consuetudo, ab omnibus Ecclesiis, ut gravis recepta & usurpata, videtur illam concessionem revocasse. Respondeo, consuetudinem non constare authenticè; siquidem non constat quòd servetur ut necessaria & obligans, præsertim ubi cogit paupertas, quæ rarò tanta est, ut Ecclesia non possit sibi providere de calice habente cuppam argenteam, & patena itidem argentea. Nam quod additur in illa Rubrica de inauratione, clarissimum est quòd in pluribus locis non observetur.

quæ non obligat nisi animo obligandi sit inducta.

Atque ut semel hoc notemus, meo judicio valde infirmum hodie ducitur argumentum à consuetudine ad probandam strictam obligationem, eò quòd vix contingat consuetudinem frequentari animo legis inducendæ, quòd tamen plerique Doctores existimant necessarium. Hinc non rarò contingit, ut aliqui sui obliti, seu potiùs obliti hujus communis doctrinæ, & præventi aliquâ opinione, illicò recurrant ad consuetudinem tamquam obligantem, cùm alioquin facilè responderent, eam non obligare. Eodem modo quo agunt cum Declarationibus Cardinalium, ubi enim favent suæ opinioni, ambabus manibus eas amplectuntur; dum autem contrariantur, unico verbo absolvunt dicentes: *Non sunt authenticæ.*

Et quamvis ad æstimandam materiæ gravitatem, plurimùm attendi debeat consensus Doctorum; non sic equidem ad inducendam legem, cùm penes Principem, & non penes Doctores resideat potestas legislativa. Doctorum ergo est explicare leges quas constat esse latas à superiori potestate; non verò novas leges condere.

454. Sine peccato etiam veniali licitè celebratur in calice stanneo,

Hinc persisto in priori resolutione, & dico, Rubricam illam Missalis, quæ requirit calicem habentem cuppam auream, vel argenteam intùs inauratam, & patenam itidem inauratam, nullâ factâ mentione calicis stannei, esse solùm directivam, in quantum plùs requirit, quàm Canones superiùs allegati: ut proinde liceat sine scrupulo, etiam peccati venialis, celebrare in calice stanneo, potissimùm ubi cogit paupertas, sicuti hodie sine ullo scrupulo etiam timorati celebrant in calice argenteo, intùs minimè inaurato, & similiter cum patena argentea non inaurata.

Enimvero Missale reformatum, ut bene notat Dicastillo disp. 4. n. 171. eo ipso quòd non tollit aliquid ex Rubricis antiquis, approbat illas, & censentur tamquam propriæ novi Missalis. Cùm igitur Rubricam illam cap. 10. reliquerit intactam (tametsi aliàs abstulerit, vel mutaverit) censetur illam, permittentem stannum, tamquam propriam vulgasse; atque adeò pro jure tam novo habenda est, ac aliæ. Unde in illa Rubrica prima explicari potest, quòd loquatur de eo quod plerumque jam fit, & de eo quod fieri procurandum est, tamquam magis decens, & conveniens splendori tanti Sacrificii: non verò de eo quod est simpliciter necessarium. Dicastillo. secundum antiquam Rubricam.

455. Pro calicis posse esse ex qualibet materia.

Cæterùm ex illa Rubrica constat pedem calicis posse esse ex quacumque materia, ære, plumbo &c. dummodò cuppa sit ex materiâ prædicta, auro, argento, stanno vel ære inurato, ubi moris est.

An cuppa possit esse gemmea. Tamburinus.

Numquid etiam ex gemma pretiosa? Respondet Tamburinus lib. 1. cap. 1. §. 1. n. 3. si sit æquè atque aurum, vel argentum pretiosa, non repugno. Rubrica enim, Canonesque concedentes aureum, vel argenteum calicem, concedunt implicitè æquè pretiosum id est, gemmeum, modò tamen gemma sit ejusmodi, ut non sit periculum quòd effringatur, vel quòd imbibat sacras vini species.

Concinit traditio Ecclesiæ Valentinæ, ubi magnâ veneratione ostenditur (teste Gavanto in Rub. Miss. part. 2. tit. 1. lit. F. ex Carthagena de Eucharistia Homiliâ 26.) pretiosus calix ex lapide Agatha seu Smaragdo, quo tradunt usum fuisse Christum Dominum in ultima Cœna, licèt non negem Bedam c. 2. de locis sacris affirmasse fuisse argenteum. Ita Tamburinus. Gavanto. Carthagena. Pro. Bed.

Sed amabo; si Christus Dominus in ultima Cœna usus fuisset calice vitreo; nùm ideo nobis eodem, aut simili uti liceret? Quid si inveniretur lignum tam pretiosum, imò pretiosius quàm aurum vel argentum, & non sit periculum quòd effringatur, vel quòd imbibat sacras vini species, nùm calice ex tali ligno uti liceret? Cùmque, ut vidimus, jura concedant calicem stanneum, cur gemma debeat esse æquè pretiosa, atque aurum, vel argentum? Interim existimo jura ista nihil disposuisse de materiis illis extraordinariis, adeoque illis licere uti, præsertim cessante periculo effractionis aut imbibitionis.

Si autem quæritur, quale sit peccatum celebrare in calice ligneo, vitreo, vel ex alia materia minùs idonea. Respondeo cum communi Alii. Communis sententia.

&c est mortale.

muni Doctorum esse peccatum mortale, quia materia gravis. An verò propter illud irregularitas incurratur, *Dubium est*, inquit Scotus suprà n. 17. in fine, *quia pœna illa depositionis, quæ habetur extrà de Celeb. Miss. cap. ultimo infligitur propter multa, scilicet quia non utebatur calice debito, nec aquâ, nec igne. Et ita dubium est, si propter quodcumque istorum separatim debeat infligi depositio, quia ibi omnia concurrebant.*

Scotus.

An pœna irregularitatis incurratur?

Exscribo verba textûs, ut citiùs omne dubium evanescat. *Litteras tuas* (scribit Honorius III. Episcopo Brixiensi) *recepimus, continentes quòd super excessibus Presbyteri Ecclesiæ sanctæ Brigidæ inquirentes, confessus est, quòd cùm quadam die hostiam & calicem non haberet, in pane fermentato & scypho ligneo Missarum solemnia celebrare præsumpsit.* Et infrà: *Intellecto iterum quòd prædicta Ecclesia per malitiam dicti Presbyteri multipliciter lædebatur, inquisitionis officium iterans, ex eius confessione inveniſti, quòd idem sine igne sacrificabat & aquâ. Cùm igitur vel ex aperta malitia, vel nimia desipientia peccasse probetur: Mandamus quatenus officio, & beneficio perpetuo ipsum privet.*

Honorius III.

457. Approbatur sententia negativa.

Ubi vides primò, hanc non esse pœnam universalem, sed illi peculiari Presbytero inflictam. Secundò, etiò ejusmodi pœna extendi debeat ad omnes (ut sæpiùs practicant Doctores in similibus Pontificum decisionibus) certè ad omnes pariter delinquentes.

Sed qui illi? Utique qui celebrant in pane fermentato (quod non licet in Ecclesia occidentali) in scypho ligneo, sine igne, id est, sine candelis accensis, & sine aqua, quam vino consecrando oportet commiscere. Ergo malè extenditur hæc pœna ad illum qui separatim celebrat in scypho ligneo, aut separatim in calice aureo, vel argenteo non consecrato.

contra Bonacinam, & Suarium.

Contrarium docet Bonacina de Eucharistia disp. 4. q. ultimâ punct. 9. nu. 17. dicens: Contra eum, qui utitur calice ligneo, aut calice non consecrato, constituta est pœna depositionis ab officio & beneficio cap. ultimo de Celeb. Miss & Suarez disp. 81. sect. 7. §. *Alia autem forma*, ubi sic ait: Et ideo in capite ultimo de Celeb. Miss. deponitur Sacerdos, qui sine sacro calice consecraverit.

458. Celebrare in scypho ligneo non consecrato est duplex peccatum.

Supponitur quidem scyphus ligneus non consecratus: verumtamen quis non videt pejus esse celebrare in scypho ligneo non consecrato, quàm in calice aureo non consecrato? In priori enim casu duplex committitur peccatum, unum defectu materiæ calicis, secundum defectu consecrationis; in posteriori autem tantum unicum defectu scilicet consecrationis. Cùm igitur paria peccata non sint, cur pari pœnâ puniantur?

Hoc ergo firmissimè tene: Propter peccatum, quod committitur in hac materia præcisè defectu calicis idonei, non incurritur irregularitas. Ut calix porrò sit idoneus, in primis requiritur ut sit aureus, argenteus, vel stanneus secundùm jam dicta. Secundò oportet esse consecratum, de qua consecratione erit

CONCLUSIO XXIII.

Calicem (& eadem ratio est patenæ) in quo legitimè valeas celebrare, oportet esse consecratum ab Episcopo, vel alio, cui à Pontifice fuerit hoc privilegium concessum.

459. Probatur Concl. ex communi usu, cujus fit mentio in cap. unico de sacrâ Unct.

ESt communis, & satìs superque probatur ex usu, cujus meminit Innocentius III. cap. unico de Sacrâ Unctione §. ultimo ibi: *Vngitur præterea secundum Ecclesiasticum morem cùm consecratur altare cum dedicatur templum, cùm benedicitur calix, non solùm ex mandato legis divinæ* (id est, ex auctoritate Dei) *verùm etiam exemplo Beati Sylvestri, qui cùm consecrabat altare, illud Chrismate perungebat. Præcepit enim Dominus Moysi, ut faceret oleum unctionis, de quo ungeret testimonij tabernaculum, & arcam testamenti, mensamq; cum vasis.*

An rectè probetur ex cap. hic de Celeb. Miss.

Communiter etiam citatur caput ultimum de Celeb. Miss. in quo reprehenditur Sacerdos, qui consecraverat in scypho ligneo, quem supponunt Doctores non fuisse consecratum.

Equidem contrarium potuit esse verum, cùm olim etiam calices lignei solerent consecrari; quamquam verosimilius sit illum, de quo loquitur ibi Pontifex, fuisse scyphum communem. Interim in illo textu nulla fit expressa mentio consecrationis, & ideo minùs bene, meo judicio, ex illo textu probatur necessitas consecrationis; cùm, tametsi iste scyphus fuisset consecratus, adhuc meritò celebratio in illo fuisset à Pontifice reprobata.

460. Probatur ex variis Canonibus.

De cætero in pluribus Canonibus supponitur hæc consecratio necessaria, scilicet in his omnibus, in quibus vasa Sacrificii vocantur sancta & sacra, & idcirco prohibentur contrectari ab aliis, quàm à sacratis, Dominoque dicatis hominibus: cap. *In sancta* 41. de Consecrat. dist. 1. cap. *Sacratas* 25. dist. 23. cap. *Non oportet* 26. & 30 cap. *Non liceat* 31. & 32. eâdem dist.

Et verò si requiritur benedictio vestium sacerdotalium, ut infrà ostendemus; similiter benedictio Corporalium, ut superiùs ostendimus; cuidni etiam requiratur benedictio calicis & patenæ? Dignum & justum est.

Nec sufficit simplex benedictio, sed necessariò intervenit unctio Chrismatis, ut patet ex Pontificali Romano Tit. de Patenæ & Calicis

Consecratio calicis fit cum Chrismate

Rom. Rom. consecratione ibi: *Tum Pontifex acceptâ mitrâ, facit cum pollice dexteræ manus Chrismate intincto crucem super patenam, ab ora in oram, & mox linit & perungit totam eius superficiem cum ipso pollice.* Et infrà: *Deinde acceptâ mitrâ facit crucem cum pollice dextræ manus de Chrismate intrà ipsum calicem à labio eius in labium, & mox linit, & perungit interiùs ipsum totum.*

461. ab Episcopo. Ex quo constat secunda pars Conclusionis, videlicet hanc benedictionem jure ordinario competere Episcopis, adeò ut in solo Pontificali ritus illius benedictionis præscribantur; cùm tamen benedictiones Corporalium & aliorum sacerdotalium indumentorum etiam inveniantur in Rituali Romano.

Rubr. Miss. Et fortè ideo Rubricæ Missalis Tit. Ritus servandus &c. cap. 1. n. 1. dum meminerunt consecrationis calicis & patenæ, solùm nominant Episcopum ibi: *Deinde præparat calicem, qui debet esse aureus &c. ab Episcopo consecratus.* Dum autem præscribunt benedictionem Corporalis, inquiunt: *Ab Episcopo vel alio habente facultatem simul cum palla benedictum.* Similiter loquuntur nu. 2. ejusdem capitis de benedictione paramentorum ibi: *Ab Episcopo item, vel alio facultatem habente benedicta.* Quod etiam observant Tit. de Defect. cap. 10. nu. 1.

462. vel ab alio, cui facta à Pontifice concessum. Nihilominus etiam calices & patenas posse consecrari ab alijs, quàm Episcopis, ex privilegio utique Pontificis (tametsi rarissimo) nemo dubitare potest, qui concedit Pontifices aliquando dedisse privilegia aliis Prælatis inferioribus consecrandi altaria; est enim eadem calicum ratio, & in plerisque privilegiis, quæ de hac re inveniuntur, & superiùs Conclusione 15. commemoravimus, æqualiter exprimuntur calices & altaria.

ut de facto concessum legitur ab Innocentio VIII. Carthusianis. Quibus privilegiis aliqui addunt concessionem factam Carthusianis ab Innocentio VIII. (cujus originale asservabatur in Anglia, transumptum verò authenticum in Carthusia Grationopolitana signatum per A. & fol. 174.) sub hoc tenore verborum: *Et quia sicut accepimus Domibus dicti Ordinis per Apostolicam est concessum, ut per quemcumque Catholicum Antistitem benedictionem paramentorum, altarium, crucum, casularum, & aliorum ad divinum cultum concessorum* (calicum videlicet & patenarum) *fieri facere possint: Prioribus cuiuslibet Domus dicti Ordinis pro tempore existentibus, quòd ipsi in eorum Domibus benedictionem huiusmodi facere liberè & licitè valeant eâdem auctoritate, de speciali Dono gratiæ indulgemus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1496. 6. Kalend. Iulij.* Ita refert Bruno Chassaing de Privil. Reg. part. 2. Tract. 7. cap. 4. prop. 2. ex Compend. privil. Carthusianorum fol. 46.

Bruno Chassaing.

Quid clariùs (inquit Bruno) hâc potestate altaria consecrandi vel benedicendi? Quocirca Collector illorum privilegiorum verbo *Consecratio*, hujus est sententiæ, cùm nihil dicat adversùs illud privilegium, notetque in indice Carthusianos illud possidere, nec ullam rationem in contrarium video, nisi non usum, ut consultus Prior Generalis illius Ordinis respondit. Sed ut diximus in 1. Tract. 1. partis non usus non tollit privilegium; quapropter quid circa illud sentiendum sit, valde dubito. 463. An hoc privilegium adhuc vi. gat?

Nec obstat parti, affirmanti valere, quòd privilegium illud non utatur nisi verbo, *Benedicere*; nam hoc loco, sicut in pluribus aliis diximus de minoribus Ordinibus, verbum, *Benedicere*, pro *Consecrare*, sumitur, ut post Azorium & alios advertit Archan. Rom. de Privil. in addit. Pag. 3. Verbum Benedicere sumitur pro Consecrare. Archan. Rom.

Adjunge, quòd nulla benedictio altaris, quæ non sit consecratio, in Rituali reperitur; ac ex consequenti cùm detur dictis Prælatis facultas ad altaria benedicenda, de facultate ad ea consecranda intelligi debet. Non consulo tamen id faciendum, nisi priùs consulto summo Pontifice. Hactenus Chassaing.

Neque ego consulo; quia Innocentius VIII. secundùm computationem Cherubini in Bullario magno Romano & alios, obiit octavo Kalend. Augusti an. 1492. quatuor ferè annis antequam hæc concessio (nisi sit error in notis) narretur data. Quis ergo prudenter illam practicet, cùm manifestè notetur de subreptione, sive falsitate? Nisi sit error in notis. 464. Non est certissimum ut ille privilegio.

Alia specialia privilegia consecrandi calices præter superiùs enumerata Conclusione 15. nulla reperiuntur; ex quo patet rarissimè à Pontificibus fuisse hujusmodi potestatem concessam Prælatis inferioribus, idque quia intervenit unctio Chrismatis. Unde distinguitur à potestate benedicendi Corporalia aliaque paramenta Ecclesiastica, in quorum benedictione non intervenit Chrisma, & ideo frequentiùs conceditur, ut patebit ex infrà dicendis.

Ritus benedicendi calicem & patenam vide suprà in Pontificali. Et quia dum Ecclesia certam formam præscribit pro re aliqua facienda, non est licitum talem formam omittere, etiamsi loco talis formæ aliud fiat plùs meritorium, quàm sit illa forma, ut probabiliùs docet Portel verbo, *Ecclesia* in Addit. n. 5. & alii magis communiter; hinc etiam probabilius est calicem & patenam non remanere consecrata, si in illis non sacris bonâ vel malâ fide aliquis sacrificet. 465. An calix maneat benedictus si in eo bona fide celebratur? Portel. Probabilius est quod non.

Sanè aliud est, calicem vel patenam sacrari, veluti ex naturali quadam consequentia, id quod fit per contactum sanctissimi Sanguinis vel Corporis: aliud verò calicem vel patenam deputari formaliter ad Sacrificium, quod fit

fit per benedictionem factam ab habente potestatem, quod Sacri Canones semper requirere videntur.

An fortè prudenter existimas, quòd manus, v. g. Diaconi, qui bonâ vel malâ fide administrasset Sacramentum Corporis Christi fidelibus, per illum contactum sufficienter forent consecratæ, ut ampliùs non oporteret eas sanctificare & benedicere ritu ab Ecclesiæ præscripto in Ordinatione Sacerdotali? Procul dubio Episcopus, ordinans talem Diaconum ad Ordinem Presbyteratûs, nec deberet, nec posset omittere illam ceremoniam.

466. Oppositum non est quibusdam improbabile, cui favere videtur S. August. Tamburinus.

Nihilominus contraria sententia videtur aliquibus probabilis; idque, quia (ut dixi Concluſ. 18.) æquivalenter, immo eminenter deputatio ad Sacrificium habetur per illum sacratissimum contactum. Favetque, inquit Tamburinus l. 1. de Sacrif. c. 1. § 4 n. 1. S. Augustinus in Psal. 113. dum ait: *Sed & nos plenaque instrumenta, & vasa ex auro & argento habemus in usum celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata, sancta dicuntur.*

Næ parvus favor, cùm verba illa commodissimè possint intelligi de sanctitate quadam naturali, sive naturaliter resultante ex illo contactu, quæ sicuti ab Ecclesia non requiritur, sic etiam non videtur sufficere, ut in illis vasis legitimè quis consecret. Alioquin numquam erit necessaria consecratio Episcopi: nam semper uti potero calice nondum consecrato loco Ciborii sive pixidis, quam plurimi docent non debere benedici.

467. An pixis debeat benedici?

Si dixeris, etiam multi Recentiores probabiliter affirmant pixidem debere benedici, non solùm quia in Pontificali Romano peculiaris pro ea ponitur benedictio, sed etiam quia in Missali reformato præscribitur, ut particulæ consecratæ reserventur in vase consecrato Tit. Ritus servandus &c. cap. 2. n. 3. *Si est consecraturus plures hostias pro Communione faciendâ, quæ ob quantitatem super patenam manere non possint, locat eas super Corporale ante calicem, aut in aliquo calice vel vase mundo consecrato.*

non debet consecrari interventu Chrismatis.

Facilè responderi potest, illam Rubricam tantùm esse directivam, & plurium rerum benedictiones præscribi in Pontificali, vel Rituali Romano, quæ licèt convenientes, non tamen necessariæ sunt. Hoc saltem certum est, pixidem sive Ciborium (idem est de lunula in Remonstrantia) non debere consecrari interventu Chrismatis, sed sufficere simplicem benedictionem, quæ concessa est omnibus Prælatis Mendicantibus, ut inferiùs patebit, ubi de benedictione Corporalium & vestium Sacerdotalium.

468. Occurritur objectioni.

Nec satisfeceris dicendo: calix non consecratur præcisè per contactum; sed quia in ipso per se & semper fit sanctissimi Sanguinis consecratio, per quam primò fit præsens Christus Dominus: nec, inquam, satisfeceris; quæro namque, in patena fit consecratio Corporis? Absit, nisi per accidens, utì etiam fit in pixide, quando scilicet adsunt particulæ consecrandæ, positæ vel super patenam, aut certè Corporale, vel in pixide, quando super patenam manere non possunt. Cæteroquin per se consecratur sacratissimum Corpus in manibus Sacerdotum. Si ergo patena manet consecrata ex solo contactu, quidni etiam pixis?

Quare autem Ecclesia requisiverit unctionem Chrismatis potiùs in consecratione calicis & patenæ, quàm in benedictione pixidis, stat pro ratione à priori voluntas; fortè quia, ut jam jam dixi, per se primò consecratur Sanguis in calice; & patena proximè concurrit ad Sacrificium ritè peragendum, secùs Ciborum, seu pixis.

Unde etiam in jure nulla est determinata materia, ex qua conflanda sint pixis, lunula, & similia; consulendum tamen fieri ex auro vel argento, sine exclusione melioris materiæ, v. g. gemmæ pretiosæ; quia nullum hìc periculum imbibendi Sanguinem, sed dumtaxat cavendum periculum fractionis. 469. Ex qua materia sit conflanda pixis?

Si propter paupertatem fierent ex stanno vel ære, non fore mortale docet Suarez disput. 81. sect. 7. §. *Tertiò obiter* sub finem. Plùs dico, non foret ullum peccatum: quâ enim lege hoc prohibetur? Consuetudo convenientiam significat; secùs strictam obligationem. Et quidem si calices Romæ fiant ex ære inaurato, multò magìs sine ullo scrupulo, etiam in his partibus, fieri possunt ex eadem materia pixides, & lunulæ. *Suarez.* Potest esse stannea & ærea.

Neque necesse videtur, intrà pixidem non benedictam, ponere aliud vas lineum benedictum benedictione Corporalium (ut putavit Vasquez disput. 233. n. 36. ductus ex consuetudine) quia nec id in jure fundatur. Et quamquam fortè in civitate, vel provincia, in qua Vasquez morabatur, ita fieret, tamen scimus (inquit Lugo disp. 20. n. 97.) consuetudinem esse contrariam, quam ego non solùm de Roma, sed de aliis Ecclesiæ provinciis testari possum. Hæc ille. 470. An intrà pixidem non benedictam debeat poni vas lineum benedictum? *Vasquez. Lugo.*

Sed vellem scire, an etiam ille vel alius posset testari consuetudinem non solùm de Roma, sed de aliis Ecclesiæ provinciis, consuetudinem, inquam, utendi pixide non benedictâ. Et quantumvis Vasquez suprà de illa testetur, equidem sicut erravit in una, ita etiam facilè potuit errare in altera: puto autem ego, in his saltem partibus, pixides & similia solere benedici, antequam Venerabile in illis reponatur, & tunc non video ad quid opus sit alio vase lineo benedicto.

Nam gratis ibidem dicit Vasquez, sicut quamdiu celebratio Missæ durat, Corpus Christi semper esse debet supra pallam corporalem benedictam, quæ syndonem repræsentat, quâ Corpus Chr isti mortuum in sepulchro involutum fuit; ita etiam finitâ Missâ, quamdiu Corpus Christi servatur. Et verò vidisti aliquando Corpus Christi in Remonstrantia immediatè supra pallam corporalem benedictam? Non puto.

471. An pixis debeat servari super lapidem consecratum?

Similiter sine fundamento asseritur obligatio collocandi & servandi pixidem illam super lapidem consecratum; quia id nullo jure præscribitur, & si Vasquez sic viderit servari ab omnibus, ut suprà ait, nos videmus contrarium servari, scilicet reponi Ciborium cum Eucharistia in Tabernaculo supra Corporale impositum communi lapidi, vel ligno; quia nimirum in pixide tunc non fit consecratio, sed quod consecratum est, custoditur.

Romæ (inquit Lugo suprà) toto anno sine ejusmodi lapide supposito conservatur, & quidem cùm passim exponi soleat Sacramentum hoc per duos vel tres dies absque tali ara suppositâ, non apparet unde major obligatio esset subjiciendi eam intrà, quàm extrà custodiam ligneam. Hæc ille.

Unde in jure cap. *Sanè* 12. de Celeb. Miss. nihil aliud requiritur, quàm ut *Eucharistia in loco singulari mundo & signato semper honorificè collocata devotè ac fideliter conservetur.*

Innoc. III.

Nec aliud præcipit Innocentius III. cap. 1. de Cust. Eucharistiæ, ubi sic ait: *Statuimus ut in cunctis Ecclesiis Chrisma & Eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conserventur, ne possit ad illa temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda.*

472. Tabernaculum, ampullæ &c. non indigent speciali benedictione.

Porrò ipsum Tabernaculum intrà quod obseratum, pixis custoditur; consimiliter ampullæ aquæ & vini cum pelvicula, & manutergio, & similia, utpote aliquantò remotiora à sacro ministerio, certum est apud omnes nullâ benedictione egere: munda tamen sint, quantùm fieri potest; quia sic convenit ob reverentiam Sacramento debitam.

Cæterùm utì Ecclesia & altare, semel legitimè consecrata, certis quibusdam actibus amittunt suam consecrationem, & indigent reconciliatione, ut imposterùm ritè in ipsis queat celebrari; ita quoque calix, & patena. Et si à me quæritur, quando hæc amittant suam consecrationem? Respondeo:

CONCLUSIO XXIV.

Calix & patena amittunt suam consecrationem, quando adeò immutantur, sive per fractionem, sive diminutionem, aut alio quocumque modo, ut jam inepta sint ad usum Sacrificii absque novo artificio. Non ergo quando de novo inaurantur, minùs quando perdunt per longum usum inaurationem, quæ erat tempore consecrationis.

473. Calix conservat secundùm omnes suas superficies.

PRænotandum, non tantùm cuppam calicis, aut interiorem superficiem cuppæ quæ immediatè contingit Sanguinem, sed integrum calicem quantus quantus est secundùm omnes suas superficies consecrari: verba siquidem consecrationis æqualiter afficiunt omnes partes calicis, similiter & patenæ, omnesque superficies, estò sola superficies interior chrismate perungatur. Sicuti sola cornua aræ chrismate inunguntur in superficie superiori; quis tamen propter ea rectè neget, totum altare quoad omnes suas partes, & superficies esse consecratum?

Probatur prius pars Conclusionis.

Hoc ergo prænotato: ratio prioris partis Conclusionis est; quia tunc moraliter destruitur illud, quod fuerat priùs benedictum; usus enim est qui solus spectatur in calice & patena, dum ab Episcopo benedicuntur. Quod ostendo ex verbis, quibus utitur Ecclesia in eorum consecrationibus, videlicet: *Oremus Fratres Charissimi ut Divina gratia benedictio consecret & sanctificet hanc patenam ad confingendum in ea Corpus Domini nostri Iesu Christi.* Pontificale Rom. Item: *Omnipotens sempiterne Deus &c. benedicere, sanctificare & consecrare digneris hanc patenam in administrationem Eucharistiæ Iesu Christi Filij tui.*

Procedens autem ad consecrationem calicis, sic inquit Pontifex: *Oremus Fratres Charissimi ut Deus & Dominus noster calicem istum in usum ministerij sui consecrandum cælestis gratiæ inspiratione sanctificet.* Et rursum in Oratione: *Dignare Domine Deus noster calicem hunc benedicere in usum ministerij tui piâ famulatûs devotione formatum* &c. Sicuti ergo invalida esset consecratio patenæ vel calicis inepti ad usum Sacrificii; ita nemo mirari debet, quòd per ineptitudinem supervenientem, consecrationem suam amittat.

Ex quo

474. Quid sentiendum de calice qui habet foramen in fundo cuppæ?

Ex quo patet quid sentiendum sit de calice qui habet modicissimum foramen in fundo cuppæ, quod tamen promittit aurifex ita artificiosè concinnare, ut vix præteritus defectus apparere possit, idque sine ulla calicis immutatione; patet, inquam, consecrationem amisisse, quia propter illud foramen, unde sanctissimæ species exundarent, remanet planè ineptus ad Sacrificium, nec aptus reddi potest absque novo artificio.

Quid de calice non tornatili, quando cuppa separaretur à pede calicis.

Eadem est sententia calicis non tornatilis, si per fractionem cuppa separetur à pede, cùm sic fiat ineptus ad Sacrificium, nec aptus fieri possit sine novo artificio.

475. Quid si esset tornatilis.

Aliud sentiendum arbitror de calice tornatili, non quòd sola cuppa in ipso consecretur, ut aliqui sine fundamento asserunt; sed quia per illam artificiosam separationem cuppæ à pede non censetur prior forma calicis ita perire, ut dum iterum illæ partes junguntur, habeat novam formam, ratione cujus dici possit, aut debeat calix moraliter diversus.

Nonne horologium, & similia artefacta, si partes eorum dissolvantur, & iterum conjungantur, eadem ab omnibus existimantur ac erant anteà? Prorsus ita est; secùs tamen si frangantur, & iterum artificis ministerio compaginentur.

Cùm ergo sit moraliter idem calix, qui erat priùs, quare non erit sicuti priùs consecratus? Respondes; quia per separationem amisit consecrationem, utpote factus ineptus ad Sacrificium.

Solvitur quædam objectio.

Sed contrà: licèt quamdiu manent partes separatæ, non sit proximè aptus ad Sacrificium; nihilominus dum rursus partes conjunguntur, quod fieri potest sine novo artificio, est aptus.

Atque hæc sententia hodie in scholis ubique recipitur (quidquid aliqui pauci antiquiùs contradixerint) & confirmatur ex praxi, scientibus & non contradicentibus Prælatis Ecclesiæ.

476. Quid si loco unius pedis alius substitueretur?

Dices: ergo si loco hujus pedis substitueretur alius pes, adhuc calix esset consecratus; quia aptus ad Sacrificium, & moraliter idem.

Respondeo Negando Consequentiam, & secundam partem probationis; quippe aliqua pars necessaria ad substantiam calicis usualis variata est, quod non contingit, quando eædem partes connectuntur.

Præsertim cùm, ut anteà diximus, consecratio non cadat in solam cuppam, utpote ineptam ad usum Sacrificii; adeòque in illa sola conservari non possit.

477. Objectio

Quidni, inquis, possit cadere in solam cuppam, sicut consecratio altaris portatilis, ligno inclusi, cadit super solum lapidem, ita ut solutus à ligno, adhuc maneat consecratus?

Responsio.

Respondeo, sic potuisse fieri, verùm sic ab Ecclesia constitutum esse, unde constat? Numquid aliquando visum vel auditum fuit Episcopum consecrasse cuppam calicis tornatilis à pede separatam? Numquam; & tamen passim consecrantur aræ nulli ligno inclusæ.

Ratio autem disparitatis est; quia lapis sine ligno proximè aptus est ad usum Sacrificii; secùs cuppa sine pede, & ideo nulla est ratio, quare consecratio potiùs caderet super cuppam, quàm supra pedem, aut è converso. Differimen inter lapidem & calicem.

478. Replica.

Immo replicas, ratio reddi potest; quia sola cuppa est per se necessaria, ut recipiat Sanguinem Christi, & sola à Sanguine Christi attingitur; pes verò solùm requiritur ad cuppam sustentandam, quod posset facere etiamsi non esset consecratus.

Solvitur.

Respondeo, quantùm ad potentiam, ut illicò dixi, non video quare non posset sic fieri: verumtamen ex quo probatur sic factum? Sanè consecratur calix non tantùm ad recipiendum Sanguinem, sed simpliciter in usum ministerii, ut patet ex verbis Pontificalis superiùs relatis; usus autem non est sola receptio, sed etiam sustentatio, ad quam per se necessarius est pes calicis.

479. Alia replica.

Sed urget aliquis; saltem pes est pars minùs principalis: ergo sicut manet idem Corporale, licèt aliquæ partes minùs principales varientur; ita etiam manebit idem calix, estò varietur ejus pes.

Responsio.

Respondeo: pes quidem est pars calicis minùs principalis; sed reverà talis, ut sine illa reliqua pars sit inutilis ad Sacrificium; & si ejusmodi pars in Corporali, vel alio vestimento sacro varietur (vocetur minùs principalis vel magìs principalis) dico amitti per illam variationem benedictionem totius. Secùs si variatio contingat in aliqua parte, sine qua adhuc remanet totum aptum ad usum ministerii.

480. Calix, cujus inauratio est deperdita, retinet suam consecrationem.

Ex quo deducitur reliqua pars Conclusionis: nam inauratio, quæ deperditur per longum usum, est talis pars calicis, sine qua calix sufficit ad usum ministerii, & ideo semper remanet idem: sicuti si esset ex puro auro, vel argento, & per continuum usum prima superficies esset deperdita, nemo propterea diceret talem calicem amisisse suam consecrationem; quia, ut dixi in prænotabili, non una tantùm superficies consecratur, sed totus calix, quantus quantus est secundùm omnes superficies per se sufficientes ad ministerium.

An posset consecrari in tali calice si fuisset ex ære inaurato?

Petes; quid si ergo esset calix ex ære inaurato, aurumque totum, vel ex majori parte, foret abrasum, adhuc liceret in tali calice consecrare? Siquidem idem calix perseverat, & consequenter per nos perseverat consecratio.

Respondeo nihilominus non licere; haud equidem defectu consecrationis, sed debitæ

materiæ; sicuti si nunc aliquis haberet calicem ligneum, validè & licitè, quando erat in usu, consecratum (neque enim verba consecrationis, aut aliæ ceremoniæ certam requirunt materiam) illicitè illo uteretur, non defectu consecrationis, ut patet; sed quia pro nunc talis usus est prohibitus propter materiam minùs Sacrificio convenientem.

481. An per novam inaurationem deperdatur prior consecratio?

Sed numquid per novam inaurationem patenæ aut calicis amittitur præcedens consecratio? Negat Conclusio cum multis Doctoribus, quamvis etiam plurimi sint, qui contrarium censeant; tum, quia hæc consecratio præcipuè fit propter contactum Corporis & Sanguinis Christi; sed id in quo proximè fit contactus, non est consecratum: ergo consecrandum est; tum etiam, quia, licèt sensus non discernat aurum ab argento, tamen reverà per illam deaurationem fit veluti quoddam vasculum aureum subtilissimum intrà aliud argenteum, in quo proximè effunditur Sanguis Domini. Et idem est probabiliter in patena: ergo oportet ut consecrentur. Ita Suarez disp. 81. sect. 7. §. *Alia autem forma.*

Argumenta sententiæ affirmativæ;

482. & argumenta in oppositum refutata à Suario.

Neque dixeris: ergo quando deauratio amittitur, per hoc solùm amittitur consecratio; quia (inquit ille Auctor) totus calix deauratus per modum unius consecratur, & ideo quamvis aurum amittatur, argenteus calix consecratus manet: quando verò postea nova deauratio superadditur, id quod additur, nullo modo consecratum erat.

Sed nec dici potest, illam novam superficiem esse accessoriam & minùs principalem, atque adeò debere sequi partem principalem, utique totum calicem, qui supponitur consecratus: sicuti dicitur de minima parte adjecta Ecclesiæ consecratæ, v. g. novâ dealbatione, propter quam non est Ecclesia de novo iterum consecranda, quia consecratum quando principaliùs est, trahit ad se non consecratum: hoc, inquam, argumentum non valet; nam licèt in dicto casu pars argentea videatur principalior quoad magnitudinem materiæ, tamen quoad usum, id, quod per deaurationem additur, principalius est, non solùm quia est nobilior materia; sed maximè quia in ea fit contactus Corporis & Sanguinis Domini, & quia est veluti forma respectu alterius. Ita Suarez suprà pro sua sententia, quæ est magis communis.

483. Sententiæ negativæ adhæret Auctor cum multis aliis. *Diana, Layman. Coninck. Lugo. Dicastillo.*

Nihilominus persisto in Conclusione, quam probabilem putat Diana parte 2. tract. 15. resol. 3. cum Layman Theol. moral. lib. 5. tract. 5. cap. 6. nu. 7. Et Coninck de Sacramentis q. 83. art. 3. dub. 3. n. 246. quos sequitur Cardinalis Lugo disp. 20. nu. 95. & Dicastillo disp. 4. n. 180. & alii multi hodie sic sentiunt. Ratio patet ex dictis circa casum præcedentem; quia videlicet post inaurationem est idem moraliter calix, qui erat priùs, & aptus ad Sacrificium, sicuti priùs: ergo erit, sicuti priùs, consecratus.

484. Respondetur ad 1. fundamentum Scoti.

Ad primam rationem Suarii, Respondeo; etiam pixides immediatè contingunt Corpus Christi, & tamen valde probabiliter non requirunt consecrationem: ergo consecratio patenæ aut calicis non fit præcipuè propter contactum Corporis & Sanguinis Domini, sed magis propter usum Sacrificii, ad quem parùm facit inauratio. Sicuti in Ecclesia principaliter spectatur inhabitatio vel inexistentia, ad quam minimùm confert dealbatio, & ideo propter novam dealbationem non est iterum consecranda.

Inauratio est pars minùs principalis etiam quoad usum.

Dico ergo inaurationem esse partem minùs principalem, non tantùm quoad parvitatem materiæ, quod clarum est; sed etiam quoad usum. Neque magis aurum, quod additur per illam, est forma respectu argenti, quod inauratur, quàm albedo, quæ per dealbationem additur parieti, est veluti forma parietis. Quis autem dixerit albedinem esse partem principalem parietis?

Præterea quando pars modica Corporis reficitur, etiamsi illa pars esset, supra quam reponitur immediatè Corpus Christi, non erit nisi pars minùs principalis & accessoria, ut proinde tale Corporale sic refectum non indiget novâ consecratione, utì nec Corporale totum, & iterum amydo dealbatum, tametsi ipsa hostia amydum immediatè contingeret. Ergo similiter illud aurum, quod additur per inaurationem, erit pars tantùm minùs principalis, estò immediatè Sanguinem contineat, adeoque calix sic inauratus non indiget novâ consecratione.

485. Respondetur ad 2. argumentum Suarii.

Ad secundam rationem Suarii, nego quòd illa superficies auri, quæ additur per inaurationem, se habeat instar alicujus cuppæ subtilissimæ auri, quæ poneretur intrà cuppam talis calicis; quia tunc illud vasculum subtilius non est pars alterius, nec facit quid unum cum illo, sed semper manent duo vasa distincta; in nostro autem casu liquet quòd non sit nisi unum vas.

Calix de novo inauratus secundum Dicastillum habet consecrationem utilem impeditam.

Illud mihi verissimum videtur (inquit Dicastillo suprà num. 187.) prædictum calicem consecratum, & postea deauratum, non tam amittere consecrationem, quàm habere illam impeditam, etiamsi concedamus esse de novo consecrandum. Nam idem ipse calix, qui illo tenuissimo auro tegebatur, si postea radatur, ita ut denuò appareat argentum, non video cur indigeat consecratione. Nam calix ipse argenteus consecratus erat, & superveniente deauratione solùm indigebat consecratione propter illud aurum superinductum, ne scilicet aurum non consecratum species tangeret. Ergo si denuò aurum tollatur, & appareat vas argenteum, quod anteà erat, idem erit calix, qui anteà; ac proinde impedita consecratio non

non erit, nec materia consecrata à suo munere immediatè per se præstando, erit excludenda. Hæc ille.

Cujus ratio refellitur.

486. Sed contrà; quando ejusmodi calix de novo consecratur, vel solum aurum consecratur, vel totum quod ibi est per modum unius calicis: non primum, cùm sit eadem forma consecrationis istius calicis, atque cujuscumque alterius, qui numquam anteà fuit consecratus; sed quando primò consecratur calix inauratus, consecratur totum, quod ibi est per modum unius calicis: ergo etiam in nostro casu; atqui hoc dici nequit, supposito quòd per inaurationem non amiserit priorem consecrationem, sed solùm habeat illam impeditam: ergo &c. Probo subsumptum; quia Ecclesia non solet eandem rem de novo consecrare, dum prima consecratio tantummodò est impedita. Quid ergo? Aufert impedimentum.

Suspensus ab Ordine non reordinatur,

Patet in illo, qui est suspensus ab executione Ordinum, qui ideo non reordinatur, sed tollitur suspensio, & redit jus executionis, quod anteà per suspensionem erat impeditum. Consimiliter, & magis ad propositum, consecratio Ecclesiæ impeditur per interdictum locale, nùm ideo reconsecratur Ecclesia? Nequaquam; sed sublato interdicto, redit jus celebrandi in tali Ecclesia, quod anteà erat per interdictum impeditum.

neque Ecclesia interdicta reconsecratur;

ergo calix solùm impeditus non debet reconsecrari.

487. Ergo pari modo si per illam inaurationem solummodò impeditur consecratio calicis, non debet calix de novo consecrari, sed aurum tollatur & cessabit impedimentum. Adeoque si concedamus esse de novo consecrandum, consequenter concedere debemus per illam inaurationē non solùm impeditā fuisse priorem consecrationem, sed reverà totaliter amissam.

Probatur ab alio simili.

Sicuti si latera calicis ita comprimerentur, ut non ampliùs calix posset deservire sumptioni Sanguinis Christi, jam hoc ipso amitteretur, & non tantùm impediretur prior consecratio, estò aurifex rursum posset instrumento suo latera diducere, uti priùs erant apta ad Sacrificium. Ergo consimiliter si calix argenteus per inaurationem fieret ineptus ad Sacrificium absque nova consecratione, jam hoc ipso amitteret primam consecrationem, estò aurifex rursum posset aurum illud ita tollere, ut appareret idem vas argenteum, quod anteà erat.

Per inaurationem nec amittitur consecratio nec impeditur.

488. Scio hæc similia multùm claudicare, & ideo dico, per inaurationem neque amitti priorem consecrationem, neque impediri: & si concederem de novo talem calicem esse consecrandum, consequenter concederem consecrationem priorem amissam, & non tantùm impeditam fuisse.

Argumentum in oppositum.

Et verò absolutè amitti consecrationem per inaurationem, probant aliqui hoc argumento; Ad novam ejusmodi inaurationem igne opus est, atque adeò calix videtur mutari, & non remanere idem.

Responsio.

Respondeo; certum est, si calix aliquo tandem modo efficeretur alius, vel frangeretur, nos non esse in casu proposito; at si ut aurum superinducatur, calix solùm excanduerit, non erit mutatus, ac propterea, cùm diminutionem passus non fuerit, nequaquam alius effectus est. Neque enim si ferrum v. g. igne ad fornacem excandescat, diversum fit ab eo, quod priùs erat.

Instantia solvitur.

Instas; dum est ita ignitus calix, fit ineptus ad Sacrificium: ergo jam amittit consecrationem. 489.

Respondeo; etiam quando calix immundus smigmate seu sapone, ut abstergatur, obvolvitur, est ineptus ad Sacrificium, & tamen non amittit consecrationem. Neganda est igitur Consequentia; quia non fit ineptus quoad substantiam, sed solùm quoad circumstantiam accidentalem, quæ facilè sine novo artificio aut vasis mutatione tollitur.

Per ictum mallei calix non amittit consecrationem,

Unde perperàm ab aliquibus universaliter affirmatur, per ictum mallei calicem, vel patenam amittere consecrationem. Sanè si per ictum frangatur, vel ineptus quoad substantiam pro Sacrificio fiat, amittere consecrationem non est dubium: at si ineptus non fiat, cur dici possit amittere? Nonne amitteret si in terram super lapidem calix sine ulla prorsus mutatione concideret? Nemo id hactenus dixit. Immo licèt aliquantulum tunc contorqueretur, ita ut mallei vi cum dexteritate concinnari posset, neutiquam amitteret; quoniam semper remanet idem consecratus calix.

Cæterùm solet hìc à Theologis disputari, de cultu debito sacris his vasis, & primò circa contactum eorum, communiter docent illum esse illicitum laicis. Erit ergo

CONCLUSIO XXV.

Prohibetur laicis, quin & Clericis, Diacono inferioribus, tangere sacra vasa, quando actu continent sacram Eucharistiam. Quando autem nec continent, nec aliquando continuerunt, immo tametsi aliquando continuissent, nullum est peccatum nudâ manu tangere ciboria, pixides, spheras, vel lunulas, estò sint benedicta; neque peccatum mortale citra contemptum tangere calicem,

licem, aut patenam, immo si subsit causa nec veniale. An sine causa sit veniale, dubium est, quando fieret extra ministerium sacrum.

490. An sit peccatum grave tangere vasa sacra quando actu continent Eucharistiam.

PRima pars est communis, non ita propter jus aliquod positivum specialiter concernens istum casum, quamvis & tale assignari posset, ut patebit ex dicendis; sed magis propter summam reverentiam debitam huic Augustissimo Sacramento, quæ ad minus id prohibet sub gravi peccato veniali: immo Suarez disp. 81. sect. 8. §. *Tertium exemplum sit*, existimat vix posse excusari à peccato mortali, si temerè ac sine ulla causa fieret, quia videtur certè res gravis.

Suarez.

Tamburinus.

Quemadmodum secundùm Tamburinum lib. 1. de Sacrificio cap. 2. §. 1. n. 3. Eucharistiam ipsam, Chrisma, & Oleum sanctum tangere, grave etiam quid est; unde, inquit ille, à laicis, immo & Clericis non Sacerdotibus tangi hodie non licet; estò aliud tulerint prisca tempora, quando Sacra Eucharistia in manus Fidelium, ab ipsis assumenda, porrigebatur.

Verumenimverò vel ex hoc ipso solo, quòd in primitiva Ecclesia licitum fuerit laicis ex propriis manibus accipere Eucharistiam, aliquis posset suspicari simplicem contactum Eucharistiæ non adeò graviter contrariari reverentiæ naturaliter debitæ huic Sacramento; minùs contactum calicis aut ciboril.

491. Objectio.

Si objicitur: Maria Magdalena Luc. 7. v. 38. *Stans retrò secus pedes Christi, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius & unguento ungebat*, neque ideo à Christo reprehensa fuit, quasi faciens contra reverentiam sibi debitam: ergo similiter nunc possumus sine ullo peccato irreverentiæ contra legem naturalem, ex devotione osculari sacram Hostiam, aut aliter cum debita reverentia tangere.

Luc. 7.

Responsio. Aliter discurrendum de contactu Christi ut mortalis,

Respondeo Negando Consequentiam, & ratio disparitatis est manifestissima; nam qui inter homines tamquam unus ex illis vult conversari, quidni etiam ab illis communi modo contrectari velit?

Joan. 20.

Numquam legisti, quid Christus dixerit Mariæ Magdalenæ post Resurrectionem Joan. 20. v. 17.? *Noli*, inquit, *me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Quibus verbis secundùm expositionem Chrysostomi homiliâ 85. Theoph. & Euthym. prohibuit Christus Magdalenam à sui contactu; quia volebat magis reverenter, quàm antè ab ea tangi, utpote redivivus jam immortalis, cælestis, & glorioſus, qui ampliùs cum hominibus non versaretur, sed cum Angelis & Beatis.

492. Hæc sunt verba Chrysostomi: *Mihi videtur*

aliter ut immorta-lis,

velle eam adhuc cum eo versari, ut solebat, & ex lætitia nihil de eo magnum cogitasse. Siquidem longè melior factus erat secundum carnem, quare hâc eam sententiâ abducens, & ut reverenter se alloquatur admonens (neque enim cum discipulis similiter versari deinceps videtur) eius mentem erigit, ut reverentiùs adeat. Nam, si dixisset: Noli ut priùs ad me accedere, non enim eâdem sum conditione, neque simul vobiscum conversaturus sum ampliùs, *elatius & superbius dictum videri potuisset: sed dicendo:* Nondum ascendi ad Patrem: *essi leniùs, idem tamen significavit. Ostendit enim illuc maturare, & cum illuc abiturus, nec ampliùs cum hominibus conversaturus esset, non erat eodem, qua priùs animo aspiciendus.* Hucusque aureum os Chrysostomi.

S. Chrys.

Et quamvis hæc explicatio non omnibus placeat, nemini tamen displicere potest, corpori glorioso majorem reverentiam deberi, quàm corpori non glorioso, passibili, & mortali: ergo nullatenus mirandum si Corpori Christi in Sacramento Eucharistiæ, glorioso jam, impassibili, & immortali, major reverentia ex natura rei debeatur, quàm eidem Corpori, passibili, & mortali, Christo cum hominibus adhuc conversante, debebatur. Nonne si Rex terrenus instar rustici cum rusticis vellet conversari, minor illi reverentia deberetur, quàm si excelsus in solio gloriæ suæ consederet?

corpori enim glorioso major debetur reverentia, quàm non glorioso,

Sed progrediamur ad alias partes Conclusionis, pro quarum explicatione, Notandum ex suprà dictis ciboria, pixides & similia, vel non esse benedicta, vel certè benedicta sine interventione Chrismatis; in consecratione autem patenæ & calicis necessariò intervenire unctionem Chrismatis. Porrò quis dubitat illa omnia, quæ Chrismate sunt delibuta, majori esse digna reverentiâ, quàm cætera, quæ tantùm simpliciter sunt benedicta? Nonne experientia docet laicos non audere nudâ manu attingere aras, calices & similia; cùm tamen liberrimè attingant candelas benedictas, ramos palmarum, & similia?

493.

Christum delibata mysteria tetigit, quia non delibata.

Ratio ergo secundæ partis Conclusionis est; quia ex una parte ciboria & similia non sunt uncta sacro Chrismate, & ex altera parte, vel nondum contraxerunt reverentiam debitam contactui sacrarum specierum Corporis aut Sanguinis Christi, vel si contraxerint, illa dignitas non est tanta, quanta contrahitur ex unctione sacra: ut patet in Corporalibus, pallis, & purificatoriis, quæ non solùm quando ad sacrum usum nondum fuerunt adhibita, sed etiam quando post sacrum usum jam lota fuerunt, possunt sine veniali ab omnibus attingi; quantumcumque autem calix & patena laventur, non ideo magis attingi possunt à laicis, quàm ante lotionem. Ergo aliqua dignitas contrahitur ex sacra unctione, quæ non contrahitur ex sacro contactu.

Et

494. An sit peccatum veniale contra jus naturæ attingere Corporalia ante lotionem.

Et idcirco valde probabile est, spectato solo jure naturæ, Corporalia & similia à laicis posse contingi sine veniali, etiam ante lotionem.

Si dixeris; posse evenire, ut purificatorium v. g. imbiberit ex usu sacro aliquid sanctissimi Sanguinis, quem laico contingere nefas est. Respondeo id esse per accidens, & de raro, quod in hujusmodi non solet attendi. Sic enim purificatoria post sacrum usum reponuntur sine delectu in arcis & cistis profanis; cùm tamen itidem potuerit fieri, ut ibi imbibitum adhuc remanserit aliquid Sanguinis nondum exsiccati, sed ideo hujus non habetur ratio, quia per accidens est, & tunc Angelorum erit officium præsentiam inibi Christi Domini humiliter venerari.

Post lotionem non sunt iterum benedicenda.

Atque hæc dicta sint ad excludendam strictam obligationem; nam indubiè magis congruum est rationi naturali, ut purificatoria, Corporalia, & similia ante lotionem à laicis non contrectentur, & in loco separato & honesto collocentur. Post lotionem autem, licèt tunc iterum non sint benedicenda, cùm per solam lotionem benedictio ab iis non auferatur; atque adeò simpliciter nova non sint: equidem sic lota, moraliter censentur perinde ac essent nova, & ideo ab omnibus liberè contrectari possunt.

495. Attactus laicis aut patenæ citra contemptum non est mortalis, si fiat à laico.

Porrò quod attinet ad patenam & calicem, quamvis, ut diximus, major ipsis reverentia debeatur propter unctionem Chrismatis; equidem non tanta, ut quilibet contactus laici nudâ manu, si fiat citra contemptum, sit peccatum mortale. Ita communiter Doctores; quia non videtur res ex se gravis, & ideo facilè admittit justam causam excusantem, etiam à peccato veniali.

Nulla est culpa si fiat à Subdiacono.

Dico; *Contactus laici*; quia de illo specialiùs disputatur, an, & quam habeat malitiam. Enimverò Subdiaconum licitè illa vasa contrectare, etiam in ipso Sacrificio, nemo dubitat; ideo enim hæc vasa tangit, quando ordinatur, ut

Pontif. Romanum.

patet ex Pontificali Romano Tit. de Ordinatione Subdiaconi ibi: *Deinde Pontifex accipit, & tradit omnibus calicem vacuum, cum patena vacua superposita, quem successivè manu dexterâ singuli tangunt, Pontifice dicente: Videte, cujus ministerium vobis traditur, ideo vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis.*

496. Explicatur can. 31. dist. 23. Braccarensis.

Ex quo rectè sic intelligitur Can. *Non liceat* 31. dist. 23. (qui est desumptus ex Concilio Braccarensi I. cap. 28.) *Non liceat cuilibet ex Lectoribus sacra altaris vasa*, id est, patenam, & calicem *portare*, intrà ministerium Sacrificii, *nec alijs, nisi ijs, qui ab Episcopo Subdiacoui fuerint ordinati.*

Quamquam Glossa verb. *Portare*, aliter explicet hunc textum, dicens: *Portare in processione; & vocat hæc vasa sacra, ubi continentur Reliquiæ.*

Prior expositio magis placet; quia capsulæ Reliquiarum propriè non vocantur *sacra altaris vasa*: nulla autem est ratio impropriæ acceptionis.

497. Impugnatur explicatio.

Imo, inquis, ratio est; quia Can. *Non liceat* 32. eâdem distinctione dicitur: *Non liceat cuilibet ministeria tangere, nisi Subdiacono aut Acolytho in Secretario vasa Dominica.* Hic permittitur Acolytho, quod in priori textu erat concessum soli Subdiacono.

Laodicense.

Præterea eâdem distinctione Can. *Non oportet* 26. (ex Concilio Laodicensi cap. 21.) leguntur sequentia verba: *Non oportet Subdiaconos licentiam habere in Sacrarium* (id est, secundùm Glossam hìc, *Altare*) *sive Secretarium* (*quod Græci Diaconium appellant*) *ingredi, & contingere vasa Dominica.* Ecce hìc prohibetur Subdiaconis quod in primo textu expressè conceditur.

498. Respondetur.

Respondent aliqui, sed pro diversis temporibus, prout res & circumstantiæ tunc exigebant. Alii existimant hìc prohiberi Subdiaconis contingere vasa Dominica, quando continent Corpus & Sanguinem Domini; in priori autem textu permitti contactum, quando non continent.

Et licèt hunc contactum Concilium Braccarense concesserit solis Subdiaconis; postmodum tamen Martinus Papa eum extendit ad Acolythos; ut docet Suarez dist. 81. sect. 8. §. *Tertium exemplum sit*: quia, inquit, etiam ille potest aliquo modo contingere calicem in ministerio sacro.

Suarez.

499. An Clerici minorum Ordinum, extra ministerium possint dicta vasa contingere?

Additque: Extra sacrum autem ministerium quilibet minister sacer, id est, quocumque minori gradu ordinatus, non peccabit contingendo hæc vasa, ut colligitur ex dicto Can. *Non oportet*, & ex usu, qui videtur hoc etiam extendere ad ordinatos tantùm primâ Tonsurâ.

Sed quantùm ad Can. *Non oportet*, cùm duplex sit, scilicet 26. & 30. neuter tamen facit ad propositum; quoniam uterque loquitur de contingentia in sacro ministerio. De Can. 26. jam jam citato, patet ex Glossa interposita: & de Can. 30. inferiùs similiter patebit.

Laymann.

De usu quid dicam? Sanè oppositum usum allegat Layman lib. 5. Tract 5. cap. 6. n. 19. Insuper stylum Curiæ Romanæ, quæ concedit Tonsuratis, vel in minoribus constitutis posse sacra vasa contingere. Quem certè stylum Suarez non negat, sed in terminis concedit, continuò subjungens: Quamquam nostra Societas privilegium habeat, ut nostri Laici possint tangere calices, si modò primam habeant Tonsuram, quod est signum, hoc non simpliciter licere omnibus.

Rectè, si per, *simpliciter licere*, intelligat licere sine formidine de oppositò; alioquin frequentissimè conceduntur privilegia, sive licentiæ aliquid agendi ad tollendos scrupulos conscientiæ, vel pro amplectentibus opinionem contrariam. Cùm ergo Layman suprà testetur de communi Doctorum sententia pro parte

negativa, quid mirum, si Pontifex concesserit privilegia pro parte affirmativa?

500. Approbatur sententia affirmans. Cæterùm cùm jura, quæ communiter de hac re allegantur, valdè incerta & obscura sint, ut patet ex dictis & patebit ex dicendis, consulendo rationem naturalem, non videtur improbabile Acolythis, immo & cæteris Clericis minorum Ordinum, vel etiam primæ Tonsuræ licitum esse sacra vasa vacua extra sacrum ministerium contingere.

Probatur; quia Officium Clericorum videtur esse hujusmodi instrumenta aliqua tandem majori ratione tractare, quàm alii communes laici viri, aut feminæ illa tractant. Nam & collatio primæ Tonsuræ sacrum ministerium dicitur, & qui illâ initiantur, sacri quodammodò & Dominicæ sortis participes efficiuntur, atque Ecclesiæ foro specialiter aggregantur.

Præcipua ergo difficultas est de laicis, an & quo jure id ipsis sit prohibitum. Et quidem videmus consuetudine sic esse introductum, ut omnino ab illo contactu abstineant: sed videtur hæc consuetudo potissimùm, imò solùm fundari in communi sententia, quæ asserit illum contactum laicis non licere; adeoque esse introductam ex ignorantia probabilitatis sententiæ oppositæ, & ex consequenti non obligare, quia non frequentant illam laici animo se obligandi. Videndum itaque an sententia communis sit vera & infallibilis.

501. Non est omnino certum laicis illum contactum esse prohibitum, *Sotus.* Enimverò non esse omnino certam, probatur primò auctoritate Doctorum, qui oppositam sustinent, vel saltem de ea dubitant. Primus sit Sotus 4. dist. 13. q. 2. art. 3. §. *Sed circa hoc quæritur, utrùm sit mortale sacrilegium, ut laici & præsertim feminæ sacra vasa, aut vestimenta tangant.* Respondet autem, quòd simpliciter tangere, nullatenus est peccatum mortale: immo si absit contemptus, aut non est veniale, aut est levissimum. Similiter loquitur Emanuel Sa verb. *Sacra* in impressione genuina: Sacra, inquit, tangi à laicis sine contemptu, aut nullum peccatum est, aut levissimum. *Emanuel Sa.*

Bartholomæum ab Angelo. Citatur etiam Bartholomæus ab Angelo de Miss. Dialogo 5. §. 121. Multumque favet huic opinioni Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 43. n. 27. ibi: Quod & confirmari potest, quia Sotus suprà, quem multi Neoterici sequuntur, dicit etiam feminas tangere Corporalia & calices absque contemptu, aut nullam esse culpam, aut levissimam, & Canones id prohibentes intelligi de consilio. Quare & Agnos Dei tangere à fortiori non excedet culpam venialem. Immo credo nullam esse culpam, eò quòd usus obtinuerit ut à laicis, etiam feminis, tangantur. Hæc ille. *Sanchez.*

502. *Tamburinus.* cùm talem obligationem Canones non sa- Novissimè sequitur hanc sententiam Tamburinus lib. 1. c. 2. §. 1. n. 12. ostendens à n. 13. usque ad finem, Canones, qui communiter adferuntur ad probandum peccatum veniale, planè esse insufficientes. Tres ex illis superiùs exscripsimus. Do hìc alios quinque, quorum princeps erit Can. 25. dist. 23. Ubi Soter Papa in hæc verba scribit Episcopis Italiæ Epistolâ 2. *Sacratas Deo feminas, vel Monachas sacra vasa vel sacratas pallas penes vos contingere, & incensum circa altare deferre pessimum est ad Apostolicam Sedem, quæ omnia reprehensione plenâ esse, & vituperatione, nulli recte sapientum dubium est. Quamobrem huius sanctæ Sedis auctoritate hæc omnia vobis resecare festinate, quantò citiùs poteritis, censemus; & ne pestis hæc latiùs divulgetur, per omnes Provincias abstergi, citissimè mandamus.* Ubi nota ly *Penes vos*, & ly *Circa altare.* Primus Canon allegatus. 2. Soter.

Non loquitur ergo Pontifex de simplici contactu (neque enim hic contactus pestis, cùm secundùm Doctores communiter sit res omnino venialis & levis) sed de contactu in ministerio Missæ, quod semper feminis fuit prohibitum, & meritò; ipse enim mulieris, quantumcumque Deo devotæ, aspectus facilè inficit ad malum propensos hominum mores; ideoque nomine pestis vocatur, tantoque vigore vitari jubetur, ut potiùs in necessitate concedatur Sacerdotem sine ministro celebrare, ut infrà videbimus, quàm ministrante circa altare muliere. qui intelligitur de contactu in ministerio Missæ.

Secundus Canon desumitur ex Concilio Agathensi cap. 66. estque 30. eâdem dist. *Non oportet insacratos ministros licentiam habere in Sacrarium (quod Græci Diaconium appellant) ingredi & contingere vasa Dominica.* 30. Secundus Canon. Agathen.

Hunc textum intelligit Tamburinus suprà n. 17. de laicis, ut sensus sit, ministros laicos non convenienter inservire Sacro; quod tamen, saltem quoad Missas privatas, consuetudine jam abrogatum est, quia ubique locorum laicos ministrare, æquo animo & sine ulla indecentiæ specie, immo quando qui ministrant sunt viri nobiles, cum laude passim videmus. Hæc ille.

Ego autem existimo Ecclesiam ibi non voluisse prohibere laicis servitium Missæ privatæ quod commodissimè exhiberi potest sine ullo contactu sacrorum vasorum; sed magis servitium Missæ solemnis, quod à Diacano & Subdiacono non potest exhiberi sine hujusmodi contactu, ut sensus sit: *Non oportet insacratos ministros*, id est, non initiatos Ordinibus sacris, scilicet Presbyteratu, Diaconatu, vel Subdiaconatu (qui solùm in jure vocantur *Ordines sacri*, argumento cap. *A multis* 9. de Ætate & Qualitate & Ord. præf.) *licentiam habere in Sacrarium ingredi*, id est, ad altare ministrare, *& contingere vasa Dominica*, sicuti solent ab hominibus sacratis in ministerio altaris contingi. Sed, qui intelligi possunt laicis administrare in altari solemniter.

Utcumque explicetur hic textus, sive hoc, sive priori modo, liquet profectò, quòd neutiquam loquatur de tactu extra sacrum ministerium, de quo solo hìc disputamus, ut omittam quòd ly *Non oportet*, per se tantùm significet obligationem condecentiæ, id est, congruum esse ut sic, & non aliter fiat.

Con-

Alii Canones similiter exponuntur.

Consimiliter Respondeo ad Can. *Non oportet* 26. & Canones *Non liceat* 31. & 32. eâdem distinctione, de quibus superiùs fecimus mentionem, videlicet in illis non esse sermonem de quolibet contactu; sed de solo contactu in ministerio sacro, de quo in præsenti non quæritur.

505. Can. 41. de Consecrat. dist. 1. *Sixtus.*

Sed progrediamur ad alios Canones. De Consecratione dist. 1. c. 41. ita legitur ex Epistola 2. Sixti Papæ: *In sancta hac Apostolica Sede statutum est, ut sacra vasa non ab alijs, quàm à sacratis, Dominoq; dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim valde est, ut sacra Domini vasa, quæcumque sint, humanis usibus serviant, aut ab alijs, quàm à Domino famulantibus, eiq; dicatis tractentur viris; ne pro talibus præsumptionibus iratus Dominus plagas imponat populo suo, & hi etiam qui non peccaverint, mala patiantur, aut pereant, quia perit iustus sapissimè pro impio.*

intelligitur de profano usu,

Quid clariùs, quàm Pontificem non loqui de simplici, puroque contactu? De quo ergo? De profano usu, qui, ut ait Sotus suprà, & tenent communiter Theologi, ex genere suo est peccatum mortale, ut si quis auderet calice non consecrato in mensa profana uti: hoc enim contemptum præ se ferret mortalem. Et verò quid aliud significant ly *Contrectentur*, & ly *Tractentur*? Quid aliud illa verba, *Humanis usibus serviant*? & ista, *Ne pro talibus præsumptionibus iratus Dominus* &c?

Putas, Dominus plagas imponet populo suo, aut peribit justus pro impio propter peccatum aliquod veniale? Non est dignum & justum hoc cogitare de Divina Bonitate, pro tempore legis Euangelicæ, in qua Deus misit Filium suum in mundum non ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.

506. Eodem modo explicandus est Canon *Vestimenta*,

Eodem modo explico Can. *Vestimenta* 42. eâdem dist. ubi Stephanus Episcopus familiari amico Hilario Epistolâ 1. cap. 3. scribit in hæc verba: *Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur & sacrata debent esse, & honesta: quibus alijs in usibus non debent frui, quàm in Ecclesiasticis & Deo dignis officijs: quæ nec ab alijs debent contingi, aut ferri nisi à sacratis hominibus; ne ultio quæ Balthasar Regem percussit, super hæc transgredientes, & talia præsumentes veniat, & corruere eos faciat ad ima.* Ut vides, hic textus magis explicitè loquitur de vestimentis, quàm de vasis. Et tamen quis ignorat vestimenta sacra, de quibus agam Conclusione sequenti, ab omnibus passim contingi?

Suarez. ut videlicet solum reprobet profanum talium vestimentorum usum,

In Canone, *Vestimenta*, inquit Suarez disp. 81. sect. 8. §. *Tertium exemplum*, loquitur Stephanus Papa generaliter de Vestimentis Ecclesiasticis, *quæ neque ab alijs debent contingi, aut ferri, nisi à sacratis hominibus.* Quæ verba aut præceptū non continent, quia illud verbum, *Non debent*, non videtur in rigore significare obligationem, sed decentiam quamdam; aut non intelliguntur de quolibet tactu, sed de illo, qui ordinatur ad profanum & communem usum, ut ex antecedentibus potest non obscurè colligi: vel certè si admittamus ibi præceptum, dicendum est, in desuetudinem abiisse quoad hanc partem, Hactenus Suarez.

507. v. g. in torneamentis & vanis repræsentationibus?

Mihi nihil certiùs est, quàm Pontificem tantùm loqui de profanis usibus, v. g. si quis Corporali uteretur tamquā communi sudario, aut aliis vestibus sacris in torneamentis, vel ad aliam profanam repræsentationem aut ludum.

Alioquin extra propositum adferret exemplum Balthasaris Regis, quem constat non simpliciter attigisse vasa sacra, quæ asportaverat Nabuchodonosor Pater ejus de templo, quod fuit in Jerusalem; sed ex iis bibisse in convivio, quod fecerat Optimatibus suis. *Tunc*, inquit Scriptura Dan. 5. v. 3. *allata sunt vasa aurea & argentea, quæ asportaverat de templo, quod fuerat in Jerusalem, & biberunt in eis Rex, & Optimates eius, uxores, & concubinæ illius.*

Qui taliter utuntur vasis & vestimentis sacris, timendum valde est, ne ultio Domini veniat super eos, & corruere illos faciat ad ima, sicut venit super Balthasarem Regem, qui eâdem nocte in qua sic præsumpsit uti vasis sacris, testante Scripturâ, interfectus est.

508. de eodem usu explicatur Canon: *Ad nuptiarum.*

Restat Can. *Ad nuptiarum* 43. eâdem dist. qui desumptus est ex Concilio Aurelianensi, & sic sonat: *Ad nuptiarum ornatum divina mysteria non præstentur: ne dum improborum contactu, pompaq; seculares luxuriæ polluuntur, ad officia sacri mysterij videantur indigna.* Verùm hic sermonem esse de eodem contactu, scilicet in ordine ad usum profanum, ex ipso litteræ aspectu satis manifestum arbitror.

Quæ cùm ita sint, meritò dixerim in Conclusione: *An sine causa* (nudâ manu tangere calicem vel patenam) *sit veniale, dubium est, quando fieret extra ministerium sacrum.* Quin probabilem judico sententiam, quæ nullum omnino in prædicto tactu agnoscit peccatum præcisè ex jure scripto.

509. Quid sit licitum FF. Minoribus in hac materia. *Sixtus* IV. *Rodriguez.*

Haud equidem frustraneum erit vivæ vocis Oraculum Sixti IV. apud Rodriguez 46. quo concessit, quòd omnes Fratres (Minorum) Clerici & Laici possint tangere sine scrupulo conscientiæ calices, & Corporalia & alia paramenta, cum reverentia tamen.

Gregor. XV. *Urb.* VIII.

Fateor vivæ vocis Oracula revocata esse per Gregorium XV. Bullâ, *Romanus Pontifex* apud Cherubinum 27. & Urbanum VIII. Bullâ, *Alias felicis Recordationis* apud Cherubinum 121. Sed quid tum? Nonne hodie tenent viri gravissimi, solùm revocari ea vivæ vocis Oracula, quæ non sunt confirmata per Bullam alicujus Pontificis ex certa scientia? Eo ipso enim quo sic confirmantur, desinunt esse vivæ vocis Oracula, & censeri debent privilegia concessa per Bullas Apostolicas: adeoque non veniunt in hac revocatione, quæ, cùm sit odiosa, intelligenda est de illis Oraculis vivæ vocis, quę talia sunt propriè & rigorosè. Jam autem

Gregor XIII. Clem. VIII.

constat, quòd Gregorius XIII. & Clemens VIII. privilegia Fratrum Minorum, etiam vivæ vocis oraculo concessa, ex certa scientia confirmaverint.

§ 10. An obstet huic doctrinæ stylus Curiæ Rom. Bassæm.

Neque hæc doctrina est contra stylum Curiæ Romanæ, quia, ut refert Bassæus in Supplemento verb. *Privilegium* n. 8. Magister Frater Theodorus Stracius, Reverendus Generalis Carmeli, in quadam instructione pro suis Fratribus impressa Romæ anno 1640. quæ fuit approbata à Magistro sacri Palatii, cap. 20. expressè dicit, quòd apud ipsum certa est hæc resolutio. Quod non diceret nec approbaret Magister sacri Palatii, si esset contra stylum Romanæ Curiæ. Plura de hac materia vide apud Bassæum suprà & in primo tomo verb. *Privilegium* primò n. 8.

Innoc. III.

Venio ad vestimenta sacerdotalia, quæ exponit Innocentius III. lib. 1. de Mysterio Missæ c. 10. dicens: *Sex sunt indumenta communia Episcopis & Presbyteris: Amictus, Alba, Cingulum, Stola, Manipulus, & Planeta. Quia numerum sex junt, in quibus communis Episcoporum & Presbyterorum potestas consistit, videlicet, catechizare, baptizare, prædicare, conficere, solvere, & ligare.* De his itaque instituitur

CONCLUSIO XXVI.

Ad ritè celebrandum requiruntur sex instrumenta, videlicet Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Casula, sive Planeta, idque sub mortali, nisi parvitas materiæ, vel aliqua necessitas excuset.

§ 11. Vsus sacrorum vestimentorum est convenienter ab Ecclesia institutus. Ejus meminerunt Anacletus,

VSus sacrorum vestimentorum, quamvis ab Hæreticis, dicti Waldenses seu Pauperes de Lugduno (quos novi Hæretici imitati sunt) rejiciatur; attamen quòd convenientissimè ab Ecclesia fuerit institutus, clamat tota antiquitas, & dictat ratio naturalis.

Meminit illius Anacletus Papa (successor Clementis, & tertius vel quintus à Petro) in Epistola prima dicens: *Episcopus Deo sacrificans testes (ut præfixum est) secum habeat, & plures, quàm alius Sacerdos. Sicut enim majoris honoris gradu fruitur, sic majoris testimonij incremento indiget. In solemnioribus quippe diebus, aut septem, aut quinque, aut tres Diaconos, qui eius oculi dicuntur, & Subdiaconos atque reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis* &c.

& Stephanus Pontifices.

Nec prætereundum testimonium Stephani Papæ I. in Epistola Decretali 1. §. 3. ubi sic ait: *Vestimenta verò Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultusque divinus omni cum honorificentia & honestate à Sacerdotibus, reliquisque Ecclesiæ ministris celebratur, & sacrata debent esse & honesta.* Quasi diceret, pertinet ad splendorem & decorem cujusvis sacri ministerii, ut non fiat tantùm veste vulgari & communi, sed ut ipso exteriori apparatu, & sacris indumentis indicetur actionem illam non esse communem & vulgarem, sed sacram.

§ 12. Ratio naturalis. Exod. 28.

Ecce ratio naturalis, quam ipse Dominus insinuavit loquens Moysi Exodi 28. & dicens ad eum: *Facies vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam & decorem* vers. 2. Quantò magis sicienda erit vestis sancta Sacerdoti novæ legis? Sanè tantò magis, quantò Sacrificium novæ legis, præstat Sacrificio veteris legis, veritas umbræ.

Concilium Tridentinum.

Audite Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 5. *Cùmque natura hominum ea sit, ut non facilè queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia verò elatiore in Missa pronuntiarentur, instituit. Ceremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina, & traditione, quo & majestas tanti Sacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia Religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.*

Suarez.

Plura de hac materia vide apud Suarium disp. 82. sect. 2. ubi §. *Dico secundò*, breviter explicat significationes sacras singulorum indumentorum, quibus hodie Sacerdos utitur, significationes, inquam, quæ ad mores pertinent.

§ 13. Vestimenta non sunt de substantia Sacrificii.

Observat porrò circa eorum materiam nihil reperiri expressè præscriptum in Ecclesiasticis Decretis, & ideo, inquit, consulendus est usus, ex quo colligitur Amictum & Albam ex linea materia confici debere. Quæ autem hìc censenda sit materia linea, patet ex supradictis de materia Corporalis. Cætera quatuor indumenta possunt esse ex quacumque decenti materia; quò pretiosior, eò melior. Colorum item diversitas in diversis Missis non est de præcepto, sed de convenientia, sicut multa alia, quæ à Rubricis præscribuntur.

Præceptus modus Innoc. lib.

De cætero in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. (& refertur extrà de Custodia Eucharistiæ cap. 2.) statuitur, ut sint munda & nitida ibi: *Præcipimus quoque, ut Oratoria, Vasa, Corporalia & Vestimenta prædicta*, id est, vestimenta ministrorum, *munda & nitida conserventur.* Sanè etsi nullum de hac re foret præceptum positivum, reverentia Christo Domino debita satis superque illam persuadet: in tantum, ut si immunditia esset enormis, peccaretur etiam mortaliter. Vide superiùs dicta de munditia Corporalis, quæ indubiè magis curanda, propter immediatum contactum Corporis Christi.

Circa

514. Forma alia est artificialis, alia moralis.

Circa formam horum vestimentorum, liquet unam esse artificialem, alteram moralem seu sacram. Hæc est benedictio, de qua in sequenti Conclusione. Illa consistit in certa figura, de qua nihil aliud dicendum occurrit nisi eam omnino servandam esse, quam Ecclesia præscribit; nam sicuti aliarum rerum artificalium quà talium essentialis forma est figura, sic itidem horum vestimentorum. Quâ proinde destructâ, aut certè notabiliter variatâ, non erunt vestimenta sacerdotalia, ordinata ab Ecclesia ad usum hujus Sacrificii; adeoque perinde erit cum illis sic variatis, aut destructis celebrare, atque sine illis.

Celebrare sine vestibus sacris est mortale.

Hoc autem ex genere suo esse peccatum mortale, ut habet prima pars Conclusionis, omnes admittunt; non quidem contra præceptum naturale Religionis, sed positivum Ecclesiasticum in materia Religionis.

515. Probatur ex traditione & consuetudine.

S. Aug.

Quæris ubi scriptum sit? Respondeo, traditio est, universalis consuetudo est, non quæras ampliùs. *Illa* (inquit D. Augustinus Epistolâ 118.) *quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesiâ saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri.* Et infrà: *Similiter etiam si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia: nam hoc, quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est.*

Gravitas colligitur ex can. 9. dist. 23.

Bracarense.

Interim gravitas hujus præcepti colligi potest ex can. *Ecclesiastica* 9. d. 23. qui desumptus est ex Concilio Bracc. III. c. 3. ubi sic legitur: *Modis omnibus convenit ..... ut cùm Sacerdos ad solemnia Missarum accedit, aut per se Deo Sacrificium oblaturus, aut Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi sumpturus, non aliter accedat quàm Orario* (id est, Stolâ) *utroque humero circumseptus, sicut & tempore Ordinationis suæ dignoscitur consecratus; ita ut de uno, eodemque Orario cervicem pariter, & utrumque humerum premens, signum in suo pectore præparet crucis. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ subiaceat.*

516. Parvitas materiæ potest excusare.

Sed quoniam quæ ex genere suo sunt mortalia (sicuti omnia peccata contra virtutem Religionis) sæpè ex parvitate materiæ fiunt venialia; cur Sacerdos sacrificans sine Cingulo non posset excusari à mortali? Similiter utens Stolâ pro Cingulo, Manipulo longo pro Stola, Stolâ pro Manipulo? Parem enim habent benedictionem, & eandem formam; nam Cingulum non determinat sibi aliquam aliam specialem figuram; major autem vel minor longitudo non refert, si usum non impediat. Unde multi probabiliter docent id posse fieri, nec meminisse videntur alicujus peccati, vel saltem venialis, estò fieret sine aliqua necessitate.

517. An omissio Cinguli sit parva materia?

Affirmat Tamburinus.

Quod attinet ad primum casum, communis opinio est, omissionem cujuscumque vestis ex sex, in Conclusione enumeratis, esse sufficientem materiam peccati mortalis. Contrarium existimat Thomas Tamburinus lib. 1. cap. 3. §. 1. n. 3. de omissione Cinguli. Cur enim hìc, ut ferè in aliis materiis, hæc parvitas agnoscenda non sit? Immo in hac, de qua agimus, parvitate materiæ excusari etiam à veniali, ob casum necessitatis probabile est; quia necessitas videtur sufficiens ad excusandum eum, qui omittit rem ex se levem. Hæc Tamburinus.

Quæ necessitas excuset etiam à veniali.

Et addit: Gradus verò necessitatis non est hìc valde strictè accipiendus. Quare necessitas audiendi & celebrandi Sacrum die Festivo, fervor devotionis, & tentato voluntas tentationem eo remedio superandi, immo & Sacerdoti non diviti opportunitas eleëmosynæ, satìs superque in prædicta parvitate, etiam à veniali celebrantem excusabit.

Ex quo infert nu. 5. ut quamvis deficiente aliquâ ex vestibus majoribus, v. g. Alba, Casula &c. deobligemur à dicendo, vel audiendo Sacro in die præcepti, quia hoc præceptum non obligat, nisi quando Missa haberi debito modo potest, non tamen deobligemur deficiente aliquâ ex minoribus; quia tunc, ut dictum est, potest dici Missa. Quamvis si deobligari etiam velis, possis; quia licet tibi sequi opinionem contrariam, quòd scilicet nec deficiente aliquâ ex minoribus, liceat Missam celebrare. Hucusque Tamburinus.

518. Sententia Tamburini videtur probabilis.

Hæc sententia magìs placeret, si plures pro se haberet Auctores. Nihilominus, quia obligatio mortalis est valde odiosa, & minimè multiplicanda sine gravi fundamento, quod hìc non habeo, arbitror planè illam esse probabilem, & videri posset alicui ut talis admittenda ab his, qui docent, solùm esse peccatum veniale celebrare cum Cingulo non benedicto extra necessitatem, & in illa nequidem veniale. Etenim uti vestibus non benedictis, perinde videtur esse ac nullis uti, cùm benedictio sit forma moralis seu sacra, non minùs essentialis, quàm figura, quæ est forma artificialis.

519. Objectiones.

Scotus.

Dices: ergo Scotus debet admittere, licitum esse celebrare sine Cingulo, etiam extra necessitatem. Probatur Consequentia, quia docet 4. dist. 13. qu. 2. n. 9. licere extra necessitatem uti Cingulo non benedicto, ibi: *In quibusdam tamen locis consuetudo obtinuit, quòd non oportet Cingulum benedici, & sic non apparet quin liceat uti Cingulo non benedicto.*

Et sanè quis audeat negare Ecclesiam potuisse præcipere usum Cinguli independenter à benedictione, vel si dependenter, solummodò tamquam à conditione accidentali minoris momenti?

Diana.

Præterea Diana parte 2. tract. de celebrat. Miss. resol. 68. cum Henriquez, Paludano,

Richardo, Sylvestro, & Fagundez, quos citat, docet Sacerdotem qui sine necessitate celebraret cum Cingulo non benedicto, probabiliter peccare tantùm venialiter, vel cum eo & toto fracto & abrupto, & hoc ratione parvitatis materiæ; putas hi omnes admitterent tantùm esse peccatum veniale celebrare Albâ planè defluente absque ullo omnino Cingulo? Cur ergo illos non citat Tamburinus?

520. Solvuntur. Respondeo, citat Dianam (sed mendosè resol. 8. loco 68.) dum ex ipso enumerat necessitates, quæ excusant celebrationem cum Cingulo non benedicto ab omni peccato. Et verò quæ differentia tanta inter Cingulum totum fractum & abruptum, & non Cingulum, ut sine Cingulo celebrare sit peccatum mortale, cum Cingulo autem totaliter fracto & abrupto solum veniale? Certè ratio Dianæ videtur probare, utrumque tantùm esse veniale. Sed quæ illa? Est enim (inquit) materia levis, & indumentum minùs in se considerabile, quàm quodcumque aliud; immo indumentum non est, sed indumentorum ligatura.

Porrò licèt non negem Ecclesiam potuisse præcipere Cingulum non benedictum; unde constat id fecisse? Ex consuetudine, inquis, à Scoto adducta, quæ abrogavit benedictionem, retinuit autem substantiam Cinguli, sive abrogavit necessitatem formæ moralis, reliquit autem necessitatem formæ artificialis.

Respondeo, si verum est, quòd consuetudo in aliquibus locis abrogaverit necessitatem formæ moralis, sive benedictionis Cinguli, respondeo, inquam, in iisdem locis fortè etiam abrogasse necessitatem formæ artificialis, id est, ipsius Cinguli, & solùm eo uti Sacerdotes ad decentem compositionem Albæ, quæ, nisi Sacerdos succingeretur, ordinariè ad terram ipsam defflueret, & impediret commodum Sacerdotis incessum. Certè vel ex illa consuetudine apparet Cingulum esse minoris momenti cæteris indumentis, cùm hæc nuspiam consuetudine sint abolita, seu quoad substantiam, seu quoad benedictionem.

521. Necessitas excusat omittentem quædam vestimenta à mortali, *Suarez.* Cæterùm censent viri graves, teste Suario disp. 82. sect. 3. §. *Secundò dicendum*, prætermittere in casu necessitatis unum, vel alterum ex his vestimentis, præsertim ex minoribus, ut Stolam, vel Cingulum, non esse peccatum mortale.

Sed numquid (interrogat quidam Auctor) erit veniale? Sanè secundùm commune axioma Theologorum, Necessitas non habet legem; præsertim humanam, id est, per necessitatem tollitur, sive impeditur obligatio legis respectu patientis necessitatem, tollitur, inquam, seu impeditur in actu secundo, & cùm illa obligatio sit indivisibilis, impeditur tota, ubi autem non est obligatio, non est peccatum, nequidem veniale.

Dices: mortale fit veniale ex parvitate materiæ; atqui necessitas facit, ut materia ex magna fiat parva: ergo dabitur necessitas excusans à mortali, & non à veniali. Probatur Minor in casu præsenti; quia dum est necessitas audiendi Sacrum, omissio, v.g. Cinguli vel Manipuli censetur levis deordinatio, quæ aliàs ex se esset gravis. 522. Objectio.

Sed hoc est, quod quæritur; cùm enim seclusâ lege Ecclesiasticâ, nulla sit deordinatio, & ex suppositio per legem Ecclesiasticam fiat deordinatio gravis, si hæc tollitur per necessitatem, quare non etiam deordinatio levis? Responsio.

Quia, reponis, lex illa non tantùm obligat sub mortali, sed etiam sub veniali juxta capacitatem materiæ; jam autem omissio Cinguli in talibus circumstantiis non est capax gravis obligationis, sed dumtaxat venialis. 523. Instantia.

Audio, & quæso te, nùm etiam præceptum Ecclesiæ jejunandi, vel audiendi Missam diebus Dominicis & Festis, obligat sub mortali, & veniali pro diversis circumstantiis? Fortè datur aliqua necessitas quæ excusat à mortali, & non à veniali? Solutio.

Aliud est quando agitur de irreverentia naturali, quæ v. g. fieret Corpori Christi in Eucharistia per contactum manuum sordidarum, per sumptionem in malo statu &c. siquidem ratio naturalis non dictat irreverentiam in omni hujusmodi contactu aut sumptione, sed dumtaxat in contactu aut sumptione, quæ fieret sine aliqua justa causa, adeò ut objectum prohibitionis non sit nudus contactus, vel sumptio, sed contactus vel sumptio sine justa causa; ut proinde defectus justæ causæ sit partiale objectum. Prohibetur namque omnis irreverentia rei sacræ; irreverentia autem non erit, si adsit justa causa. Et quoniam irreverentia alia magna est, alia parva, fieri potest, ut causa excuset ab irreverentia magna, secùs à parva.

At verò in casu proposito, qualiscumque sit necessitas, sive magna sive parva, semper invenitur totale objectum prohibitionis; scilicet celebratio Missæ sine Cingulo. Si ergo semel illa celebratio Missæ est materia magna, semper erit; & per consequens vel erit peccatum mortale, vel nullum erit peccatum, nisi constet de contraria mente Legislatoris. Hæc dicta sint inquisitionis seu disputationis gratiâ, non intentione quidpiam resolvendi.

Interim dari posse necessitatem, quæ excuset celebrationem Missæ sine Manipulo, vel Cingulo ab omni peccato, vix dubito. Et talis erit necessitas mortis, aut alterius mali æquivalentis: si v. g. diceretur Sacerdoti, non in contemptum Religionis (ad quem cooperari, vel saltem exteriùs, semper est peccatum contra præceptum naturale Religionis) sed in alium indifferentem finem; v.g. ad hoc, ut

ut alii audiant Sacrum; si, inquam, diceretur: *Vel celebrandum tibi est sine Manipulo, vel statim moriendum.* Quid si diceretur: *Celebra sine Planeta?* Fortè & illam omittere non erit peccatum.

525. An ex metu mortis possit Sacerdos celebrare sine omni veste sacra?

Quid si ergo ad hoc veniretur: *Aut Sacrificium offeres sine omnibus vestibus sacris, aut morieris?* Putant aliqui meliùs fore, ut sine Sacrificio corpus occideretur, quàm per Sacrificium anima moreretur. Rationem dant disparitatis, quia sine omnibus non evitabis scandalum, & irreverentiam magnam, sine aliqua dumtaxat evitari posse, probabilissimum est. Ita Tamburinus suprà n. 6. in fine secutus Suarium disp. 82. sect. 3. §. *Secundo dicendum.*

Tamburinus.

Suarez.

Sententia affirmans.

Sed hæc sententia Navarro videtur nimìs dura. Sic inquit ille Auctor cap. 25. Manual. n. 84. Et peccat qui sine omnibus vestibus sacris, aut sine Corporalibus, aut sine libro, saltem continente Canonem, scilicet, *Te igitur*, usque ad Communionem, celebrat, juxta Sanctum Antoninum 3. part. tit. 13. cap. 6. §. 6. etiamsi Festum urgeret, juxta eundem ibidem: etiamsi aliter mortem vitare nequeat, secundùm Caietanum 1. 2. qu. 69. art. 4. (quod nobis satìs durum videtur) licèt si celebrat, non fiat irregularis.

Navarrus.

S. Antoninus.

Caietanus.

Emanuel Sa.

Navarrum sequitur Emanuel Sa correctus verb. *Missa.* n. 13. dicens: Nec ob vitandam mortem quidam aiunt celebrandum sine vestibus sacris, aut libro; at meliùs alii, Ecclesiam non obligare cum tanto periculo. Hæc ille.

526. cui subscribit Auctor.

Huic sententiæ lubens subscribo, si solùm agitur de transgressione legis Ecclesiasticæ. Nam ut communiter docent Theologi in tract. de Legibus; Lex humana non obligat cum periculo vitæ, aut alterius gravis nocumenti, nisi actus justè præceptus, per se habeat hujusmodi periculum annexum, vel non observantia cedat in formalem contemptum legis, scandalum proximi, aut implicitam fidei abnegationem. Jam autem celebratio cum sacris vestibus per se non habet annexum periculum vitæ, ut clarum est, & aliunde fieri potest, ut celebratio sine vestibus sacris non cedat in formalem contemptum legis, scandalum proximi, aut implicitam fidei abnegationem; v. g. tempore persecutionis ad instantiam fidelium, ut fortes & constantes permaneant in confessione fidei.

527. Objectio.

Si dixeris; saltem est magna irreverentia tam tremendum Sacrificium offerre sine ulla veste sacra; magna, inquam, irreverentia contra præceptum naturale Religionis.

Responsio.

Respondeo; irreverentiam naturalem in pluribus casibus excusat necessitas mortis, aut alterius mali æquivalentis, ut patet quando ex metu mortis administratur Sacramentum indigno, suscipitur ab indigno &c. Cur non similiter metus mortis posset excusare irreverentiam, quæ aliàs committeretur contra jus naturale celebrando sine vestibus sacris? Non video quid obstet.

Procul dubio ratio naturalis dictat, planè conveniens esse, ut res tam sacra, non communibus, sed sacris vestibus peragatur; attamen id esse omnino necessarium non convincit. Christus Dominus nonne sine his vestibus Sacrificium instituit & obtulit? Apostolos quoque à principio semper fuisse usos hujusmodi vestibus, idque benedictis, unde constat? Igitur tam forma artificialis harum vestium, de qua hactenus satìs egimus; necessaria est solo jure Ecclesiastico, quàm forma moralis, id est, benedictio, de qua superest quæstio, quomodo, & à quo fieri debeat. Pro Responsione erit

CONCLUSIO XXVII.

Vestes Sacerdotales debent benedici juxta ritum, qui præscribitur in Pontificali Romano, idque à legitimo ministro, id est, ab Episcopo, vel aliis habentibus à Pontifice facultatem.

§ 28. Vestes sacræ necessariò benedicuntur, ut usus Ecclesiæ,

NEcessitas benedictionis luculenter patet tum ex can. *Vestimenta* 42. de Consecrat. dist. 1. ubi sic dicitur: *Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, & sacrata debent esse & honesta:* tum ex continuo & universali usu Ecclesiæ. Et quis prudenter dubitet, an juxta ritum Pontificalis Romani debeat fieri illa benedictio?

& Pontificum decreta ostendunt. *Clem. VIII.*

Statuentes (inquit Clemens VIII.) *Pontificale prædictum nullo unquam tempore in toto, vel in parte mutandum vel ei aliquid addendum, aut omnino detrahendum esse, ac quoscumque qui Pontificalia munera exercere, vel alias quæ in dicto Pontificali continentur facere, aut exequi debent, ad ea peragenda & præstanda ex hujus Pontificalis præscripto & ratione teneri, neminemq; ex iis, quibus ea exercendi, & faciendi munus impositum est, nisi formulis, quæ hoc ipso Pontificali continentur servatis satisfacere posse. Omnibus igitur* &c. Hactenus Pontifex Bullâ: *Ex quo in Ecclesia Dei* 38. apud Cherubinum, & solet præfigi Pontificali.

§ 29. Iustus benedictionis minister ordinarius est Episcopus.

Porrò hujusmodi benedictionis legitimum ministrum esse Episcopum, lippis notum est atque tonsoribus. Quid enim aliud clamat Pontificale Romanum? Quid aliud praxis Ecclesiæ? Quid consecratio Ecclesiarum, Altarium, & aliarum rerum quæ Chrismate inunguntur? Quid collatio sacrorum Ordinum?

Si,

Si, inquam, jure ordinario competit Episcopis conferre Ordines sacros, consecrare Ecclesias &c. quantò magis benedicere vestimenta sacerdotalia? Neque enim hæc benedictio est Sacramentum, neque in ea intervenit unctio Chrismatis: ergo inferior aliis consecrationibus. Et ideo pluribus per privilegium Pontificum concessa. Quæris qui sint illi?

530. Ex privilegiis Pontificum etiam alii.

Primum est Innocentii VIII.

Primum privilegium de hac re est Innocentii VIII. factum vivæ vocis Oraculo anno 1487. Congregationi S. Justinæ de Padua (& consequenter Mendicantibus & participantibus cum illis) quo concessit Prioribus dicti Ordinis & Vicariis in absentia Prioris, & cuilibet habenti principale regimen cujuscumque Monasterii posse benedicere Corporalia, vestimenta, cæteraque ornamenta Ecclesiastica ad cultum divinum pertinentia, & tam sui Monasterii, quàm etiam undecumque sint. Ita refertur in Compendio Privilegiorum dicti Ordinis folio 132.

531. Qui intelligantur nomine Vicariorum.

Ubi notandum ex Rodriguez tom. 1. qq. Regul. q. 19. art. 2. per Vicarios debere intelligi illos, qui specialiter eliguntur seu instituuntur ad præsidendum & habendum principale regimen in absentia Guardianorum, non autem qui per accidens aliquando præsunt communitati.

Aliud est Leonis X.

Idem concessit Leo X. Fratribus Minoribus (& consequenter participantibus) quamvis pro suo usu tantùm, Bullâ: *Religionis honestas* apud Rodriguez 6. ubi sic lego: *Cùm sicut nobis nuper exponi feciſtis, dudum felicis Recordationis Sixtus Papa IV. prædecessor noster vobis ut paramenta & ornamenta Ecclesiastica, ac Corporalia ac alia in quibus Chrisma non intervenit, benedicere positis, gratiosè concesserit &c. Nos igitur ..... huiusmodi supplicationibus inclinati ..... vestri Ordinis Generalibus & Provincialibus, Vicariis & Custodibus ac Guardianis pro tempore existentibus præfatis, ut omnia & singula ..... paramenta & ornamenta ac alia quæcumque ad divinum cultum, & usum vestrum necessaria, in quibus Chrisma non intervenit, pro vestro usu tantùm solemni benedictione, ac etiam per Vicarium seu Guardianos aut alios ad hoc à vobis in vestris Capitulis Generalibus providè deputandis benedicere ..... liberè & licitè valeatis, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium concedimus & indulgemus.*

532. Circa quod notandum quid sit solemnis benedictio.

Ubi nota primò, solemnem benedictionem esse illam, quæ incipit ab his verbis: *Adiutorium nostrum in nomine Domini: Sit nomen Domini benedictum* &c. Quæ solemnitas verborum, licèt de jure ordinario non pertineat nisi ad Episcopos, tamen per privilegia dictis Prælatis communicatur.

Nota II. ex ea concessione probari, Guardianos & Priores conventuales posse benedicere Corporalia, ut constat ex istis verbis: *Ac alia quæcumque ad divinum cultum & usum vestrum necessaria, in quibus Chrisma non intervenit.* Certum quippe est in benedictione Corporalium non intervenire Chrisma. Ut omittam expressam fieri mentionem Corporalium in concessione Sixti IV. quam Leo refert & confirmat.

Tertium privilegium est Sixti IV. quo vivæ vocis Oraculo apud Rodrig. 12. concessit quòd Fratres Sacerdotes familiæ nostræ possint benedicere paramenta altaris, & missalia indumenta, exceptis Corporalibus dumtaxat. 533. Tertium privilegium est Sixti IV. Rodrigues.

Distinguitur hoc privilegium à præcedenti, quia conceditur non tantùm Prælatis, eorumque Vicariis in illorum absentia, aut aliis simplicibus Sacerdotibus, specialiter ad hoc in Capitulis Generalibus deputandis; sed sine ulla restrictione aut limitatione quibuscumque Sacerdotibus Ordinis Fratrum Minorum; & per consequens omnibus cum illis communicantibus. concessum omnibus Ordinis Minorum Sacerdotibus.

Et scio, inquit Portel verb. *Benedicere* in addit. n. 2. apud Patres Dominicanos istam concessionem esse in usu & sic practicari, ut Sacerdotes ordinarii benedicant omnia proximè dicta, etiamsi non sint Prælati. Quod verò spectat ad Fratres Minores, credo illos non posse uti præsenti concessione. Nam Capitulum Generale, immò & ipse Generalis possunt præcipere, ne Religio utatur hoc vel illo privilegio, vel ut utatur hoc aut illo modo. At constat ex Collectore privilegiorum Mendicantium verb. *Benedicere* n. 16. quod Capitulum Generale Mechlinense (fortè Mechlinienſe) post Sixtum IV. decrevit & præcepit, quòd soli Provinciales, Custodes, & Guardiani benedicant ornamenta Ecclesiæ, & non alii: per quæ verba interdixit usum talis privilegii, vel potiùs restrixit illud ad solos Prælatos. Et ita puto servari in praxi in tota nostra Religione, saltem in hac mea Provincia, in qua nunquam vidi prædicta ornamenta benedici, nisi à Prælatis. Hucusque Portel. 534. Portel. quod præcedere Dominicanos. An per de petitum in Bibliotheca Minorum?

Verùm quòd fuerit illud Capitulum Generale Mechlinense, ignoro, quia illud non invenio inter cætera Capitula Generalia à primo Ordinis exordio usque ad annum 1633. nuper impressa Neapoli anno 1650. sub Titulo Chronologia historiæ legalis Seraphici Ordinis Fratrum Minorum. 535. De illo Mechlinense non iste cuius?

Atque ut sic esset, Respondet Bruno Chassaing de Privil. Regul. parte 2. tract. 7. c. 4. propositione 1. hanc prohibitionem in multis Provinciis Ordinis non fuisse receptam, præcipuè in Galliis, ac etiamsi recepta supponeretur, postmodum aliæ constitutiones Ordinis factæ sunt, quibus dumtaxat Minores obligantur, & non aliis, illudque privilegium, sicut & cætera in suo robore firmum relinquunt, ut manifestè constat ex tenore constitutionum Segovienſium, quæ jam in dicto Ordine vigent cap. 8. §. 7. de Constitutionibus ibi: *Atque adeò expressè volumus, sancimus & decernimus, ut universi & singuli Fratres se ad hæc statuta* Bruno Chassaing. fatetur a nullo se impugnari.

statuta instituant, & informent, quoniam omnia, & singula Statuta hucusque retroactis Capitulis & Congregationibus quomodocumque edita, omnino abolentes, annullantes, & revocantes, has dumtaxat Constitutiones, Decreta & Statuta in præsenti Generali Congregatione ex illis selecta, unanimi consensu recepta & probata, & in hoc ordine disposita; volumus ac districtè præcipimus ab omnibus tam Prælatis quam Subditis integrè, exactè atque inviolatè servari. Certùm est autem, quòd hæ Constitutiones nullam de hac prohibitione mentionem faciant.

536. Bruno putat praxim Ordinis esse contrariam.

Accedit, inquit Bruno, quòd ab illo tempore concessiones & gratiæ hujusmodi factæ sunt aliquibus Ordinibus, cum quibus in omnibus privilegiis Minores communicant, nec ulla ab eo tempore prohibitio eisdem non utendi à Capitulo Generali emanavit; quocirca usus & praxis in dicto Ordine conformis est privilegio. Hæc ille.

Sed quæ sint illæ concessiones, & quibus Ordinibus factæ, non loquitur; nec ego dicam, quia nullam invenio præter concessionē Innocentii VIII. de qua suprà. Quantùm ad praxim, scio Prælatos solere in nostra Provincia prædicta vestimenta benedicere: quid in aliis fiat, nescio. Interim per non usum numquaam perditur privilegium merè favorabile, quale hoc est, de quo disputamus, præsertim quando oritur ex ignorantia.

537. An nostri Superiores benedicant aliorum ornamenta.

Ex his patet responsio ad id, quod ex eodem Capitulo Meclinensi addùcit Collector Privil. suprà dicens: Reperitur quoddam Statutum generale factum in Capitulo Meclinensi sub forma sequenti: *Generale Capitulum determinavit & præcepit quòd soli Provinciales habeant benedicere Corporalia. Et ýdem Provinciales, Custodes & Guardiani alia ornamenta pro Fratribus, Monalibus, & Tertiarys, & nullo modo pro alys extra Ordinem.*

Sanè video ego quotidie in hac Provincia contrarium practicari. Omnes enim Guardiani sine ullo scrupulo benedicunt Corporalia & alia ornamenta undecumque delata.

Et meritò, quia constat de privilegio Innocentii VIII. non verò de ejus revocatione aut limitatione, sive speciali per Capitulum Meclinense, sive generali per Decretum sacræ Rituum Congregationis die 24. Augusti 1609. quod allegat Gavantus in Rubricis Missalis part. 3. Tit. 19. n. 22. addens renovatum fuisse in favorem Episcopi Spoletani die 30. Septembris 1628.

538. Negat Gavantus. Tamburinus.

Propter hoc Decretum putat Gavantus suprà, Superiores Regularium non posse benedicere paramenta Ecclesiarum sibi non subditarum. Nec obstat, inquit, consuetudo allegata à Tamburino de Iure Abbatum tom. 1. disp. 22. q. 2. n. 2. quam abrogavit & non obstare declaravit eadem sancta Congregatio 18. Augusti 1629.

Ex simili Decreto 17. Julii 1627. docet idem Auctor nullo modo Sacerdotes simplices benedicere posse proprias vestes.

sed oppositum est practicè tutum.

Sed quis non videt unico verbo responderi posse, hæc Decreta non constare authenticè; adeoque propter ista non aliter operandum, aut ab opere desistendum, quàm priùs? Igitur sine scrupulo Superior Regularis benedicat Corporalia, & alia ornamenta Ecclesiastica, in quibus non intervenit Chrisma, undecumque delata; similiter simplex Sacerdos Regularis, exceptis Corporalibus dumtaxat.

539. An Episcopus possit hanc facultatem delegare simplici Sacerdoti?

Notat ibidem Gavantus n. 23. Episcopum non posse hanc facultatem delegare simplici Sacerdoti, ut colligitur ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis sequentis tenoris: *Benedictio paramentorum, & altarum rerum pro usu Ecclesiarum, ut posit ab Episcopo delegari personis in Dignitate Ecclesiastica constitutis, conceditur; dummodò in eis non sit adhibenda sacra unctio* &c. Ita refert Barbosa in collectione Bull. verb. *Benedictio.* *Barbosa.* Quid autem erat opus hâc concessione, si potestas illa per se competat Episcopo?

Et ratio est; quia de potestate Ordinis est hæc benedictio: potestas verò Ordinis non potest ab Episcopo delegari, sicuti bene potestis jurisdictionis, argumento cap. *Aqua.* 9. de Consecrat. Eccles. ibi: *Licèt Episcopus committere valeat, quæ iurisdictionis existunt, quæ Ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradûs Clericis demandare.*

540. An benedictio illa sit actus Ordinis Episcopalis? *Angelus.*

Nihilominus qui negaret illam benedictionem esse actum Ordinis Episcopalis cum Angelo verb. *Benedicere.* n. 1. quia (inquit ille) competit Abbatibus ex consuetudine; consequenter cum illo diceret, quemlibet Sacerdotem de jure communi posse benedicere omnia illa, in quibus non intervenit Chrisma, & non sunt ei specialiter inhibita. Talia autem, secundùm istum Doctorem, sunt vestimenta; quia in cap. *Vestimenta* 42. de Consecrat. dist. 1. ex quo probavimus suprà necessitatem benedictionis, nihil dicitur de Episcopo.

Et aliunde inter illa, quæ sunt Ordinis Episcopalis, non enumeratur benedictio paramentorum, ut patet ex sequentibus verbis: *Quamvis Chorepiscopis & Presbyteris plurima cum Episcopis ministeriorum communis sit dispensatio: quædam tamen auctoritate veteris legis, quædam novellis & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint: sicut est Presbyterorum, & Diaconorum, aut Virginum consecratio; sicut constitutio altaris, ac benedictio vel unctio. Siquidem nec erigere eis altaria, nec Ecclesias, vel altaria consecrare licet, nec per impositionem manuum, fidelibus baptizatis vel conversis Hæreticis Paracletum Spiritum Sanctum tradere, nec Chrisma conficere, nec Chrismate baptizandorum frontes signare, nec publicè quidem in Missa quemquam pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere. Hæc enim omnia illicita sunt Chorepiscopis.* Ita Leo I. *Leo I.*

Epistolâ 86. aliàs 88. & refertur dist. 68. can. 4.

541. *Sententia affirmans non satis probatur.*

In quibus verbis, ut clarum est, nulla fit mentio benedictionis vestimentorum. Quo ergo jure probatur, illam benedictionem adeò propriam esse Episcopis, ut etiam ab his delegari non possit simplici Sacerdoti? Sanè aliud adferri nequit præter consuetudinem, & privilegia desuper concessa, quæ frustranea forent, si hoc jure, vel consuetudine possent.

Interim qui negaret consuetudinem obligare, & assereret multa privilegia data esse ad sedandos scrupulos, ut non semel in hac Sectione diximus, non posset efficaciter redargui. Quid ergo? Ne in praxi recesseris à communi sententia, & non erraveris.

542. *Tamburinus. An major causa requiratur ut celebretur sine vestibus sacris, quàm cum illis nondum benedictis.*

Notandum præterea, quod docet Tamburinus de Sacrificio lib. 1. cap. 3. §. 2. n. 2. videlicet gravioris mali metum requiri, ut quis licitè faciat Sacrum sine vestibus sacerdotalibus, quàm cum illis nondum benedictis. Ratio est, inquit, quia majoris scandali, majorisque irreverentiæ periculum est in illo, quàm in hoc modo celebrandi. Quis enim non magis scandalizetur, si videat Sacerdotem in vestibus communibus celebrantem, quàm si videat eundem celebrantem in vestibus sacerdotalibus, licèt sciat nondum esse benedictas? Idem dic de irreverentia. Hæc ille.

543. *Sententia negativa probatur.*

Sed multa facilè dicuntur, quæ difficulter probantur. Enimverò quomodo hæc doctrina consonat illi sententiæ, quam habet numero præcedenti, nimirum: Idem est uti vestibus non benedictis, ac nullis uti? Quod etiam docent Suarius disp. 182. sect. 3. §. *Secundo dubitari solet*, & Fagundez de primo præcepto Eccles. l. 3. c. 23. n. 17. Quæ ergo ratio majoris scandali in uno casu, quàm in alio, si idem casus est?

Fateor periculum esse majus propter ignorantiam illorum, qui communiter assistunt Sacrificio, qui videntes Sacerdotem celebrantem cum vestibus sacerdotalibus, existimant, & quidem prudenter, illas esse benedictas; si tamen quispiam sciret non esse benedictas, & simul cognosceret benedictionem esse necessariam, non minùs scandalizaretur, quàm si videret alium sine vestibus celebrantem.

544. Consimiliter quod spectat ad irreverentiam, cùm Lex Ecclesiastica non obliget ad usum vestium non benedictarum, imò expresè illum prohibeat, quæ major irreverentia positiva invenitur in uno casu, quàm in alio? Neque etiam major irreverentia naturalis, id est, contra legem naturalem; quia hæc, ut patet, non potiùs requirit has vestes, quàm alias, dummodò sint honestæ, & tanto muneri seu actioni convenientes: quòd enim sint hujus vel illius figuræ, quamvis sit aliqua congruentia pro hac magis quàm pro illa, equidem tota necessitas oritur ex lege positiva. Si ergo illa sit una & eadem, præcipiens per modum unius hujusmodi vestes benedictas, dico iterum tantùm peccare contra illam legem, qui celebrat cum vestibus non benedictis, quantùm si celebraret sine illis.

Hoc meliùs advertit Tamburinus suprà n. 3. Sacerdotem non debere esse sollicitum in inquirendo, an vestes, aliaque Sacrificii instrumenta sint benedicta, nisi aliqua particularis ratio occurrat dubitandi. Quare rectè notant alii, quando hæc rei divinæ inservierunt de more, vel quando offeruntur à Parocho, nihil esse inquirendum. Nam sine urgenti ratione non possumus præsumere Parochum, ad quem spectat illa cura, offerre vestes, vel alia instrumenta, quibus juxta præceptum Ecclesiæ non possumus uti, nemo enim præsumitur malus nisi probetur. Et aliunde quando de more inservierunt rei divinæ, prèterquam quòd præsumi possit & debeat, quòd anteà consecrata fuerint, jam hoc ipso ministerio, probabiliter saltem, consecrata permanserunt juxta superiùs dicta de calice & patena. 545. *Celebrantes non debere esse sollicitos in inquirendo an vestes benedictæ sint.*

Nec obstat quòd non habeamus hîc contactum illum Corporis & Sanguinis Christi; quia etiam in vestibus & aliis ornamentis non requiritur tanta consecratio. Unde non est improbabile sufficere eam consecrationem, quæ ex ipso sacro ministerio in illa redundat, inquit Tamburinus lib. 1. cap. 1. §. 4. n. 4. citans Gavantum in Rubricis Miss. p. 4. tit. 19. n. 21. 546. *Aut tacto ministerio sufficere consecrationes.* *Tamburinus.*

Sed perperàm, ut ostendo ex his verbis: Reprehendit Possevinus de Officio Curati c. 2. n. 30. eos, & meritò, qui assuunt vestem sacerdotalem non benedictam vesti sacerdotali benedictæ, & eam dissuunt post Missam, putantes hoc sufficere vice benedictionis propriæ, quod nullatenus est permittendum. Ita Gavantus, nullam rationem assignans, ut notat Tamburinus cap. 3. §. 3. n. 6. *Probantia affirmantem opinionem adducit Gavantus.*

Sed quid mirum? Nam fortè supposuit communiorem & probabiliorem sententiam, scilicet ex solo ministerio sacro non remanere vestes consecratas: saltem ex illa doctrina non sequitur Gavantum censuisse celebrationem sufficere vice benedictionis.

Cæteroquin vellem audire rationem, quare hoc nullatenus sit permittendum. Assignat illam Tamburinus; quia vel illâ veste assutâ uteris ex intentione sacrificandi in ipsa, & sic mortaliter peccas adhibendo Planetam non benedictam; vel illâ uteris non ex intentione sacrificandi in ipsa, & tunc non benedicetur, quia benedicitur vestis ex ipso Sacrificio, in probabili illa sententia, quando vestis inservit Sacrificio: at non inservit Sacrificio illa, quam ex tua intentione licèt materialiter tecum habeas, sicuti habes cæteras usuales vestes, nullo modo refers ad Sacrificium. 547. *Exponitur casus in quo peccatum.*

Confirmatur; nam si Episcopus benedictionem proferret præsentibus duabus Planetis, cum inten-

intentione benedicendi hanc, & non illam, certè hæc sola benediceretur, non autem illa: pari ergo modo (cùm, quod in re nostra facit benedictio, suppleat Sacrificium) si ad illam vestem Sacrificii benedictionem non refers, benedicta remanere non poterit. Hactenus Tamburinus.

548. Alius casus proponitur. A quo peto; si Planeta serica nullo panno fulta benediceretur, & post benedictionem panno fulciretur, peto, inquam, licitum erit uti tali Planetâ animo sacrificandi in illa, etiam quà fulta panno, & consequenter in ipso panno? Extrahatur rursum sive dissuatur pannus, nùm in ipso solo potero Sacrificare?

Si ergo tali modo Planeta non benedicta, benedictæ subduceretur, quidni sine peccato possem velle in utraque celebrare? Tali namque casu non celebro sine Planeta benedicta, quod solùm est prohibitum. Hæc offero doctioribus examinanda & resolvenda.

Reliquum est, ut investigemus modum, quo amittitur benedictio vestium Sacerdotalium. Dico ergo:

CONCLUSIO XXVIII.

Amittunt vestes Sacerdotales suam benedictionem, quando ita franguntur, ut jam sint ineptæ ad suum consuetum usum.

549. Probatio Conclus. HÆc Conclusio patet ex dictis de execratione calicis & patenæ; si enim calix & patena amittunt suam benedictionem quando ita immutantur, ut sine novo artificio sint inepta ad consuetum usum Sacrificii, quidni etiam vestes sacerdotales? Etenim sicuti illa benedicuntur in ordine ad usum Sacrificii, ita & hæ. Et veluti calix & patena moraliter destruuntur, quando sic immutantur, ut non facilè sine novo artificio sint apta ad usum Sacrificii, ita quoque moraliter destruuntur vestes sacerdotales, quando sic franguntur, ut non facilè sine novo artificio sint idoneæ ad usum Sacrificii. Quid ergo mirum si amittant suam benedictionem, cùm moraliter destruatur illud, quod anteà fuerat benedictum? Ex quo sequitur

550. Alba amittit benedictionem per separationem manicæ assutæ. Corollarium Primum: si manicæ assutæ separentur ab Alba, perditur benedictio, quia jam inepta evasit ad usum Sacrificii, nisi per novum artificium rursum manicæ assuantur.

Dices; possunt manicæ sine novo artificio facilè aciculis affigi, ita ut possit utcumque Alba deservire.

Respondeo, non sufficit posse partes facilè connecti ut retineatur benedictio; sed oportet quòd sine novo artificio possint facilè recipere connexionem, qualem priùs habebant; quia benedictio respiciebat partes taliter connexas: illa autem connectio artificialis non perditur moraliter, quamdiu partes possunt absque novo artificio eodem modo connecti. Hinc sequitur

551. Secus funiculis annexæ. Corollarium Secundum: si Alba sit ejusmodi ut ejus manicæ globulis vel funiculis ipsi connectantur (& eadem foret ratio Planetæ, cujus pars anterior resticulis interiori adnecteretur) per disiunctionem non amittet benedictionem. Quid miramur? Etenim calix tornatilis per separationem partium non amittit benedictionem. Quare? Quia post reunionem, quæ fieri potest sine novo artificio, remanet idem calix, & per consequens eadem vestis, quoniam eædem partes, & eodem modo connexæ.

552. Objectio. Sed contrà; etiam Alba, vel Planeta dissuta, post iteratam conjunctionem earumdem partium est eadem Alba, vel Planeta; argumento Leg. *Qui res* 98. §. *Areã* ff. de Solut. & lib. ibi: *Hic enim eadem navis est, quam te daturum spopondisti*, loquitur de navi, quam Dominus priùs dissolverat, deinde iisdem tabulis compegerat. *Lex. 98. ff. de Solut.*

Solutio. Respondeo, esse eandem navim fictione juris in ordine ad solutionem. Accipe totum contextum: *Si alienum hominem promisi, & is à Domino manumissus est: liberor. Nec admissum est quod Celsus ait, si idem rursus lege aliquâ servus effectus sit peti eum posse; in perpetuum enim sublata obligatio, restitui non potest; & si servus effectus sit, alius videtur esse. Nec simili argumento usus est: ut si navem, quam tu promisisti, Dominus dissolverit; deinde ijsdem tabulis compegerit, teneri te. Hic enim eadem navis est, quam te daturum spopondisti: ut videatur magis obligatio cessare, quam extincta esse. Homini autem manumisso simile fiet, si eâ mente dissolutam esse navem posueris, ut in alios usus converterentur tabulæ, deinde mutato consilio eadem compositas, alia enim videbitur esse posterior navis, sicut ille alius homo est.* Ecce fictio juris; quid enim refert ad veram & physicam unitatem navis intentio dissolventis?

553. Non est eadem Alba composita ex partibus priùs dissutis. Numquid si calix tornatilis dissolveretur eò animo ut partes converterentur in alios usus, ideo non esset idem calix, si postea mutato consilio rursum partes componerentur? Et si calix fixus dissolveretur eo animo ut deinde partes eædem componerentur, numquid ideo esset idem calix, compositus rursum novo artificio ex illis partibus? Non credo. Ergo similiter non erit eadem Alba, vel Planeta composita ex partibus priùs dissutis, estò illo animo, ut rursum assuerentur, non erit, inquam, eadem illâ unitate, quæ requiritur, ut permaneat benedictio, quæ ipsi toto inhæret; & per consequens toto destructo, destruitur, nec resultat in ipsa re, tametsi eadem numero reproducta, utpote accidens planè extrinsecum.

Porrò obligatio solvendi rem promissam, inhæret ipsi personæ ; & disposuit jus, ut quando res promissa in morali æstimatione non dissipata est, aut dissoluta ex intentione, ut numquam redeat ; sed ut reparetur, non censeatur destructa, sed interrupta, aut quasi sopita, & idem censeatur de obligatione, quam contraxit promittens, sicut & de jure, quod acquisivit promissarius.

Hinc si vestis aliqua sacra alicui Sacerdoti legetur in testamento, & contingat illam dissui animo rursus consuendi, quamvis amiserit consecrationem, postquam tamen iterum consuta fuerit, debetur Sacerdoti juxta legem citatam, quoniam eadem quantùm ad æstimationem moralem pretii & valoris, ad quod attenditur in legato.

Si autem à me quæritur, quare magis destructa censeatur Alba, quando partes dissuuntur, quàm quando partes globulis aut funiculis connexæ dissolvuntur ? Respondeo ; quia hoc est hoc, & illud est illud, id est, quia totum fixum requirit partes fixas ; totum autem mobile, ut sic loquar, constat ex partibus mobilibus, quibus proinde manentibus, sive simul, sive separatim, censetur manere totum mobile, & ideo etiam manet benedictio, quæ à principio istis partibus mobilibus fuit annexa. Consimiliter, & erit

554. Quid si manentibus partibus fixis Alba paulatim reficiatur ?

Corollarium tertium : manentibus partibus fixis, id est, antequam partes Albæ aut alterius vestis ita dissuantur, ut amittat figuram, etsi paulatim reficiatur, etiam per additionem aliquarum partium materiæ non benedictæ, non tollitur prior benedictio, quoniam semper manet idem totum, & accessorium sequitur naturam sui principalis.

Quid si Cingulum fuerit divisum in duas partes ?

Unde si Cingulum, antequam omnino dividatur, reficiatur, vel adhibito nodo firmetur, non eget novâ benedictione, quia adhuc est unum & idem Cingulum ; secùs si in duas partes fuerit divisum, quarum neutra est apta ad cingendum.

Ratio colligitur ex dictis : quamvis enim illæ duæ partes facto nodo facilè possint conjungi ; equidem non eodem modo, quo anteà erant conjunctæ, & sub quo modo data fuerat benedictio. Neque enim Cingulum benedicitur sub modo partium separabilium & iterum conjungibilium, utì calix tornatilis, sed è contra sub modo partium inseparabilium, nisi fortè, ut dictum est de Alba, una pars alteri globulo, aut etiam nodo, tempore benedictionis fuisset adnexa.

Dixi, *Quarum neutra est apta ad cingendum* ; quia si una pars apta remaneat, vel utraque, liquet profectò alteram, vel utramque retinere suam benedictionem ; cùm per illam fractionem non sit facta inepta ad usum Sacrificii.

Quin imò Tamburinus l. 1. cap. 3. §. 3. n. 4. existimat non esse improbabile (saltem propter auctoritatem extrinsecam Doctorum) Cingulum divisum in duas partes, quarum neutra seorsim sufficit ad cingendum, non indigere novâ benedictione. Pro hac opinione Diana p. 2. tract. de celeb. Miss. resol. 57. citat Coninck de Sacramentis qu. 83. art. 3. dub. 3. n. 250. Emanuel Sa verbo *Missa*. n. 12. & Joannem de la Cruz in Direct. conscientiæ p. 2. de Sacrificio Missæ q. 3. dub. 4. concluf. 1. 555. An maneat beneficium si vestis perisset, etsi ut cingendum ? Tamburinus. Diana. Coninck. Emanuel Sa. Joan. de la Cruz.

Notat autem Tamburinus Ægidium Coninck perperàm citari ; nam, inquit, eam opinionem non tamquam suam, sed tamquam Emanuelis Sa profert. Immo contrà Ægidium puto, quod neque id Emanuel dicit. Audi breviter utrumque : Si Cingulum (ait Coninck) ita frangatur, ut neutra pars sufficiat ad cingendum Sacerdotem, amittit benedictionem : secùs si longior pars sufficeret ad cingendum. Aliqui tamen putant etiam in prima fractione licere partibus simul nexis uti. Ita Emanuel Sa verb. *Missa* n. 12. Hæc Coninck. Audi Emanuelem : Cingulum, ait, fractum potest necti si pars altera non sufficit. Hæc Sa. Vides ? Si pars altera non sufficit, ait, non verò si neutra pars sufficit. Hucusque Tamburinus. Quorumdam Auctorum sententia citatur hoc enumerato.

Sed quæso te, si altera pars sufficit ad cingendum, quid opus est nexu ? Vel si nec Ægidius, nec Emanuel illam opinionem tenuit, qui sunt illi Doctores, propter quorum auctoritatem extrinsecam asseris hanc opinionem probabilem ? Fortè Cælestinus in compendio Theologiæ moralis tract. 8. c. 5. q. 8. Fortè Jacobus Marchantius in Candel. Sacrament. tract. 4. qq. Pastor. cap. 5. de Celeb. Miss. q. 2. Fortè Franciscus de Nigro in addit. ad Ruyz p. 1. præsuppos. 4. nu. 42. q. 28. ? Illos siquidem citat Diana p. 5. tract. 13. resol. 92. 556. Relatio explicatur Tamburini. Cælestinus. Marchantius. Franciscus de Nigro.

Verùm si quæstionem, quam hic tractamus, maturiùs consideremus, sole meridiano clariùs apparebit duos primos non fuisse illius sententiæ. De tertio non fero judicium, quia textum, utpote quo careo, non potui inspicere, neque Diana verba textùs exscribit, sed solùm dicit eum testari de praxi.

Sed de qua praxi ? Credo de eadem, de qua testatur Marchantius suprà his verbis : Passim videmus, licèt Cingulũ frangatur, solere utramque partem connecti suæ alia benedictione. Quis autem non videt illa verba posse explicari, sicuti superiùs Tamburinus explicavit verba Emanuelis ? Imò sic debere intelligi, colligo ; quia Marchantius pro se citat Emanuelem. Si ergo Emanuel non loquitur nisi de partibus, quarum altera sufficit ad cingendum, neque de aliis partibus loquitur Marchantius. Testatur Marchantius.

Restat ergo Cælestinus, qui sic ait : Quæres an Sacerdos peccet mortaliter celebrans sine necessitate cum Cingulo non benedicto, aut fracto, 557. Opinio Cælestini.

fracto? Respondeo, quòd non. Quòd idem dico de celebrante Missam in casu necessitatis sine Stola, Manipulo vel Cingulo, vel cum aliis vestibus non benedictis, non autem extra necessitatem, nisi quoad Cingulum, ut dictum est, quod quidem Cingulum etiam inservire potest, licèt sit ita fractum, ut neutra pars sufficere per se possit, & necesse sit partes simul connecti. Hæc Cælestinus.

qui de præsenti casu non egit.

Verumtamen extra nostrum propositum; non enim hìc quærimus, an peccet mortaliter, qui sine necessitate celebrat cum Cingulo non benedicto, aut ita fracto & diviso in duas partes, ut neutra pars per se sufficiat; sed quæstio nostra est, an Cingulum ita divisum in duas partes, maneat benedictum, adeò ut partibus facto nodo conjunctis possim uti sine ullo peccato extra necessitatem, perinde ac si Cingulum numquam divisum fuisset: quod Cælestinus ibi non affimat, ut patet. Si ergo non sit probabile ex ratione, quòd Cingulum ita divisum haud indigeat novâ benedictione, neque probabile erit propter auctoritatem extrinsecam Doctorum.

558. Quid si fiat Casula duplicata?

Illud satis certum videtur, si fiat Stola, vel Casula duplicata, facili separatione duæ, quarum utraque sit apta ad Sacrificium; certum, inquam est (consequenter ad illa, quæ jam diximus de Cingulo diviso in duas partes, quarum utraque seorsim sufficit ad cingendum) factâ separatione utramque Stolam, vel Casulam manere benedictam. Siquidem vestes illæ sunt totaliter benedictæ, & separatæ remanent aptæ ad Sacrificium sub eadem forma, sub qua fuerunt benedictæ.

559. *Tamburinus.* An Alba ex multis Amictis immutatis confecta, novâ indigeat benedictione?

Cæterùm quærit Tamburinus suprà n. 7. Si ex multis v. g. Amictis immutatis fiat una Alba, & ex multis Stolis itidem immutatis, una Planeta, talis Alba & Planeta indigeretné benedictione? Dico, *Immutatis*, nam si mutaretur forma, sub qua benedicta erant, jam amitterent, ex dictis, benedictionem, atque adeò certò novâ benedictione indigerent.

Affirmat Tamburinus.

Respondet autem prædictus Auctor, quòd indigerent; quia ex una parte tales Amicti & Stolæ numquam habuerunt benedictionem Albæ vel Planetæ, & ex alia, per illam unionem nullam benedictionem acquisiverunt.

560. Oppositum probatur.

Sed contrà: licèt in Pontificali ponatur specialis benedictio cujuslibet indumenti, equidem in Rituali Romano præscribitur solùm benedictio sacerdotalium indumentorum in genere, ut proinde una vestis non indigeat diversâ benedictione ab altera, sed una & eadem sit benedictio Amicti, Stolæ, Albæ, Planetæ &c. omnia enim benedicuntur in quantum præcisè sunt indumenta necessaria ex præcepto Ecclesiæ ad ritè sacrificandum; non autem quatenus habent hunc vel illum particularem usum.

Est una &

Patet ex verbis benedictionis: *Omnipotens sempiterne Deus &c. hæc indumenta sacerdotalia desuper irrigante gratiâ tuâ, ingenti benedictione per nostræ humilitatis servitium purificare, benedicere, & consecrare, digneris; ut divinis cultibus, & sacris mysteriis apta & benedicta existant &c.* Ita Ecclesia in prima oratione, & similiter in secunda & tertia. eadem benedictio Amicti, Stolæ &c.

Cùm ergo, ut Tamburinus supponit, tales Amicti & Stolæ per unionem non perdant suam benedictionem; si enim, ut ait n. 8. iterum dissuerentur, & redirent ad pristinam formam, non indigerent novâ benedictione; cur novâ indigeant quando manent unita? Quòd enim jam sint Alba & Planeta, ubi anteà solùm erant Amicti, & Stolæ, quid refert, cùm omnium sit eadem benedictio? Neque Alba debeat benedici, ut talis in specie, sed solùm in genere, ut indumentum sacerdotale?

561. Objectio solvitur.

Dices; saltem possunt benedici diversâ benedictione. Respondeo, etiam Stola, & Manipulus; & tamen secundùm Tamburinum n. 9. si ex Stola fiat Manipulus, & ex Manipulo Stola, non est necesse utad hunc novum usum, sicut nec deinde, quando fortè redirent ad suum pristinum usum, novâ benedictione benedicantur.

562. Secunda objectio.

Planè, inquis, sed diversitas est, quòd Stola & Manipulus non sint diversæ vestes, solùm enim una est brevior, alia longior; constat autem Amictum & Albam esse vestes distinctas, similiter Stolam, & Planetam.

Respondetur.

Respondeo, parùm referre, quòd sint vestes distinctæ, si non indigeant distinctis benedictionibus. Unde qui celebraret cum tali Alba & Planeta, non rectè diceretur celebrare sine vestibus benedictis, cùm nihil in tali Alba vel Planeta inveniatur, quod non sit benedictum, vel per se & primariò, vel saltem secundariò tamquam accessorium.

563. Tertia objectio.

Sed contrà dicet aliquis; Figura non est benedicta, quæ tamen, utpote forma artificialis, est pars principalior compositi artificialis, sicuti forma naturalis est pars principalis compositi naturalis.

propter quam Auctor amplectitur sententiam Tamburini;

Hìc hæreo, & amplector sententiam Tamburini: nam licèt diversæ vestes non requirerent diversam benedictionem, equidem aliqua est necessaria; jam autem Alba ita composita ex pluribus Amictis immutatis, tametsi materialiter sit benedicta secundùm materiam, neutiquam tamen formaliter, id est, secundùm formam, seu figuram artificialem Albæ, quæ est præcipua pars indumenti sacerdotalis: ergo requirit novam benedictionem, si non specie, saltem numero distinctam. Atque ex his sit finis hujus Conclusionis.

Sequitur resolutio quæstionis, quæ à Theologis solet hìc tractari; scilicet, an sacra vasa & vestes, eâdem formâ, atque adeò eâdem benedictione vel consecratione manente liceat

transferre ad usum profanum, & è contra profanas vestes, vasaque applicare usibus sacris & Sacrificio?

CONCLUSIO XXIX.

Non licet sacra vasa, aut vestes transferre ad usum profanum; bene è contra vestes, vasaque profana applicare usibus sacris.

564. Est mortale applicare res sacras usibus profanis,

Circa primam partem, dixi suprà Conclusione 20. ubi de contactu sacrorum vasorum, esse peccatum mortale ex genere suo uti calice consecrato in communi mensa, vel pallâ benedictâ ut communi linteolo ad emungendas nares, aut sacrâ veste ad profanam repræsentationem vel ludum. Patet; quia est sacrilegium, utpote abusus rei sacræ; sacrilegium autem, quoniam peccatum oppositum virtuti Religionis, constat esse peccatum ex genere suo mortale, ut communiter docent Theologi in Tractatu de Virtutibus & Vitiis.

Ex parvitate materiæ potest esse peccatum veniale ex ve-

Dixi, *Ex genere suo*, quia ex parvitate materiæ poterit esse peccatum veniale, v. g. semel leviter sudorem faciei abstergere mappâ benedictâ, & similia. Sanè quis dicet esse peccatum grave, quod aliqui ex devotione faciunt (quamvis minùs bene) præbere scilicet potum aliquibus ægrotantibus, aut malè habentibus in calice?

565. Applicare candelabrum Ecclesiæ ad usum communem, nullum est peccatum.

Et notandum nos hìc loqui de rebus, quæ solent consecrari, sive benedici; nam applicare v.g. ad nuptias vel alium communem usum tapetem, candelabrum, pelvim, immo & manutergium, & similia in Missa adhiberi solita, cùm satìs remotè inserviant ministerio sacro, non est peccatum secluso contemptu.

Nam sicuti sine scrupulo utimur v. g. candelabris profanis ad ornandum altare, cur non similiter liceat uti candelabris Ecclesiæ ad ornandas ædes profanas, non quidem semper & indifferenter (hoc enim præ se ferret implicitum quemdam contemptum) sed in aliqua solemnitate non sacra, fortuitò occurrente?

Objectio solvitur *cap. 43. de Consec.*

Si dixeris; quia in cap. *Ad nuptiarum* 43. de Consecrat. dist. 1. id prohibetur ibi: *Ad nuptiarum ornatum divina mysteria non præstentur.* Respondeo sermonem esse de rebus consecratis, vel saltem benedictis, ut clarè ostenditur ex ly *Divina*. Quis namque candelabra rectè vocaverit divina mysteria?

566. An res sacræ mutatâ formâ possint applicari usibus profanis.

Ex quo intelligi potest, quare in proposita quæstione addiderim illa verba: *Non mutatâ formâ* &c. Cùm enim mutatâ formâ, adeòque deperditâ benedictione, non sint amplìùs res sacræ, quamvis plurimùm conveniat, ut præfatæ vestes & vasa numquam applicentur profanis usibus, sed vel serventur ad alium sacrum usum fortè apta, vel, si ad nullum sint utilia, comburantur, cinerèsque in Sacrarium juxta directionem sacrorum Canonum proijciantur; equidem si contrarium fiat, probabile est, nec mortale esse, nec veniale, inquit Tamburinus l. 1. cap. 2. §. 3. n. 2. Calix ergo confractus, Casula, vel Alba dissuta, frustula inveterati Corporalis, vel Purificatorii, ligna & lapides diruti templi &c. poterunt, quantùm est ex hoc capite, vendi, usibus communibus applicari, & ut profana nobis usui esse. Ita ille; citans Castro Palaum tom. 2. Tract. 8. disp. 1. p. 6. n. 25. Affirmat Tamburinus. Castro Palao.

567. non obstantibus quibusdam Pontificum Decretis,

Sed obstare videntur quædam antiqua Decreta Pontificia, quorum primum, ex Epistola 2. Clementis ad Iacobum Fratrem Domini, refertur de Consecrat. dist. 1. cap. 39. *Altaria palla*, inquit Pontifex, *cathedra, candelabrum, & velum, si fuerint vetustate consumpta, incendio dentur: quia non licet ea, quæ in Sacrario fuerint, malè tractari: sed incendio universa tradantur, Cineres quoque eorum in Baptisterium inferantur, ubi nullus transitum habeat: aut in fossis pavimentorum iactentur, ne introëuntium pedibus inquinentur.* Clemens.

Secundum Decretum est Igini, quod refertur eâdem dist. cap. 38. sub his verbis: *Ligna Ecclesiæ dedicatæ non debent ad aliud opus iungi, nisi ad aliam Ecclesiam: vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in Monasterio Fratribus* (hoc est, secundùm Glossam ibi, *vel in Capitulo, vel in Dormitorio, vel in aliis religiosis locis; non in coquina vel in vineis pastinandis*) *in laicorum verò usum non debent admitti.* Ignus.

568. respondetur ad Decretum Ignis.

Respondet Palaus, Pontifices loqui de rebus in eadem forma manentibus, ac fuerunt applicatæ. Sed de hoc valde dubito; nam licèt fortè verba Clementis in illum sensum possent detorqueri; attamen non video quâ apparentiâ veri sic queat intelligi Decretum Igini.

sed explicatio illius datur,

Enim verò (ut omittam vix unquam ligna Ecclesiæ dirutæ in eadem formâ applicari alteri operi) Ecclesiâ dirutâ, nonne quæcumque supersunt, sive in eadem, sive in alia forma, si ita volumus loqui, eo ipso amiserunt suam dedicationem? Quis dubitat? Ergo impertinens est, secundùm illum Auctorem, an in eadem forma, an in diversa alteri operi applicentur.

Probatur Consequentia; quia ideo requiritur mutatio formæ, ut res priùs sacra desinat esse talis, ne fortè fiat irreverentia rebus sacris, dum eorum materia ad usus profanos transfertur.

569. Alia ratio

Si dixeris, Pontificem loqui de Ecclesia dedicata integra permanente, & solùm velle, quòd illa non possit converti in habitationem laicorum aut coquinam Monasterii, secùs in Capitulum vel Dormitorium, aut alia loca religiosa, ut videmus factum in hoc nostro Monasterio Lovaniensi.

Contrà

Contrà facit, quòd lignorum dumtaxat fiat mentio, illaque decernat Pontifex ad aliam Ecclesiam applicanda, aut igni comburenda, vel certè ad profectum in Monasterio Fratribus: quis autem crediderit integram Ecclesiam igni comburendam esse? Unde Glossa ibi verb. *Ligna: De ligni*, inquit, *Ecclesiæ destructæ & omnibus utensilibus Ecclesiæ reverenter utendis istis sex capitulis sequentibus ostenditur.*

Verus eorum intellectus.

Itaque ex voluntate Igini, ligna Ecclesiæ destructæ in usu laicorum nequaquam admitti debent, sive in eadem forma, sive in diversa; non quia de facto adhuc sacra sunt, sed quia aliquando fuerunt.

Profectò Pontifices non consideravisse sanctitatem, quam res istæ habent præcisè ex benedictione Ecclesiæ, vel ex hoc satis liquet, quòd Clemens inter cæteras res enumeret cathedram, candelabrum, & velum, quæ non indigent speciali benedictione. Quis ergo indicavit Castro Palao Decretum istud solùm intelligendum esse de rebus in eadem forma manentibus?

570. Sententia Tamburini probatur ex ratione naturali.

Ratio, inquis, naturalis, quæ dictat nullam fieri irreverentiam rebus sacris ex eo, quòd earum materia profanis usibus aptetur, siquidem numquam est verum dicere, res sacras profanis usibus aptari: v. g. destructâ formâ calicis, jam calix ille amisit consecrationem, & consequenter jam non est sacer; ergo est profanus: ergo poterit usibus profanis deservire. Quid enim ex præterita consecratione in illa materia remanet, ob quod prohibearis usui communi materiam illam aptare? Siquidem jam communis est.

Numquid negabit aliquis ex calice confracto vas aliquod profanum confingi posse, & ex veste aliqua sacerdotali jam ruptâ aliquam profanam componi posse? Alioquin esset obligatio hæc omnia igne consumendi, quòd videtur nimis durum. Propter hæc (inquit Palaus) censeo probabile, secluso scandalo, nullum vel leviſſimum peccatum in hac applicatione intervenire.

571. Sententia Auctoris. Diana.

Ego cum Diana part. 5. tract. 13. resol. 76. in fine, lubens concedo, non intervenire peccatum mortale propter parvitatem materiæ. De veniali quid dicam? Communis sententia illud agnoscit, & meritò, si Decreta ista tamquam obligantia sint recepta.

S. Ambr.

Constat quidem ex Divo Ambrosio 2. Offic. cap. 28. vasa argentea, & calices, postquam confracta sunt, & ferro ac igne transmutata in certis casibus vendi posse, & in communes usus deservire. Sed quid mirum? Nam illi casus semper ex necessitate oriuntur, & ad pietatem pertinent, adeòque talis usus non est à Religione alienus; eò vel maximè, quòd per illam transmutationem hujusmodi res moraliter loquendo factæ sint omnino aliæ.

572. Ad rationes autem Castro Palao, Respondeo, solùm probare hujusmodi usum profanum non adversari reverentiæ rebus sacris debitæ ex jure naturali. Interea quòd ratio naturalis non dictat omnino necessarium, sed maximè conveniens, potuit per jus positivum fieri necessarium, & sic factum fuisse, videtur colligi ex Decretis suprà allegatis.

Respondetur ad rationes Castro Palao.

Neque durum videri debet, quòd illa, quæ amplius non possunt deservire cultui divino, incendio tradi debeant, quoniam exigui sunt valoris, utpote vetustate consumptâ, ut loquitur Clemens; vel si fortè sunt pretiosiora, ut aurum, argentum, sericum &c. quæ huic cultui sunt inutilia, alteri facilè possunt deservire.

Ponis casum metaphysicum, quòd nulli omnino usui sacro sint idonea, dico illum casum Decretis Pontificiis non fuisse comprehensum, loquuntur enim de communiter accidentibus.

Et quantùm ad res non benedictas, ut sunt candelabra, non credo Decretum Clementis usu esse receptum; videmus enim passim sine ullo scrupulo candelabra fracta permutari cum integris; & candelabris profanis Custodes passim uti ad ornandam Ecclesiam, quæ post usum istum rursum indifferenter applicantur cuilibet usui profano.

573. Licet Sacerdotes sepelire indutos vestibus sacris.

Verissimum quoque est, solere Pontifices, & Sacerdotes vestibus benedictis indutos sepeliri; eamque consuetudinem licitam esse, & religioni ac pietati satis consentaneam, indè probatur; quia actus sepeliendi defunctum, actus est pietatis seu misericordiæ: ergo uti vestibus sacris ad hunc actum, non est convertere illas ad usus profanos, sed ad actum pietatis & religionis: ergo in hoc nihil est indecens, minusque expediens. Et sanè, si vestes sacræ attritæ, religiosè comburuntur; quidni majori ratione possint cum persona sacra sepeliri, eamque simul decenter ornare?

Explicatur cap. 40. de Consec. dist. 1.

Neque existimo hanc consuetudinem contrariari juri communi, quamvis primâ fronte sic videatur. Nam cap. *Nemo.* 40. de Consecrat. dist. 1. ubi ex Clemente Papa Epistolâ 2. in hunc modum decernitur: *Nemo per ignorantiam Clericus mortuum credat obvolvendum, aut Diaconus scapulas operire velit pallâ, quæ fuit in altari, aut cerie, quæ Diacono data est in mensam Domini.* Illud, inquam, Decretum commodè exponi potest, vel de palla, quæ est Corporale, de qua inferiùs subditur, à Diaconis cum humilibus ministris esse lavandam; vel de laicis defunctis, ut Glossa ibi verb. *Mortuum* dicens: *laicum: nam Clerici mortui bene induuntur vestibus sacris.* 13. q. 2. *Nullus*: vel certè de palla, seu mappa Altaris, quâ non debemus uti tamquam syndone quâdam ad nuditatem corporis defuncti, etiam Sacerdotis, immediatè cooperiendam, neque hoc est in usu.

Cæterùm dum hæc scriberem, proximus 574. erat

Cerei benedicti, Palma &c. usibus profanis applicantur.

erat dies Purificationis Beatissimæ Virginis Mariæ, in quo solent, juxta præscriptum Ecclesiæ benedici candelæ, utì in Dominica Palmarum Palmæ, & mecum cogitare cœpi; an etiam hujusmodi res benedictas non liceat applicare ad usus profanos?

Herculè non videntur hæ benedictiones cum tanto rigore ab Ecclesia introductæ. Nonne in die Paschatis benedicuntur agni, ova &c? Similiter in diebus Festis quorumdam Sanctorum, panes? Utì etiam in Sabbatho sancto, carbones? Quis autem est qui illas res sic benedictas, non assignat communi usui? Imò quis reliquias talis panis, vel decidentes palmarum hujusmodi, vel olivarum frondes pedibus conculcari (secluso contemptu) cum scrupulo culpæ putat?

Eadem est ratio de aqua benedicta.

Quid dicam de aqua benedicta? Res nimis clara est, quàm ut indigeat longiori tractatu: solùm exscribo verba quæ habentur in prima oratione quâ candelæ benedicuntur. *Te humiliter deprecamur: ut has candelas ad usus hominum, & sanitatem corporum, & animarum sive in terra, sive in aquis &c. benedicere & sanctificare digneris.*

575. Licitum est profanas vestes ad usus sacros applicare,

His ita constitutis de prima parte quæstionis, facilis erit resolutio secundæ partis, nempe licitum esse profanas vestes, vasaque applicare ad usus sacros, sive mutatâ formâ, sive eâdem remanente, si sic apta sint. Quæ enim in hujusmodi applicatione apparet indecentia? v. g. si lapides vel ligna domûs profanæ applicentur Ecclesiæ ædificandæ; si ex veste pretiosa fiat Casula; si Calice aureo vel argenteo, quo antecà aliquis Princeps utebatur in communi mensa, postea Sacerdos, etiam eâdem formâ retentâ (si alioquin non interveniat scandalum aut alia specialis indecentia) utatur in altari?

utì & vasa etiam eâdem formâ servatâ,

Etenim per priorem usum non contrahunt aliquam maculam, &, si quam videntur moraliter habere quadam extrinsecâ denominatione, per benedictionem, vel deputationem ad usum sacrum purgantur. Sic enim constat ex historiis veterum temporum sæpè privatas domos conversas fuisse in Ecclesias, nec solùm privatas domos, sed etiam templa Idolorum.

576. Privilegium Minoribus concessum à Sixto IV.

Nec obstat privilegium concessum Fratribus Minoribus à Sixto IV. vivæ vocis Oraculo 42. apud Rodriguez: *Ut possint vestes & pannos profanos in paramenta, & alios usus Ecclesiasticos convertere securâ conscientiâ.* Non obstat, inquam, nam, ut patet ex ly *Securâ conscientiâ*, datum est ad sedandos scrupulos; sicuti alia multa data fuerunt.

Atque hæc satis de veneratione seu cultu debito rebus sacris, occasione utique vestium sacerdotalium, quas diximus ex præcepto Ecclesiæ esse necessarias ad ritè celebrandum. Aliqui addunt præceptum grave de calceis habendis; & de capite non cooperiendo multi idem affirmant. Verius dicitur:

CONCLUSIO XXX.

Nudis pedibus celebrare nullum est peccatum; neque mortale citra scandalum & contemptum, celebrare cooperto capite ex aliqua infirmitate, vel simili causâ, saltem usque ad consecrationem.

577. Rubricæ calceatum volunt sacerdotem

RUbricæ calceatum volunt Sacerdotem Titulo Ritus servandus &c. cap. 1. n. 2. ibi: *Calceatus pedibus, & indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat, induit se* &c. Et meritò, quia honestas & decentia videntur id requirere. Interim non esse strictam obligationem, sive calceamentorum, sive vestis talaris, ut sic loquar, probatur; quia nullum est præceptum. Alioquin cur Tit. de Defectibus cap. 10. inter cæteros defectus in ministerio ipso occurrentes, non enumeraretur defectus calceamentorum, aut vestis talaris?

absque obligatione,

Si objicis consuetudinem; Respondeo, receptam esse ex sola honestate & commoditate, & quia communiter Sacerdotes calceati, & longiori veste induti incedunt. Quis autem ipsorum breviorem vestem exuet, & induet longiorem, præcisè ad finem celebrandi? Vix talem reperies. Unde etiam Fratres Minores qui soli ferè discalceati incedunt, tametsi domi calceos habeant paratos, quibus utantur tempore celebrationis, equidem foris passim sine illis celebrant, & sæpè etiam in proprijs conventibus absque scrupulo.

quam ecclesia non indicat,

578. Arrian monachos cum pressa exercuit.

Quid dicam, quòd olim statutum fuerit à Patribus, in Monasterijs Ægyptiorum degentibus, ut nudis pedibus Monachi, ad sacra celebranda, immo & suscipienda procederent? *Calceamenta,* (inquit Cassianus lib. 1. de habitu Monachorum cap. 10.) *veluti interdicta Euangelico præcepto Monachi recusantes, tantummodo caligis* (hoc est Græcè sandalijs) *suos muniunt pedes.* Et paulò post: *Quibus tamen caligis, quamquam licitè utantur, utpote Domini mandato concessis, nequaquam tamen pedibus eas inhærere permittunt, cùm accedunt ad celebranda, seu percipienda sacrosancta Mysteria; illud æstimantes etiam secundùm litteram custodiri debere, quod dicitur ad Moysen, vel ad Iesum filium Nave: Solve corrigiam calceamenti tui, locus enim in quo stas, terra sancta est.* Hactenus Cassianus.

Cassianus.

Qui mos nondum ex toto exolevit; nam in Statutis Provinciæ nostræ cap. 2. §. 3. præscribitur Clericis non Sacerdotibus & Laicis communicare

non tenentur omnes.

municare nudis pedibus sub summo Sacro, quod inviolabiliter observatur.

579. An & quale sit peccatum celebrare cooperto capite?

Venio ad secundam partem Conclusionis, de qua sic legitur: *Nullus Episcopus, Presbyter, aut Diaconus ad solemnia Missarum celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite altario Dei assistere: quoniam & Apostolus prohibet viros velato capite orare in Ecclesia, & qui temerè præsumpserit, communione privetur.* Zacharias Papa in Synodo Romana cap. 13. & refertur de Consecrat. dist. 1. cap. 57. Ubi nota ly *Præsumat*, & ly *Temerè præsumpserit*; præsumptio autem excludit justam causam.

Zacharias.

Et verò nemo dubitat, aliquod esse peccatum celebrare cooperto capite sine causa. Unde meritò Rubricæ Missalis Tit. de Defectibus cap. 10. nu. 1. inter defectus in ipso ministerio occurrentes ponunt: *Si celebrant capite cooperto sine dispensatione.* Quale autem sit peccatum, mortale, vel veniale, ibi expresè non dicitur: & licèt Zacharias pœnam adjiciat excommunicationis, tamen non nisi ferendæ sententiæ, quæ secundùm multos Doctores non semper est signum mortalis culpæ: quamquam etiam Ecclesia non soleat pro peccato tantùm veniali hujusmodi pœnam infligere.

Sine causa sic celebrare est aliquod peccatum.

Audi Gavantum in Rubricis part. 2. tit. 2. litt. F. Zacharias Papa jussit ne velato capite Sacerdotes adstarent altari; peccaret autem si absque justa causa & sine dispensatione tecto capite etiam pileolo, quis celebraret. Si verò necessitas adsit, & difficilè sit petere dispensationem, vel non sæpè accidit, excusatur à peccato, Syl. verb. *Missa.* 1. q. 2. §. 1. Hæc ille.

Gavantus. Si adsit necessitas & difficilè sit petere dispensationem, excusatur à peccato. *Sylvester.*

580. Dispensandi potestas est Pontifici reservata

A quo si petas, quis possit dispensare in hoc præcepto? Respondet illam facultatem Sedi Apostolicæ esse reservatam, tum ex Decreto allegato, quod est Papale, in quo Episcopus, nec alius inferior per se dispensat; tum ex praxi Romana. Nam Sacra Congregatio Cardinalium super negotia Episcoporum 2. Januarii 1590. & 17. Januarii 1595. concessit extra Canonem usum pileoli Episcopo Faventino; & respondit Archiepiscopo Urbinati, eo non posse uti sine licentia Sedis Apostolicæ. Idem sensit Sacra Rituum Congregatio 31. Januarii 1626. & 24. Aprilis eodem anno. Rursum die 26. Februarii & 7. Augusti 1628. à quibus non decet dissentire Decretis, inquit Gavantus.

Secundùm sacram Rituum Congregationem,

Sed numquid licet dissentire? Videtur quòd non: licèt enim priùs de hac multiplici declaratione authenticè non constaret: nunc tandem in Missali reformato jussu Sanctissimi Domini nostri Urbani VIII. omnibus observanda proponitur his verbis: *Nemo audeat uti pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacumque contrariâ consuetudine.*

& Missale reformatum.

Interim sicuti in aliis legibus Pontificiis per accidens sæpè potest dispensare inferior Prælatus, v. g. quando est difficilis recursus ad Pontificem &c. cur non itidem in hac lege de pileolo? An forté quia & Episcopus ipse in lege exprimitur? Non puto, quidquid in contrarium videatur sentire Ioannes Andreas post Hostiensem in cap. 1. de Supplen. negl. Prælat. in 6. dicens: Ubi Canones imponunt legem ipsis Episcopis, non dispensat Episcopus, nisi hoc reperiatur concessum. Hoc enim nec in jure, nec in ratione fundatur, si intelligatur de particulari concessione potiùs dispensandi in illa lege, quàm in alia quacumque, in qua Episcopi non exprimuntur.

581. Per accidens dispensat Episcopus,

Ioannes Andreas. Hostiensis.

Enimverò non ideo Canones exprimunt in lege Episcopos, ne secum possint dispensare, vel cùm aliis; sed ut sciant se lege illâ comprehendi, à qua fortè propter suam præeminentiam cogitarent se exemptos; v. g. in casu proposito, si Canon solùm dixisset: *Nullus Presbyter* &c. cùm Episcopi multis prærogativis gaudeant in celebratione Missæ, forsitan cogitassent, Pontificem noluisse Episcopos illâ lege comprehendere.

Si autem interrogas cum Gavanto suprà: An ergo Episcopus, cui fuit prohibitum à Papa, secum ipse, & cum aliis dispensabit? Respondeo, an ergo Episcopus, cui fuit prohibitum comedere carnes in quadragesima, fuit præceptum audire Sacrum diebus Dominicis & Festis &c. secum ipse, & cum aliis dispensabit? Quis dubitat quin dispensabit? Ergo similiter dispensabit Episcopus, cui fuit prohibitum à Papa uti pileolo ad altare, dum celebrat solemnia, dispensabit, inquam, secum, & cum aliis.

582. non solùm cum aliis sed etiam secum.

Et autumo, cum Tamburino de Sacrificio lib. 1. cap. 7. §. 4. nu. 3. non requiri magnum necessitatis gradum; quia res, de qua agitur, non est tam gravis. Unde, salvo meliori, posset Episcopus, vel alius Prælatus habens jurisdictionem quasi Episcopalem, dispensare in hac lege (si non sit recursus, vel nimiùm difficilis ad Pontificem) ob nimiam regionis frigiditatem, capitis debilitatem, senectutem, calvitium &c. poterit, inquam, dispensare, sive dare licentiam celebrandi cum pileolo, saltem usque ad Canonem.

Tamburinus. Justæ causæ dispensationis.

Sed numquid existentibus hujusmodi causis est necessaria dispensatio? Audi Marchinum de Ord. Tract. 3. part. 3. cap. 4. n. 9. Non crederem esse mortale absque dispensatione, sed cum justa causa, puta ob nimiam regionis frigiditatem, capitis debilitatem, vel senectutem, vel ob calvitium celebrare cum pileolo usque ad Canonem; præsertim si difficilè esset petere dispensationem, & usus pileoli de raro contingeret.

583. An sufficiant sine dispensatione? *Marchinus.*

Amplius loquitur Tamburinus suprà n. 4. estò dispensatio posset facilè obtineri. Ratio, inquit, est, tum quia ex se non videtur gravis irreverentia, tum propter Auctores magni nominis nobiscum sentientes. Citat autem Sylvestrum, Angelum, Tabien. Rodriguez, Henriquez, Graffium, Bart. ab Ang. Mirand. Scort. Fagundez, Ledesmam, Marchinum suprà, & Dianam part. 2. Tract. 14. resolut. 58. ubi sic ait: Opinio Ledesmæ mihi videtur probabilis; non est enim gravis materia, ut possit inducere peccatum mortale, si non adsit scandalum & contemptus.

Tamburinus. Sylvester. Angelus. Tabiena. Rodriquez, Henriquez. Graffius. Barth. ab Ang. Mirand. Scort. Fagundez. Ledesma. Marchinus. Diana.

584. Sententia Vasquez.

Sanè Vasquez disp. 233. n. 38. nullâ factâ distinctione inter peccatum mortale, & veniale, docet cum Sylvestro verb. *Missa.* 1. q. 2. dicto 1. rationabili aliqua ex causa, licere cooperto capite celebrare; idque quia jus requirit præsumptionem, ut superiùs vidimus. Addit: Et in Polonia omnes Sacerdotes etiam Religiosi in hyeme usque ad consecrationem cooperto capite celebrant in altari. Idem dicendum est de baculo. Hæc ille.

Praxis Polonorum.

585. Sententia Præpositi.

Idem docet Præpositus de Sacramentis qu. 83. art. 3. nu. 175. cum hac limitatione: Planè tamen convenit pro consecratione caput aperiri, nisi mos patriæ aliud requirat. Quod addo; quia Pater Nicolaus Trigault cùm ex China ad nos venisset, mihi & aliis narravit anno 1617. caput aperire apud Chinenses nullo modo esse honoris, apud quos proinde totum Sacrum potest capite cooperto celebrari.

Praxis Chinensium,

Nec obstat, quòd hæc Provincia non debeat à reliquo orbe discrepare; quia caput tegendo sòlùm discrepat materialiter, non verò formaliter: immo si aperto capite celebraret, discreparet in cultu religioso, cùm apud nos ideo caput aperiatur, quòd id sit signum honoris & reverentiæ, apud illos verò non sit, sed tale signum exhibeatur, caput operiendo. Ad omnem tamen scrupuli occasionem tollendam, Paulus V. per Breve, cujus initium: *Romanæ Sedis Antistes*, anno 1615. die 17. Junii eidem Patri concessit, ut Sacrum in China tecto capite celebraretur. Hucusque Præpositus.

apud quos operitio capitis est signum honoris.

586. Quid ergo ad Decreta Cardinalium, & Rubricas Missalis, quæ, ut vidimus, requirunt dispensationem, aut specialem licentiam Pontificis?

Decreta Congregationis explicantur.

Respondet Marchinus suprà: Decreta Sacræ Congregationis de hac re sunt directiva, non præceptiva. Sed ut verum fatear, plùs important illa verba Missalis novi Urbani VIII. *Nemo audeat uti*, quæ proinde sic expliço, ut tantùm obtineant in casu, in quo non sunt causæ per se excusantes, aut certè ut non inducant nisi obligationem sub veniali.

Sed audio aliquem replicantem; si res illa tam levis est, prout nos eam facimus: ergo immeritò potestas dispensandi reservatur Pontifici; constat siquidem non nisi graviſſima vota Pontifici reservari.

587. Quæ dispensatio reservata Pontifici.

Ad hoc non habeo, quod respondeam, nisi rem illam in se quidem esse levem; attamen propter scandalum, quod sæpiùs natum est ex illa oriri, meritò Sedi Apostolicæ reservari. Sic enim approbatio Religionum, impedimenta Matrimonij, & similia, estò in se bona sint, meritò tamen reservantur Pontifici propter inconvenientia, quæ ex multiplicatione Religionum, & impedimentorum Matrimonij nata forent sequi.

Sed ad alia progrediamur, ad illa, inquam, quæ, præter jam dicta, requiruntur ad ritè celebrandum. Et primò quidem occurrit minister, de quo ponitur

CONCLUSIO XXXI.

Debet adesse, qui ministret sacrificanti in altari. Sufficit unus. Ius positivum prohibet feminam. Consuetudinem contrarium præscripsisse non satis constat.

588. Sententia Subtilis.

DE prima parte sic inquit Doctor Subtilis 4. dist. 13. qu. 2. nu. 18. *Ultimum est, quòd celebrantem oportet habere aliquem respondentem in persona totius Ecclesiæ, ut denotetur esse mediator inter Deum & Ecclesiam, offerens Sacrificium Deo pro Ecclesia, quæ sibi assistit in offerendo.*

588. Ratio.

Num ideo hæc obligatio juris divini? Nequaquam. Etenim sicuti Sacerdos offert Sacrificium in persona totius Ecclesiæ; ita quoque in persona totius Ecclesiæ sibi ipsi potest respondere. Neque aliud invenio fundamentum, sive ex Scriptura, sive ex Traditione, vel ratione, quod efficaciter probet hanc obligationem esse juris divini.

589. Sed est positivi.

Erit itaque juris Ecclesiastici, si non scripto tam expresè tradita, saltem universali consuetudine recepta. Dico, *Tam expresè tradita*; quia aliqualiter colligitur ex cap. 61. de Consec. dist. 1. sequentis tenoris: *Hoc quoque*

quoque statutum est, ut nullus Presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibiq; respondentibus ipse tertius habeatur, quia cum pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum, *& illud in secretis*: Orate pro me, *aptissimè convenit ut ipsius respondeatur salutationi.* Ita Soter Papa.

Objectio solvitur. Nec dici potest, quòd solùm loquatur de Missa solemni, quia ratio, ut liquet, obtinet etiam in Missis privatis, & licèt non cogat, equidem sufficiens est, ut propter eam præceptum imponatur.

Concilium Moguntinum. Consonat Concilium Moguntinum Can. 3. dicens: *Nullus Presbyter, ut nobis videtur solus Missam cantare* (id est legere) *valet rectè. Quomodo enim dicet*, Dominus vobiscum, *vel*, Sursum corda *admonebit habere, & alia multa his similia, cùm alius nemo cum eo sit?*

590. Interim rationem illam non cogere, vel indè satis constat, quòd usu sit secundus minister abrogatus; passim enim ab omnibus celebratur cum uno ministro', quod utile & necessarium fuit, ne multiplicato numero Presbyterorum, frequenter cogerentur Sacerdotes Sacrificium omittere. Et verò dum Sacerdos dicit: *Dominus vobiscum* & similia in plurali numero, Ecclesiam alloquitur, ut patet ex Scoto suprà, ubi notat ministrum respondere in persona totius Ecclesiæ.

Secundus minister est usu abrogatus.

Exponuntur verba Canonis: Et omnium circumstantium. Iuxta quem sensum exponitur ab aliquibus particula illa Canonis: *Et omnium circumstantium*, ut intelligatur non solùm de ijs, qui corporali præsentiâ adsunt, sed de omnibus, qui in fide cum Sacerdote communicant, & Christo capiti adhærent. Similiter illa verba; *Vel qui tibi offerunt*: & illa: *Quotquot ex hac altaris participatione ..... sumpserimus*, scilicet vel Sacramentali sumptione, vel spirituali per fidei, & charitatis unionem.

Alia expositio. Præterea dici posset, meritò illa verba in plurali proferri à Sacerdote; quia regulariter multi adsunt, sicuti superiùs diximus illa verba: *Quorum Reliquiæ hìc sunt*, meritò dici à Sacerdote, quia solent Reliquiæ adesse, quamvis hìc & nunc fieri posset ut nullæ inibi adessent.

591. *Sacerdos solus recitans divinum Officium potest dicere Dominus vobiscum.* Denique Sacerdos dum solus recitat divinum Officium, quis inficiatur eum posse dicere, *Dominus vobiscum*, & sibi ipsi respondere: *Et cum Spiritu tuo?* Item, *Oremus*, *Benedicamus Domino* &c. Sanè sic habet usus Ecclesiæ. Unde non est audiendus Durandus lib. 2. de Rit. Eccles. cap. 15. asserens, quando Sacerdos solus recitat, non debere dicere, *Dominus vobiscum*, sed; *Domine exaudi orationem meam.* Illa, inquam, doctrina falsa est, ut liquidò demonstratur ex usu omnium timoratorum.

Durandus.

Appositè Innocentius III. lib. 2. de Mysterio Miss. cap. 25. agens de præcepto non celebrandi nisi duobus præsentibus, inquit: *Verùm aliud est necessitatis articulus, & aliud Religionis contemptus.* Quibus verbis significat præceptum illud obligare, quando commodè impleri potest, id est, quando plures sunt, qui volunt Missæ assistere, vel ministrare. Alioquin, sicuti ibidem subjungit & probat: *Piè credendum est & Sacris Auctoritatibus comprobatur, quòd Angeli Dei comites assistant orantibus, iuxta illud propheticum Psal. 137. v. 1. In conspectu Angelorum psallam tibi &c.* *Innoc. III.*

Licèt ergo olim quando Sacerdotum multitudo, & frequentia Sacrificiorum tanta non erat, statutum id fuerit ob réverentiam tanti Mysterij; attamen successu temporum (utì & plura alia) usu abrogatum est, propter necessitatem & utilitatem. Ex quo reor manifesta est secunda pars Conclusionis.

Redeo ad primam, quam aliqui probant ex Epistola 1. Anacleti Papæ, & refertur de Consec. dist. 1. cap. 59. sub his verbis: *Episcopus Deo sacrificans testes secum habeat, & plures, quàm alius Sacerdos: sicut enim maioris honoris gradu fruitur, sic maioris testimonii incremento indiget.* 592. *Obligatio adhibendi ministrum non satis probatur ex Epist. 1. Anacleti.*

Sed ut bene notat Suarez disp. 87. sect. 2. §. *Iuxta hanc ergo*, verba ista neque voces continent, quæ satis apertè præceptum indicent, sed consilium, vel admonitionem; neque fundantur in ratione aliqua necessitatis, sed cujusdam congruitatis & decentiæ.

Præterquam quòd intelligi posset de Missa solemni; nam continuò attexit Pontifex: *In solemnioribus quippe diebus aut septem, aut quinque, aut tres Dicaconos, qui oculi eius dicuntur, & Subdiaconos atque reliquos ministros secum habeat.* Constat autem in Missis privatis, id est, quæ tantùm submissè recitando dicuntur, neque ab Episcopis, neque ab alijs Sacerdotibus adhiberi Diaconos, vel Subdiaconos, sed solùm in illis, quæ solemniter cantantur; vel certè ab aliquibus Religiosis solemniter leguntur, ne, ut dicunt, attendentes ad notas Cantûs Gregoriani nimiùm distrahantur, & minuatur eorum devotio. *qui de Missa solemni intelligi potest,*

Similiter de Missa solemni intelligi potest, quod dicitur cap. *Proposuit.* 6. De Filijs Presbyterorum. *Non enim solus Presbyter Missarum solemnia, vel alia divina Officia potest sine ministri suffragio celebrare.* Loquitur Pontifex Alexander III. de Subdiacono, ut patet ex textu, & eodem modo de Missa ac alijs divinis Officijs: liquet autem divinum Officium privatim dici posse sine alicujus ministri suffragio. *utì etiam Alex. III. cap. 6. de Fil. Præbyt.*

Clariùs exprimitur obligatio ministri in Missa privata sess. 21. Concilii Basileensis, ubi inter abusus aliquarum Ecclesiarum refertur 593. *Melius probatur ex Conc. Basil.*

Missa privata sine ministro. Do integrum paragraphum : *Abusum aliquarum Ecclesiarum, in quibus* Credo in unum Deum, *quod est Symbolum & confessio fidei nostræ, non completè usque ad finem cantatur, aut præfatio seu oratio Dominica omittitur, vel in Ecclesijs cantilenæ sæculares voce admiscentur, seu Missa etiam privata sine ministro, aut per secretas orationes ita submissâ voce dicitur, quod à circumstantibus audiri non potest, abolentes statuimus, ut qui in his transgressor inventus fuerit, à suo Superiore debitè castigetur.*

& Moguntino.

Cùmque hanc auctoritatem quærerem, casu incidit in manus meas Concilium Moguntinum sub Archiepiscopo Sebastiano celebratum anno 1549. in quo cap. 54. hæc scripta inveni : *Circa sacrosanctæ Missæ officium &c. in primis sancimus & præcipimus, ne quis Sacerdos, solus ad celebrandum Missam accedere præsumat; sed ad minimum uno aut altero, quasi teste adhibito, qui, quod publico nomine agitur, ratum habeant, & ad publicas orationes Ecclesiæ nomine respondeant.* Quid clariùs ?

Et quamvis hæc Constitutio per se non obligaret universam Ecclesiam, cùm sit Concilii tantùm Provincialis, de facto tamen obligat, utpote universali consuetudine recepta. Obligat, inquam; an sub mortali, pendet à materiæ quantitate: quantitas autem materiæ à prudenti judicio.

594. An sit gravis obligatio ?

Et si à me quæritur, quid Doctores communiter judicent ? Respondeo me paucos invenire, qui expressis verbis significent obligationem sub mortali : neminem verò qui in terminis doceat, celebrare sine ministro nullâ existente causâ, tantùm esse peccatum veniale.

Tamburinus.

Interim Tamburinus lib. 1. cap. 7. § 5. in principio sic scribit : Debet sub obligatione mortali (estò non debere sub mortali, dicant aliqui) adesse, qui ministret Sacerdoti sacrificanti.

Pro obligatione gravi allegatur Bonacina.

Pro obligatione sub mortali citat Bonacinam de Sacramento Eucharistiæ disp. 4. quæst. ultimâ p. 9. n. 34. & meritò ; nam ad propositum dubium: Utrùm excusari possint à mortali, qui Missam sine ministro celebrant ? Respondet hic Auctor negativè ; quia, inquit, faciunt contra præscriptum Ecclesiæ in re gravi.

Barthol. ab Angelo,

Ita Bartholomæus ab Angelo Dialogo 5. §. 408. & alij. Hæc Bonacina, quem sequitur

Aversa.

Aversa de Eucharistia q. 11. de Sacrificio sect. 9. §. *Secundo.*

Pro levi Navar. & Zerola apud Fagundez.

At verò pro obligatione sub venìali adfert Tamburinus Navarrum, & Zerolam apud Fagundez de primo præcepto Ecclesiæ lib. 3. cap. 21. n. 5. sed perperàm : non enim quærit ibi Fagundez, an sit peccatum mortale, vel veniale, celebrare sine ministro ; sed simpliciter, an liceat celebrare sine ministro, & pro sententia affirmante citat illos duos Auctores, bene, an malè, facilè cognoscet qui Navarrum inspexerit ; quippe non ait simpliciter licitum celebrare sine ministro, sed, inquit, excusaretur (omnino surdus) à peccato & culpa dicendo eam sine ministro propter impedimentum tantæ surditatis.

59. Ponitur sententia Auctoris

Rogas quid ego de hoc peccato sentiam? Respondeo esse grave veniale. Non dico mortale, quia faciliùs asseritur sufficiens gravitas materiæ pro peccato mortali, quàm probetur. Nam quod attinet ad responsionem ministri, sicuti Sacerdos sibi ipsi respondet in divino Officio, quod tantum inconveniens esset, si etiam sibi ipsi responderet in Sacrificio Missæ ? Vel quod tantum mysterium latet in responsione ministri, ut illa debeat censeri res gravis in ordine ad culpam mortalem?

Translatio autem libri, porrectio ampullarum vini & aquæ, signum elevationis hostiæ, infusio vini ablutionis, vel æquè commodè fieri possunt per Sacerdotem ipsum : nec latet aliquod mysterium in hoc quòd fiant ab alio ; vel si non possunt absolutè fieri, ut signum elevationis, aut certè non tam commodè, ut infusio ablutionis, sanè omissio illius signi, aut minus conveniens infusio ablutionis haud sufficiens sunt materia (meo judicio) peccati mortalis.

Hinc non requiro adeò magnam necessitatem, ut quis possit sine ministro celebrare, sed puto omnimodè sufficere (quidquid contradicat Bonacina suprà) obligationem audiendi Sacrum in aliquo die Festivo.

596. An obligatio audiendi Missam sufficiens necessitas ut ante ministro celebrans.

Interim tamen, quia contraria sententia est probabilis, posset Sacerdos sine peccato, sequendo illam, nolle Sacrum facere. Et ratio illius sententiæ est; quia præceptum audiendi Sacrum non obligat, nisi debito modo possit haberi.

Sed hoc est quod quæritur, an modus ille sit debitus in tali necessitate. Idemque quæri posset, quando Capellanus singulis diebus tenetur legere Sacrum, & casu die aliquo non potest invenire ministrum. Similiter quando quis obligatur ex manuali stipendio, vel ex voto aut promissione humana.

Discrimen inter obligationem præcepto Ecclesiæ & voto.

Quamquam ex his posterioribus casibus videatur esse major ratio dubitandi ; quia obligationes istæ oriuntur ex particulari voluntate contrahentium aut voventium, quæ non videntur posse præjudicare universali voluntati Ecclesiæ : in priori autem casu obligatio audiendi Missam in die Festivo oritur ex præcepto Ecclesiæ, quæ potuit indubiè alteri præcepto derogare, & censetur derogasse, supposito quòd non obliget ad celebrandum cum ministro, nisi sub peccato veniali; sed quia hoc multi negant, ideo meritò dubitant, quodnam præceptum prævaleat. Quare, inquit Aversa suprà, posset Sacerdos ex arbitrio vel celebrare, vel omittere.

Aversa.

Addit:

597. An sufficiat necessitas ministrandi Viaticum.

Addit: Potest tamen major urgere necessitas, quâ Sacerdos non solùm posset, sed teneretur sic celebrare; utpote ad sumendum vel præbendum alteri Viaticum, aut ex alio capite.

Sed contrà; non tenetur Sacerdos sumere Viaticum, vel alteri præbere, nisi debito modo possit habere. Nonne multi docent Sacerdotem non jejunum, haudquaquam posse celebrare, ut alteri præbeat Viaticum?

Tamburinus. Et sanè Tamburinus suprà n. 4 citat Hurtadum disp. 4. de Sacrificio diff. 12. versùs finem pro sententia, asserente necessitatem Viatici non sufficere, ut Sacerdos celebret sine ministro.

Hurtadus.

Idemque dici posset, & verosimiliùs ab ipso diceretur, si Missâ inchoatâ minister discedat, & expectatus non redeat: videlicet à Missa incepta esse desistendum, præsertim si nondum facta est oblatio, cùm in multis alijs casibus id liceat.

598. An sufficiat Missam esse inceptam?

Cæterùm secundùm me, & communem sententiam, necessitas ministri non est tanti momenti, quantùm ad desistendum requiritur, vel ut prævaleat necessitati Viatici.

An sufficiat vita eremitica?

Imò nec tanti existimatur à Marchino de Ord. Tract. 3. part. 3. cap. 15. n. 1. quin audeat concedere Eremitæ celebrationem sine ministro singulis diebus Festivis; contra Suarium disp. 87. sect. 1. circa finem ibi: Si quis Eremita omnino solus viveret, sine socio, non posset licitè, nec quotidie, nec diebus Festis solus celebrare sine dispensatione; quia illa non potest propriè dici necessitas, sed voluntas: nemo autem potest suâ voluntate instituere talem vivendi modum, in quo præter communem Ecclesiæ consuetudinem, & contra ordinariam legem celebret. Ita Suarius.

Affirmat Marchinus contra Suarium.

599. Hæc sententia probatur.

Interim sententiam Marchini significare videtur Glossa ad cap. *Hoc quoque*, superiùs citatum, verbo, *Ipse tertius*. ibi: *Immo & incluſus Missam solus cantare potest, hoc intellige, ubi Cleri copia non suffragatur.* Et ratio ejus esse potest, quia Ecclesia approbans tale genus vitæ solitariæ, in qua nec audire possit Sacerdos Missam alterius, nec ipse nisi sine ministro Missam celebrare, implicitè dispensat in uno, vel in altero præcepto.

Si dixeris; Ecclesia non approbat: tunc dico cum Suario, hujusmodi Eremitam sine dispensatione, saltem Episcopi, non posse celebrare sine ministro singulis diebus Festivis, immo tenetur modum istum vivendi deserere, tamquam incompatibilem cum observatione legis Ecclesiasticæ.

600. An sufficiat imperfecta responsio ministri.

Admitti verò potest (inquit Aversa sup.) quòd si adsit, qui non exactè respondere calleat, tunc possit Sacerdos illo inserviente celebrare, quia hic poterit saltem urceolos ministrare, & Sacerdos in responsionibus supplere. Hæc ille.

Sed quæro ego; quid si non posset urceolos ministrare defectu manuum, num celebrans cum tali ministro, peccaret mortaliter? Numquid magna res ministrare urceolos? Et quid si non posset ullatenus respondere, posset autem ministrare urceolos, an Sacerdos cum tali ministro celebrans, & supplens responsionem, peccaret mortaliter? Numquid illa imperfecta responsio, quam ponit Aversa, excusare poterit à peccato mortali, quod aliàs incurreretur? Hæc diligenter expendant, qui cum Aversa docent esse peccatum mortale celebrare sine ministro.

Accedat, quod docet Tamburinus suprà n. 6. circa finem, videlicet ministrum, nisi desit in necessarijs (ut si v. g. materiam ineptam suâ culpâ Sacerdoti tradat) & citra scandalum & contemptum, in suo ministerio vix posse graviter peccare; nam si relinquat respondere, vel inservire, in quo debet, non videtur in re gravi delinquere. Ita ille.

601. Ministrans Missæ immortali nequidem venialiter peccat.

Rogas; an minister peccet, si cum conscientia peccati mortalis inserviat? Respondeo nequidem venialiter, si cum debita aliàs reverentia accedat; sicuti nec venialiter peccaret, si alias spirituales exercitationes exhiberet, ad quas non est minister ex officio deputatus, & non sunt confectio, aut saltem administratio Sacramenti.

Ex quo enim capite hæc culpa oriretur? An fortè quia cooperatur Sacrificio, & illud suo modo offert? Sed etiam cooperatur, & isto modo offert, qui Sacerdotem inducit ad celebrandum, & magis qui stipendium tribuit. Quis autem dixerit eos peccare venialiter, si cum conscientia peccati mortalis id faciant?

Est quidem opus Angelicum, & ideo conveniens foret, ut minister Angelicam puritatem adferret. Sed ubi præceptum? Nonne etiam laudes Deo decantare, est opus Angelicum? Quis ideo in hominibus laudantibus, & benedicentibus Deum, sive in Choro, sive extra Chorum requirit statum gratiæ?

602. Ius positivum prohibet feminam ministrare ad altare.

Sed hæc satis de prima & secunda parte Conclusionis. Sequitur tertia, quæ manifestè constat ex capite primo de Cohabitatione Clericorum &c. ibi: *Prohibendum quoque est, ut nulla femina ad altare præsumat accedere, aut Presbytero ministrare; aut intrà cancellos stare, sive sedere.*

cap. 1. de Cohab. Cleric. &c.

Ubi nota primò ly *Ad altare*, quo videtur significari, non esse inconveniens, aut prohibitum, ministrante circa altare viro, qui nesciat respondere, mulierem ex loco remoto respondere. Nonne ubique terrarum Moniales ex Choro respondent cantando? Cur non similiter possint legendo? Non video disparitatem. Et si ad unum possint respondere, dicendo *Amen*, *Et cum spiritu tuo* &c. cur non ad omnia?

Non est inconveniens quod respondeat ex loco remoto.

Quod enim ait Vasquez disput. 233. art. 5. in fine, valde indecorum esse, Sacerdotem dicere feminæ : *Confiteor Deo* &c. *Et vobis Fratres*, & ab ea formam deprecationis recipere illis verbis : *Misereatur tui* &c. Ad hoc, inquam, bene respondet Cardinalis Lugo disp. 20. n. 103. de facto in illis verbis : *Et vobis Fratres*, non loquitur solùm cum viris, sed cum omnibus; sicut & in illis : *Orate Fratres* &c. non hortatur solos viros ad orandum, sed omnes præsentes, ut constat; illa autem verba: *Misereatur tui* &c. non sunt absolutio, sed deprecatio. Cur autem feminæ non possunt deprecari Deum pro Sacerdote, sicut de facto deprecantur cùm dicunt : *Et cum spiritu tuo?* Alioquin propter idem inconveniens non posset Sacerdos recitare privatim divinum Officium cum femina, quod tamen nemo dicet. Hæc ille.

Vasquez.

Lugo.

603. An posset in altari ministrare ex causa, v. g. si sit defectus viri?

Nota secundò ly *Præsumat*, quo jus videtur innuere licitum esse feminas ministrare ad altare, quando adest justa aliqua causa; nam præsumptio, ut suprà in simili casu diximus, videtur excludere omnem justam causam. Et ideo sic docet Nugnus 3. part. tom. 1. q. 83. art. 6. dub. 1. videlicet quòd si non sit vir, vel ille non possit ministrare, quòd tunc debet femina & respondere, & ministrare. Et Sacerdotem ita celebrantem non peccare mortaliter putat Sylvius 3. part. q. 83. art. 5. in responsione ad 12.

Affirmat Nugnus.

Silvius.

Oppositasententia est communior.

Nihilominus oppositasententia est magis communis; nempe in necessitate potiùs Sacerdotem debere sibi ipsi ministrare, quàm admittere feminam, cujus ministerium, inquit Lugo suprà, magis clarè prohibetur in jure, quàm celebrare absque ministro.

Fateor; sed etiam clarè in jure requiritur præsumptio: unde puto priorem sententiam esse satis probabilem, quam in Belgio practicant aliqui Confessarij Monialium, qui in defectum puerorum admittunt ad altare puellas sæculares, vel etiam ipsas Moniales.

604. An consuetudine in Belgio hæc lex sit abrogata?

Quin imò eò usque hæc res devenit, ut aliqui existiment consuetudine hanc legem in Belgio esse abrogatam. Quæ certè consuetudo (si ita vocari debeat, & non potiùs corruptela) si maturè expendatur, non invenietur esse nisi paucorum Sacerdotum, qui fortè ut parcant sumptibus, quantumvis exiguis, negligunt quærere ministrum masculum; & passim sine vera necessitate permittunt inservire Moniales, aut puellas sęculares, causâ instructionis in Monasterijs commorantes. Bene, an malè, viderint ipsi, & Superiores, qui contra expressam ordinationem Pontificum similia permittunt. Me auctore id non facient, nisi ubi adest vera necessitas.

Putas si omnes Canonici vellent sibi inserviri à suis ancillis, vel filiabus spiritualibus, Episcopus vel alius Prælatus Regularis id permitteret? Non credo. Quomodo ergo isti legi sufficienter derogatum est per consuetudinem contrariam?

Et verò licèt in his partibus non sit tantum periculum peccati, quantum fortè in alijs; equidem periculum est sufficiens ad justam prohibitionem.

Nec dubium quin populus graviter scandalizaretur, si videret Canonicos celebrantes, & ancillas vel filias spirituales absque necessitate ipsis inservientes. Immo multò magis, quàm si videret celebrantem sine ministro.

605. An graviter peccent Sacerdos admittens feminam, & femina ministrans sine causa.

Unde communiter docent Theologi, tam feminam ministrantem, quàm Sacerdotem eam admittentem, peccare mortaliter, & meritò, si verum est, celebrare sine ministro esse peccatum mortale. Illud enim magis indecens videtur propter periculum, saltem contra puritatem & munditiam tanti Sacramenti.

Alioquin (salvo meliori) non auderem talem Sacerdotem aut feminam damnare peccati mortalis, seculo scandalo & periculo incontinentiæ; præsertim in hoc nostro Belgio, ubi si non ministerium, certè accessus ad altare tam propinquus permittitur Domicellis, ut inter ipsas & Sacerdotem celebrantem, vix ulla sit distantia, indubiè contra jus citatum, quod prohibet feminam non tantùm ministrare Presbytero ad altare offerendo ampullas aquæ & vini &c. sed etiam ad altare accedere, aut intrà cancellos stare, sive sedere. Et quamquam ille nimius accessus à multis reprobetur, videmus tamen contrariam consuetudinem propter dissimulationem Prælatorum paulatim invalescere.

Maneat ergo feminam non posse proximè ministrare ad altare, præstando aquam & vinum &c. (nisi fortè in casu necessitatis) saltem sub obligatione gravi veniali, & per consequens Sacerdotem non posse illam admittere sub eadem obligatione, quæ est tertia pars Conclusionis.

606. An ordinatio ex se præcipiat hæc jejunia.

De quarta quid dicam? Consuetudinem ex toto præscripsisse contra jus commune, nimis clarè falsum est. Ubi adest vera necessitas, non ausim eam omnino damnare, quamquam id faciat Regius sic scribens q. 83. n. 264. Unde communiter Doctores docent, urgente necessitate potiùs committendum esse, ut Sacerdos sine ministro celebret, quàm ut femina ei ministret. Nec contraria consuetudo, quæ quibusdam locis est, videtur ullo modo probanda: nam omnino repugnat aperto jure, & venerationi tanto Sacramento debitæ. Ita ille.

Regius.

Possent hìc & alia multa disputari de ritibus observandis in Missarum celebratione, & supplendis defectibus occurrentibus, sed aliqua sparsim hinc indè resolvi; ex ijs autem quæ restant, pauca seligens, quæ majoris videntur momenti, sequentes subjicio Conclusiones.

CON-

CONCLUSIO XXXII.

Licèt multum conveniens sit ante celebrationem orationi vacare, recitando Psalmos, & Orationes, quæ ab Ecclesia præscribuntur in Missali, equidem nulla est obligatio. Idem dicendum de illis precibus, quæ vocantur gratiarum actio, immo de orationibus, quas Sacerdos recitat dum induit sacras vestes. Fortè etiam de recitatione Matutini cum Laudibus.

607. Non est obligatio legendi Præparamenta.

PRima pars est communis; nam convenientiam quis sanæ mentis potest negare? Obligationem autem sine præcepto nemo Theologus facilè affirmabit. Porrò hìc nullum esse præceptum, patet ex verbis, quibus illæ Orationes à Rubricis præscribuntur. Sunt autem quæ sequuntur. *Sacerdos celebraturus Missam præviâ confessione sacramentali, quando opus est, & saltem Matutino cum Laudibus absoluto, Orationi aliquantum vacet, & Orationes inferiùs positas pro temporis opportunitate dicat.* Titulo Ritus servandus &c. cap. 1. in principio. *Rub. Miss.*

neque ex jure scripto,

Ubi cum audis; *Pro temporis opportunitate*, cogita solùm esse Rubricam per modum consilij, nullatenus autem per modum alicujus præcepti; hujusmodi enim verbis non utitur Ecclesia, quando aliquid vel leviter præcipit. Unde etiam Tit. de Defect. cap. 10. inter defectus occurrentes in ipso ministerio, non numeratur omissio harum Orationum, quæ vocantur *Præparatio ad Missam*; cur ergo sit peccatum, vel saltem veniale?

neque ex consuetudine.

Sanè non constat consuetudinem acceptatam esse sub aliquo peccato, sed existimo introductam ex sola devotione; nullus enim facit scrupulum peccati, si fortè ante celebrationem non legerit præparamenta, dummodò alioquin bene præparatus accesserit. Et eadem est ratio illarum Orationum, quæ post peractum Sacrificium solent à Sacerdotibus recitari, & vocantur, *Gratiarum actio*.

608. Idem dicendum de orationibus quas Sacerdos recitat dum induit sacras vestes.

Sed numquid idem dicendum de illis precibus, quas Sacerdos recitat dum induit sacras vestes? Quidni, cùm neque earum omissio inter defectus referatur, & consuetudo commodè explicari possit tamquam non obligatoria; sed pia dumtaxat, & conformis consilio Ecclesiæ? Scio nonnullos asserere obligationem sub mortali, alios sub veniali; ego autem ubi nullum invenio præceptum, nullam volo esse obligationem.

Profectò nimia multiplicatio obligationum in destructionem potiùs cedit & laqueum animarum, quàm in ædificationem. Hinc est quòd Statuta nostræ Religionis non obligent sub peccato, nequidem veniali; propter enim multitudinem nimis facilis est eorum transgressio; adeòque sufficiebat obligatio ad pœnam. Et dicam ego omnes Rubricas, quæ propter multitudinem & varietatem moraliter vix possunt observari, omnes inquam sub peccato obligare, saltem veniali? Non dicam, nisi majori fultus fundamento, quàm solâ consuetudine, quæ quidem illas observat quantùm possibile est; quia decori divini Officii apprimè convenientes, non autem quasi in conscientia obligantes.

609. Respondetur ad Bullam Pij V.

Nec moveor auctoritate Doctorum; nam ipsorum non est leges condere, sed ab Ecclesia conditas interpretari. Ad Pium V. superiùs respondimus, solùm præcipere, ut servetur ordo Missalis quoad ritus principales, & quasi substantiales, non tamen quoad omnes præscriptiones Rubricarum, præsertim doctrinalium, nisi velis ex decem Sacerdotibus, vix unum celebrare sine multis peccatis venialibus propter multitudinem Rubricarum, ut statim dixi, & fragilitatem humanam.

Præcipuum ergo intentum Pontificis fuit approbare Missale Romanum, & alia abolere: id est, præcipere Sacerdotibus, ut cæteris omnibus actionibus & ritibus ex aliis Missalibus, quantumvis vetustis, hactenus observari consuetis, in posterum penitus omissis ac planè rejectis, Missam juxta modum & normam Missalis Romani reformati decantent ac legant.

Quis autem dixerit illam normam non observari ab his Sacerdotibus, qui celebrant omissâ præparatione, vel illis orationibus, quæ solent dicere quando se induunt sacerdotalibus paramentis? Si caput non inclinent, quando Rubricæ præscribunt inclinandum? Vel non genuflectant, dum id in Rubricis ordinatur, & similia multa, quæ nimis longum esset enumerare? Prudens ratio dictat, estò conveniens sit ita operari, nullatenus tamen conveniens esse, ad omnia ista sub peccato obligari, seclusò scandalo, & contemptu, ac animo inducendi novum ritum.

610. Non est obligatio recitandi Matutinum ante Missam.

Hæc ergo sit ratio ultimæ partis Conclusionis, quidquid Doctores communiter in contrarium clament, damnantes eos, qui celebrant non recitatis privatim precibus Matutinis cum Laudibus peccati mortalis, aut saltem venialis. Ratio, inquam, sit; quia ubi non est lex, nec prævaricatio legis, & per consequens nec peccatum, quod in Rudimentis Fidei definitur: *Dictum, factum vel concupitum contra legem Dei vel Ecclesiæ.*

Lex

saltem ex jure divino.

Lex divina naturalis non est, ut suppono tamquam certum ; quæ enim connexio ex natura rei necessaria inter Matutinum & Missam ? Neque quoad materiam , cùm Missa frequenter ab Officio discrepet ; neque quoad tempus , aut ordinem , ut ex dicendis patebit.

Numquid necessaria dispositio animæ ad effectum Sacrificii ? Liquet profectò non esse, vel saltem ex præcepto divino positivo ; alioquin defectum recitationis Matutini posuissent Rubricæ Tit. de Defect. cap 8. inter defectus dispositionis animæ , & non cap. 10. inter defectus occurrentes in ipso ministerio. Vel si est præceptum Christi , ubi latum , ubi promulgatum ? Nihil simile in Scriptura, Traditione, vel Conciliis reperitur. Et quid mirum, cùm & ipsa recitatio Matutini solùm sit juris Ecclesiastici ?

611. Est quædam connexio ordinis inter Matutinum & Missam.

Ad summum ergo est quædam connexio ordinis, ex eo quòd Matutinum sit Officium nocturnum , Missa autem diurnum ; sicuti est quædam connexio inter Matutinum , & alias Horas diurnas , propter quam putant aliqui esse peccatum veniale postponere Matutinum aliis Horis , nisi subsit aliqua rationabilis causa.

An ejus inversio peccatum ?

Atque ut etiam talem culpam admitteremus in eo, qui Missam præponit Matutino, quia videlicet Matutinum non dicit horâ consuetâ , adhuc vera maneret nostra Conclusio. Nos enim hìc non quærimus , an sit peccatum horâ non consuetâ dicere Matutinum , sed an sit peccatum præponere Matutino Missam , quæ sunt quæstiones diversæ nec una aliam inferens.

Siquidem fieri potest , ut Matutinum dicatur ante Missam , & tamen horâ inconsuetâ : & è converso ut Matutinum dicatur post Missam , & tamen horâ consuetâ : v. g. aliquis celebrat Missam horâ secundâ pomeridianâ, putas quod legat Matutinum horâ consuetâ , si incipiat legere horâ primâ vel ad medium secundæ ? Et è converso aliquis legit Missam in æstate horâ tertiâ matutinali , existimas quia legit Matutinum horâ inconsuetâ , si incipiat legere horâ quartâ , vel quintâ ?

612. Quæ sit hora determinata privatæ lectioni ?

Sanè hora determinata lectioni privatæ est illa , quâ simile Officium , sive diurnum , sive nocturnum , publicè persolvitur in Choro. Et quia semper in Choro alia hora est determinata persolvendo Matutino , alia recitandis parvis Horis , numquam privatim Matutinum leges post parvas Horas , sine mutatione temporis consueti , sive upius Officij , sive alterius.

Missa privata non determinatur ad tempus Missæ solemnis.

Porrò clarum est , Missam privatam nequaquam determinari ad tempus Missæ solemnis ; sed , ut loquuntur Rubricæ Tit. Rubricæ Generales cap. 15. in principio : *Missa privata .... quacumque horâ ab aurora usque ad meridiem dici potest. Missa autem Conventualis & solemnis , sequenti ordine dici debet. In festis Duplicibus & Semiduplicibus , in Dominicis , & infra Octavas dictâ in Choro Horâ Tertiâ &c.*

Rubr. Miss.

Planè , inquis , sed omisisti quod additur in prima parte : *Saltem post Matutinum & Laudes.* 613. Objectio.

Ergo ex præscripto Rubricarum non licet Missam privatam præponere Matutino.

Distinguo Consequens : non licet , id est, non convenit , Concedo totum ; non licet, id est , peccat , qui Missam privatam præponit Matutino , Nego Consequentiam. Ratio; quia non omnia præscripta Rubricarum sunt leges strictè dictæ , ut jam sæpiùs dictum est; sed aliqua tantùm consilia , sive instructiones, & quasi manuductiones ad id , quod convenit fieri. Solutio.

Enimverò in Conventu nostro Lovaniensi, ubi hæc scribo,& alijs nostræ Provinciæ Conventibus , cantatur Sacrum quotidie dictâ in Choro Horâ Nonâ, quis ideo eos arguit peccati venialis ? Si illi Conventus non peccant contra Bullam Pii V. cur peccet ille Sacerdos, qui privatim recitat Missam non præmisso Matutino ?

Dices ; quia inter defectus occurrentes in ipso ministerio Tit. de Defect. cap. 10. nu. 1. ponitur : *Si celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit.* 614. Alia objectio.

Respondeo primò , Theologos, qui istos defectus posuerunt , fuisse in illa sententia probabili ; per hoc autem non præjudicari contrariæ sententiæ etiam probabili , ut colligitur ex eodem Titulo cap. 4. n. 5. ubi Theologi illi Thomistæ secuti sententiam Divi Thomæ , de qua suo loco egimus , circa supplendum defectum , quando aqua loco vini fuit consecrata , requirunt iteratam consecrationem novæ hostiæ , cùm tamen sententia Scoti contraria , in praxi esset tutissima. Primo Solutio.

Quod probè intelligens Suarius disp. 85. sect. 1. §. *Ad primam confirmationem* in fine : Ad secundam, inquit, confirmationem respondetur , illa, quæ in Missali ponuntur sub Titulo de Defectibus, solùm esse instructiones quasdam doctrinales , non verò speciales constitutiones inducentes novam obligationem ; sunt autem illæ instructiones datæ juxta probabilem doctrinam , non tamen magìs obligant , quàm res ipsæ, vel doctrina , in qua fundantur. Hæc ille.

Secundò dici posset , defectum non necessariò importare peccatum ; quia non omnis regula , ut constat ex Statutis Religionum , importat veram legem. Secundo Solutio.

Sed contrà , inquis ; eodem Titulo in fine cap. 1. sic legitur : *Alii verò sunt defectus , qui in Missa celebratione occurrentes , etsi veritatem Sacramenti non impediant ; possunt tamen aut cum peccato, aut cum scandalo contingere.* 615. Instantia.

Possunt

Responsio. Possunt omnino; sed num indè bene sequitur: ergo semper contingunt aut cum peccato, aut cum scandalo? Consequentia non tener, ut planum est; siquidem multa fieri possunt, quæ tamen non fiunt. Multa Superiores possunt præcipere sub obligatione peccati, quæ tamen non præcipiunt, adeoque multa possunt contingere cum peccato, quæ tamen de facto non contingunt.

616. Quidam defectus contingant cum peccato.

Si ergo quæritur, quando hi defectus contingant cum peccato? Respondeo, quando Rubricæ notant aliquid, quod aliàs ex jure, vel consuetudine noscitur esse præceptum, vel prohibitum. Jam autem in casu Conclusionis, neque ex jure, neque ex consuetudine convincitur præceptum: non ex jure; quia nullum adfertur præter Bullam Pii. V. ad quam respondet Castro Palaus tom. 2. Tract. 7. disp. 2. p. 4. n. 6. Pium V. tulisse præceptum servandi ritum dicendi Missam, nec novum inducendi: sub hoc tamen generali præcepto non comprehendit Matutini recitationem; quia recitatio Matutini non est ritus aliquis Missæ, sed ad Missam præsupponitur, aliàs vacare orationi aliquantulum, sub præcepto esset, cùm in illis Rubricis caveatur. Aliqua tamen in Rubricis præscribuntur, non ut præcepta, sed ut consilia.

Castro Palaus.

Addit: Neque obstat inter defectus in Missa contingentes computari omissionem Matutinarum precum cap. 10. de Defectibus in ministerio; quia solùm est defectus levis: vel dicendum est procedere ex sententia aliquorum Canonistarum.

Neque item obstat dari aliquando privilegium ad dicendam Missam non recitato Matutino; quia hoc dari potest, tum ad tollendos scrupulos, tum & præcipuè, ut peccatum veniale vitetur. Quod sine dubio sæpè contingit, quando absque rationabili causa Missa dicitur non præmissâ Matutini recitatione; quia ita est consuetudo recepta, & quia Matutinum horâ consuetâ & ab Ecclesia præscriptâ non est dictum. Hæc ille.

617. Dicere Missam ante lectum Matutinum non est vetitum ex consuetudine.

Verùm quod spectat ad consuetudinem, confestim potest responderi, vel eam introductam fuisse & receptam ex sola devotione, & non sub peccato veniali, vel certè ex errore, quo judicabant Sacerdotes adesse præceptum, quod de facto non erat. Alioquin si est consuetudo verè obligans, jam non tantùm sæpè, ut loquitur Castro Palaus, sed semper contingit peccatum veniale, quando absque rationabili causa Missa dicitur non præmissâ Matutini recitatione.

Ad aliam rationem superiùs respondimus. Hic addo valde mihi probabile esse, quod ait Caramuel Theologiæ fundamentalis n. 1117. puta, non dari de facto præceptum de tempore legendi privatim Horas Canonicas. Et si aliquod sit, sive scriptum, sive consuetudinarium, sanè non aliud, quàm dicendi Vesperas & Completorium post meridiem, & cæteras Horas ante prandium.

Caramuel. An de facto detur præceptum legendi Horas Canonicas certo tempore?

Hæc doctrina non indiget aliâ probatione, quàm communi sensu, etiam maximè timoratorum, qui nullum faciunt scrupulum, etsi non legant privatim Horas suas eo tempore, quo illæ solent recitari publicè in Choro, dummodò, sicut dictum est, persolvant Matutinum & parvas Horas ante prandium; Vesperas autem & Completorium post meridiem.

618. Non omnes Ecclesiæ eodem tempore publicè recitant.

Quin imò nec omnes Ecclesiæ eodem tempore antemeridiano persolvunt Matutinum, & parvas Horas publicè in Choro, utì nec post meridiem Vesperas & Completorium. In aliquibus enim recitatur Matutinum horâ duodecimâ nocturnâ; in aliis horâ 4. vel horâ 5. Parvæ Horæ in his Ecclesiis dicuntur horâ 6. in illis ad medium septimæ. Apud nos Lovanii, sicut superiùs indicavi, omnes Horæ parvæ dicuntur ante summum Sacrum, aliquando simul ab hora sexta incipiendo, aliquando interpolatim reservando Nonam usque ad medium decimæ, immediatè ante Sacrum. Apud alios Sacrum fit post Tertiam lectam, & post Missam dicitur Sexta &c. Similiter post meridiem in aliquibus Ecclesiis cantantur Vesperæ horâ secundâ, in aliis horâ quartâ.

absque peccato tamen, etiam veniali.

Ecce quanta variatio! quam tamen nemo audet damnare ut peccaminosam, vel saltem venialiter. Vide Caramuelem suprà n. 1118. & sequentibus, ubi respondet argumentis Dianæ (part. 7. tom. 11. resol. 12.) in contrarium. Ego supersedeo longiori discussioni; quia res non est hujus loci, & credo sufficere illa, quæ jam dicta sunt.

619. In privata recitatione Officii sedere, cùm standum est, non est peccatum *Castro Palao, Bonacina.*

Tantùm addo, quod lego apud Castrum Palaum suprà n. 7. in privata recitatione Officii, sedere, inquit, cùm standum est, vel stare cùm est flectendum ex Rubricæ præscripto, non videtur esse peccatum, si absq; contemptu fiat; quia non videtur præcipi, sed consuli, & ordinari majoris devotionis gratiâ. Sic Bonacina disp. 1. de Horis Canonicis q. 3. punct. 6. &c.

Et verò qui id asserit de Rubricis Breviarii, non obstante Bullâ Pii V. in qua præcipitur recitatio divini Officii secundùm ritum Romanæ Ecclesiæ, non potuisset id ipsum asserere de Rubricis Missalis, nimirum recitationem Matutini ante Sacrum non præcipi, sed consuli, & ordinari majoris devotionis gratiâ? Potuisset æquè facilè, nam etiam qui privatim legunt divinum Officium, solent flectere, quando Rubricæ id præscribunt; equidem non ex obligatione, sed devotione: sicuti ergo hæc est pia consuetudo, & non obligans; ita quoque consuetudo recitandi Matutinum ante Sacrum posset esse pia & non obligans.

620. Si esset consuetudo obligans recitandi Matutinum ante Missam, non esset nisi veniale contrahe.

Cæterùm gratis concesso, quòd esset consuetudo obligans, certè non nisi sub peccato veniali, quidquid nonnulli sine fundamento contradicant. Quamquam enim recitatio Matutini in se sit materia gravis, & capax gravis obligationis, ut patet in illis, qui

obligantur recitare Horas Canonicas ; similiter recitatio Sacri , ut constat ex præcepto audiendi Sacrum diebus Dominicis & Festivis : attamen ordo servandus inter lectionem Matutini , & lectionem Sacri , qui est propriè materia hujus præcepti , videtur esse levis .

ob levitatem materiæ.

Quippe (præterquam quòd solùm sit ordo accidentalis) neque multùm spectat ad cultum Dei, neque ad reverentiam Sacramenti, neque ad aliquem alium gravem finem, qui ad Dei vel proximi charitatem pertineat. Sanè major indecentia videtur, Matutinum postponere omnibus aliis Horis, quàm Sacrificio Missæ tantùm ; & tamen illud non est peccatum mortale.

621. Disparitas inter hoc præceptum & præceptum jejunii.

Nec dixeris ; præceptum jejunii obligat sub mortali, ergo etiam præceptum legendi Matutinum. Disparitas namque est ; quòd jejunium requiratur tamquam necessaria dispositio corporis , ut liquet ex Rubricis Tit. de Defectibus cap. 1. ubi primo loco inter defectus dispositionis corporis ponitur : *Si quis non ieiunus post mediam noctem.* Unde non nisi ob gravissimam necessitatem, aut saltem valde gravem ex communi sensu Ecclesiæ licet Sacerdoti non jejuno celebrare. Ille autem qui non recitavit Matutinum , etiam ob leviſſimas causas, potest celebrare Missam , ut omnes practicant sine scrupulo , eâdem prorsus facilitate , quâ invertunt ordinem Horarum inter se , utpote qui & ipse tantùm leviter obliget.

Et quamvis olim fortè fuisset præceptum, aut consuetudo graviter obligans ; illa tamen obligatio postmodùm est mitigata sensu Doctorum & usu fidelium , sciente , & non contradicente Ecclesiâ.

Sed numquid est similis ratio de his , quæ à Rubricis præscribuntur recitanda in ipsa Missa ? Non puto , & idcirco erit

CONCLUSIO XXXIII.

Nihil omittendum in Missa , vel addendum , præsertim quo videri possit alius ritus seu forma celebrandi. Qui secùs facit , per se mortaliter peccat; fieri tamen potest , ut propter parvitatem materiæ solùm peccet venialiter. Levis materia est Canticum Angelorum , Symbolum Apostolorum , unum aut alterum nomen alicujus Sancti in Canone, ly Enim in verbis consecrationis calicis; secùs Epistola & primum Euangelium. Interim quod omissum fuerit, non est resumendum, nisi sit de necessitate Sacramenti.

PRimam partem probant Bullæ Pii V. Clementis VIII. & Urbani VIII. ac novissimè Decretum Concilii Tridentini. Vide Concluſ. 21. Accedat communis Ecclesiæ praxis atque ipsius rei omnibus nota gravitas. Et quamvis sæpè ipsum Sacrificium sit liberum; attamen si volo illud offerre , non aliter quàm secundùm Missale Romanum secluso privilegio. Nonne administratio Sacramenti sæpissimè libera est ? Equidem si administro , non possum pro libitu meo sine peccato vel contemnere, vel omittere ritus ab Ecclesia Catholica adhiberi solitos , ut definit Tridentinum sess 7. de Sacramentis in genere can. 13.

622. Probatio 1. partis Conclus.

Dixi autem , *Per se* ; quia omissio vel additio tam exigua posset esse ut non sufficeret ad peccatum mortale. Tota ergo difficultas est in determinando in particulari , qualis mutatio , seu violatio regulæ vel Rubricæ sit existimanda gravis.

623. Gravius peccatur addendo, quam omittendo per se loquendo.

Et quidem ut notant omnes, facilius & gravius peccatur addendo alias ceremonias & preces præter illas,quæ in Missali præscriptæ sunt, quàm omittendo : tum quia commissio per se gravior est,quàm omissio; tum quia hoc genus peccati magis expositum est superstitioni & errori ; tum denique , quia in hoc usurpatur Ecclesiæ potestas.

Trid.

Hinc Tridentinum sess. 22. in Decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ. *Postremò*,inquit, *ne superstitioni locus aliquis detur,edicto & pœnis propositis caveant* (Episcopi) *ne Sacerdotes alius quam debitis horis celebrent , neve ritus alios aut alias ceremonias & preces in Missarum celebratione adhibeant , præter eas , quas ab Ecclesia probatas , ac frequenti & laudabili usu receptas fuerint.* Ubi expressiùs prohibet additionem.

Pius V.

Quod etiam observavit Pius V in sua Bulla , quæ præfigitur Missali , dicens : *Neque in Missæ celebratione alias ceremonias vel preces , quam quæ hoc Missali continentur , addere , vel recitare præsumant.*

624. Interim etiam omissionem esse peccaminosam, nemo dubitat.

Interim etiam omissionem esse peccaminosam, nemo dubitat. Unde appositè dixit Scotus 4. dist 13. q. 2. n. 18. *Istam circumstantiam temporis concomitatur quoddam necessarium adsciendum tractum temporis in celebratione Missæ ordinatâ , quâcumque horâ diei artificialis fiat , scilicet legere Introitum , Orationes , & Epistolam , sicut in Missalibus secundùm usum Ecclesiæ Romanæ notatur, sine quibus præmissis nullus ordinatè conficit , nec* fortè

fortè absolutè quis conficere posset, ut suprà tactum est dist. 8. nisi præmitteret ad minus illa verba, per quæ significaret se proferre verba consecrationis in persona Christi, non in persona Sacerdotis.

Ubi expressam facit mentionem Canonis, & aliorum, quæ numquam solent omitti; illis siquidem inter cætera maximè invigilandum est: adeò ut aliqui doceant in Canone Missæ vel minimum verbum advertenter omittere esse mortale.

625. In Canone omittere unum aut aliud nomen Sancti, non est nisi venialis.

Sed contrarium apparet verius, & communius docetur, omittere unum vel aliud nomen alicujus Sancti, præciso contemptu, non esse peccatum mortale. Idem asserit Suarez disp. 83. sect. 3. §. *In quo est magna differentia*, de ijs, quæ tempore Paschali v. g. interponenda sunt in Oratione: *Communicantes*, vel in Oratione: *Hanc igitur oblationem.*

utì etiam omittere particulam *enim.*

Immo non videtur esse mortale omittere ly *Enim*, in verbis consecrationis calicis; constat quippe ex dictis disp. 4. sect. 3. concluſ. 1. & 2. illam particulam non esse substantialem; neque aliam habere notabilem significationem. Ex quo ergo capite omissio illius esset peccatum mortale?

626. Occurritur objectioni ex Conc. Triden.

Fateor cum Concilio Tridentino sess. 22. cap. 4. *Ecclesia Catholica ut dignè reverenterq; offerretur* (Sacrificium Missæ) *ac perciperetur, Sacrum Canonem multis antè sæculis instituit ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maximè sanctitatem, ac pietatem quamdam redoleat, mentesq; offerentium in Deum erigat. Is enim constat cùm ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus ac sanctorum quoque Pontificum pijs institutionibus.*

Fateor hoc, inquam, & ideo dico sub strictiorem verba Canonis cadere obligationem; sed numquid propterea neganda parvitas materiæ? Minimè, cùm non sit hìc major ratio, quàm in multis aliis præceptis Religionis, ut in materia voti, & similibus.

627. Sententia Soti

Audi quid dicat Sotus 4. dist. 1. art. 8. §. *Si autem*: Qui Sacramenti despectu aut fastidio voculam, *enim*, inter consecrandum Corpus demeret, culpâ se fortè mortali contaminaret; dixerim *fortè*: quoniam & contemptus ratione tenuitatis materiæ potest esse venialis. Si autem fieret ex negligentia, quantumvis crassa & supina, corruptio hæc atque aliæ hujusmodi parvæ, non essent nisi veniales. Immo quamvis non adhibeatur diligentia proferendi. M. finale in *Meum*, vel si fortè non proferatur. T. in verbo *Est*, nullam profectò reor culpam incurri. Deus enim non est tam istarum minutiarum observator. Hucusque Sotus; intelligendus utique cum sale discretionis.

explicatur

Nam quod ait: Contemptus ratione tenuitatis materiæ potest esse venialis, prout sonat, posset alicui videri falsum; nam aliàs quomodo contemptus mutabit peccatum veniale in mortale? Etenim præceptum veniale (ut sic loquar) quà tale poterit contemni sine peccato mortali, propter parvitatem materiæ. Non autem hoc putandum est voluisse Sotum, sed magis per contemptum intellexisse despectum ipsius rei præceptæ, vel etiam legislatoris, non quà talis est, sed quà homo, vel imprudens.

Interim non video quomodo despectus tam Augustissimi Sacramenti formaliter sumptus possit excusari à peccato mortali ratione parvitatis materiæ, cùm omnia Sacramenta sint res gravissimæ, & indubiè qui illa contemnit, ipsum Institutorem Deum contemnat. & refellitur.

628. Variæ sententiæ de initio Canonis.

Rogas quod sit primum verbum Canonis, & quod ultimum? Respondeo diversi diversa sentiunt. Communior sententia docet Canonem incipere ab illis verbis; *Te igitur*. Aliqui pro primo verbo assignant ly *Communicantes*. Nonnulli: *Qui pridie quàm pateretur*. Prima sententia videtur probabilior, propter auctoritatem Missalis in quo ab illis verbis, *Te igitur*, titulus Canonis incipit.

629. uti & de fine.

Quantùm ad finem Canonis, similiter triplex est opinio. Prima Sancti Gregorii qui lib. 7. Epistolâ 63. apertissimè fatetur Orationem Dominicam dici post Canonem. Pono ejus verba: *Veniens quidam de Sicilia, mihi dixit, quòd aliqui amici eius vel Græci vel Latini, nescio quid quasi sub zelo sanctæ Romanæ Ecclesiæ de meis dispositionibus murmurarent, dicentes: Quomodo Ecclesiam Constantinopolitanam disposui comprimere, qui eius consuetudines per omnia sequitur? Cùm enim dicerem, quas consuetudines sequimur, respondit: Quia Alleluia dici ad Missas extra Pentecostes tempora feciſtis &c. quia Orationem Dominicam mox post Canonem dici statuiſtis: Cui ego respondi, quia in nullo eorum secuti aliam Ecclesiam sumus.* Et infrà: *Orationem autem Dominicam idcirco mox post precem* (id est Canonem) *dicimus: quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo Orationem oblationis hostiam consecrarent.* Ergo secundùm Sanctum Gregorium extenditur Canon usque ad Orationem Dominicam exclusivè. Prima S. Greg. excludit Orationem Dominicam.

630. Secunda Inn. VIII. includit Orationem Dominicam.

Secunda opinio est Innocentii III. de Mysteriis Miss. lib. 5. ubi cap. 17. vult Orationem Dominicam esse partem Canonis, dicens: *Canonis sacri particula quarta: Oremus: Præceptis salutaribus moniti &c.* Cap. autem 19. inquit, *Canonis sacri pars ultima: Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis &c.* Ergo ex mente Innocentii Canon extenditur usque ad illam Orationem: *Libera nos quæsumus &c.* inclusivè.

Tertia Suarii & aliorum extendit Canonem usque ad Communionem.

Recentiores autem Expositores, inquit Suarez disp. 83. sect. 2. §. *Octava pars* in fine, sub Canone comprehendunt omnia, quæ sequuntur usque ad consumptionem Sacramenti,

menti, quod pertinet ad modum loquendi. Et ita etiam nos procedimus, quia non habemus aliud nomen, quo hæc omnia comprehendamus; & omnia hæc continentur sub regula præscripta sacrificandi, quam nomen Canonis propriè significat. Hæc Suarius.

631. Omissio Symboli, aut Cantici Angelorum &c. est venialis.

Cæterùm ex jam dictis de Canone non difficile erit ferre judicium de aliis. Et in primis omittere Symbolum Apostolorum, quando est dicendum, vel Canticum Angelorum, *Gloria in excelsis*, vel unam, alteramve orationem, quando plures sunt dicendæ, vel (adjungit Tamburinus l. 3. cap. 5. §. 2. n. 5.) propter paritatem rationis Euangelium ultimum, non est mortale ex levitate materiæ.

Tamburinus.

Ratio est accidentalitas istarum partium.

Quæris quæ sit ista ratio? Respondeo accidentalitas istarum partium; constat quippe in multis Missis nec Canticum Angelorum, nec Symbolum Apostolorum debere dici, Euangelium autem Sancti Joannis, cùm nuper introductum sit, & ordinatum ab Ecclesia, ut post benedictionem Sacerdotis dicatur, quis dubitare potest, an sit pars accidentalis?

Immo probabile est non pertinere ad integritatem Missæ; adeoque non peccare nequidem venialiter, qui die Festo, quando præcipitur auditio integræ Missæ, statim post benedictionem discedit. Et quid mirum, cùm videatur dari licentia discedendi istis verbis: *Ite Missa est*? Sed de hoc plura Sectione sequenti.

632. Omissio primi Euangelii, aut Epistolæ mortalis;

Dixi, *Euangelium ultimum*; quia primum, utì etiam Epistola, cùm in omnibus Missis dici debeant, & à principio Ecclesiæ semper dicta fuerint (ut ostenditur ex Missa Apostolica Sancti Apostoli Petri, quæ habetur in Bibliotheca Patrum Tomo 1. fol. 210 ibi: *Deinde legit textum Apostolicum*, id est Epistolam, *Alleluia*, *& Euangelium*) censentur partes quasi substantiales, & ideo peccaret mortaliter, qui illas sponte omitteret.

sunt enim partes quasi substantiales;

Nec obstat, quòd sæpè Euangelium, vel Epistola pauciora verba habeat, quàm *Gloria*, & *Credo*; nam parvitas, vel gravitas in hac re, non sumitur ad eum modum, quo ab aliquibus sumitur in Orationibus, etiam in Horis Canonicis, nimirum pensatâ quantitate verborum Orationis; sed consideratur secundùm quod Missa est quoddam ens artificiale morale constans certis quibusdam partibus, ex quibus, certâ ordinis dispositione confluentibus, ens illud morale resultat.

estò pauciorubus verbis constent.

633. Probatur à simili.

Porrò in composito artificiali una pars censetur magis necessaria, quàm alia; illa videlicet, cujus defectus magis deformat seu deturpat ens illud artificiale, estò in quantitate sit minima. Exemplum sit in statua alicujus Sancti, cujus pars principalis, & maximè necessaria censetur nasus, quamvis in quantitate minima, idque quia abscissio nasi maximè deturpat illam statuam, prout etiam abscissio oris, oculorum &c. cùm è contrario pars vestis v. g. defluentis, quamquam major in quantitate, tamen in ordine ad illud compositum censeatur minor, quia videlicet ejus abscissio minùs deturpat illam statuam, utpote quæ sine illa à principio potuisset esse.

Sic ergo in Missa defectus Hymni Angelici, & Symboli Nicæni, sine quibus ens illud artificiale, quod dicitur Missa, potest consistere, non tanti momenti censetur, etiamsi major sit illorum verborum quantitas, quàm defectus Epistolæ, aut Euangelii; quia sine his deturpatur, & deformatur consuetum illud ens artificiale, quod est Missa, cùm tamen sine Symbolo, aut Gloria, sæpè consueta forma consistat.

634. Objectio.

Dices; qui ex præcepto Ecclesiæ tenetur audire Missam, non peccat mortaliter, tametsi omittat audire Epistolam, vel Euangelium: ergo similiter Sacerdos non peccat mortaliter, qui omittit legere Epistolam, aut Euangelium.

Responsio.

Respondeo Negando Consequentiam: disparitas est, major obligatio celebrandi secundùm ritum Ecclesiæ, quæ indè probatur, quia facillimè aliquis excusatur ab auditione Missæ; rarissimè autem potest celebrare cum omissione Epistolæ, Euangelii, aut similis alicujus partis.

635. Potiùs in die Festo omittendum Sacrum quàm celebrandum sine lectione Epistolæ, aut Euangelii.

Unde nemo dubitat potiùs in die Festo omittendum esse Sacrum, quàm celebrandum sine lectione Epistolæ, aut Euangelii. Nec mirum, quia unum est peccatum omissionis, alterum commissionis; per non auditionem nulla fit irreverentia Sacrificio, vel saltem juris positivi; secùs per omissionem Rituum, qui ab Ecclesia præcipiuntur, ut cum majori decentia & majestate tantum Mysterium celebretur.

Igitur Epistola, vel Euangelium est pars notabilis respectu celebrationis; non sic autem respectu auditionis; quia longè dignius est celebrare, quod solis Sacerdotibus competit, quàm audire, quod omnibus indifferenter est præceptum.

Et ideo major obligatio integrè celebrandi, quàm integrè audiendi: *Mandantes*, inquit Pius in Bulla suprà citata, *& strictè omnibus & singulis in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes, ut Missam juxta ritum, modum, ac normam, qua per Missale hoc à nobis nunc traditur, decantent ac legant.*

Tit V.

636. Eadem materia potest esse gravis & levis respectu diversorum præceptorum.

Porrò quòd eadem materia possit esse gravis & levis respectu diversorum præceptorum, alibi non semel ostendimus, idque in exemplo Missæ, sive auditionis Missæ, quæ si præcipiatur ob finem politicum, v. g. ad tranquillitatem Reipublicæ, censetur materia levis, quia parùm conducens ad illum finem; si autem finis legis sit bonum animæ, quod indubiè intendit Ecclesia, dum præcipit singulis diebus Festis audire Missam, est, & ab omnibus habetur auditio Missæ materia notabilis.

Et

Et verò quoniam auditio Epistolæ vel Euangelii parùm conducit ad illum finem, liquet profectò ejus omissionem non esse peccatum mortale. E contrà verò cùm lectio Epistolæ & Euangelii à principio Ecclesiæ fuerit præscripta (ut liquidò constat ex Liturgia S. Petri Apostoli suprà allegatâ) & in omnibus Missis, tam de tempore, quàm de Sanctis, imò & Missis Defunctorum usque ad hæc tempora inviolabiliter usurpata, nemini potest esse dubium, quin notabiliter deserviat fini ab Ecclesia intento, qui fuit decor & majestas hujus Sacrificii; & per consequens quin omissio illius lectionis notabiliter isti fini repugnet. Quidni igitur sit peccatum mortale?

637. Sacerdos solemniter celebrans & Euangelium non legens mortaliter non peccat. *Lugo.*

Hoc tamen intellige de Missa privata; nam in Missa solemni probabile est Sacerdotem non peccare, saltem graviter, qui omittit legere Euangelium, vel Epistolam, dum Diaconus, vel Subdiaconus ea cantat: eò quòd tunc (inquit Cardinalis Lugo disp. 20. n. 107.) non omittatur Epistola, vel Euangelium in Missa; siquidem cantatur solemniter à ministris, ad quos spectat: illa autem lectio, quæ omittitur, videtur esse magis privata, non tam pro populo, quàm pro ipso Sacerdote. Potest ergo eadem materia, quæ est gravis si omnino omittatur, esse levis si non ab utroque, sed ab uno solo cantetur, vel legatur. Hæc Eminentissimus.

638. Sententia Navarri de hac materia

Sed quid Navarrus? De Oratione Miscellaneo 78. n. 1. quod quibusdam, inquit, videtur esse necessarium, ut dicens Missam cantatam cum Diacono, & Subdiacono, dicat per se Epistolam, & Euangelium secretò, antequam cantentur; ejus contrarium diximus esse verius in Enchiridio de Oratione cap. 10. n. 44. & nunc idem affirmamus.

Tum quia nullo Canone in corpore juris clauso præcipitur Missanti solemniter cum Diacono, & Subdiacono recitare secretò Epistolam, vel Euangelium, quæ ipsi cantant: & ut *Stephanus* Stephanus Papa dixit in cap. *Consuluisti* 2. q. 4. *Quod Sanctorum Patrum Decreto sancitum non est, superstitiosâ adinventione non est præsumendum*, id est, non est dicendum aliquem ad aliquid esse obligatum, nisi id jure naturali vel humano caveatur.

Tum quòd non memini legere aliquod ordinarium Missæ, quo id præcipiatur: nec Missale novum felicis Recordationis Pii V. id habet; licèt enim habeat Missantem osculari debere librum Euangelii, sibi ad id delatum; non tamen habet ut in eo relegat Euangelium.

Tum quia licèt consuetudo Missantium frequentior habeat licere, tamquam quid utile dicere secretò Epistolam, & Euangelium, quæ cantantur, non tamen habet id omittere esse illicitum, cùm multa sint consueta, quæ non sunt præcepta. Hucusque Navarrus, quem sequitur *Diana.* Diana cum aliis, quos citat part. 2. tract. de Celeb. Miss. resol. 42. & part. 5. tract. 13. resol. 95.

639. refutatur ex præsertim pto Rubricarum.

Credo equidem Navarrum non legisse Rubricas Generales Missarum juxta Missale Romanum Pii V. alioquin non potuisset ignorare, quod scriptum invenio Tit. Ritus servandus in celebratione Missæ §. de Epistola &c. ibi: *In Missa solemni Subdiaconus circa finem ultimæ Orationis accipit ambabus manibus librum Epistolarum, deferens illum supra pectus, & factâ Altari genuflexione in medio, vadit à parte Epistolæ contra Altare, & cantat Epistolam, quam etiam celebrans interim submissâ voce legit, & eâ cantatâ &c.* Quid clarius dici poterat?

Similiter loquuntur eædem Rubricæ eodem §. de Euangelio, ibi: *Deinde idem Subdiaconus accipit Missale celebrantis, defert ad cornu Euangelij in Altare, ibi ministrans celebranti, qui lecto Euangelio, & per Diaconum delato libro Euangeliorum ad Altare, imponit incensum in thuribulum &c.*

quas alii volunt solum esse directivas.

Hæc si vidisset Navarrus, non tam audacter fuisset locutus, sed cum aliis dixisset illas Rubricas non esse præceptivas, sed tantùm directivas. Et sanè sine præscripto Rubricarum, non est verosimile, quòd talis consuetudo fuisset introducta.

640. An Passio quæ solemniter cantatur, debeat submissè legi à Sacerdote?

Porrò quod addit Navarrus suprà n. 2. in confirmationem suæ sententiæ; videlicet quod consuetudo omnium, qui Missas dicunt, diebus, quibus Christi Passio cantatur ab aliis, quàm à Sacerdote, habeat non recitare inter Missarum solemnia Passionem illam cantandam, vel cantatam; contrarium vidi toties, quoties in Choro nostro audivi cantari Dominicam Passionem.

Missale Rom.

Quid in aliis Ecclesiis fiat, nescio: hoc scio in Missali Romano auctoritate Pii V. edito, & Clementis VIII. auctoritate recognito, expressis verbis præscribi submissam recitationem Passionis Dominicæ in Parasceve, ibi: *Finito Tractu dicitur Passio super nudum pulpitum: quàm celebrans submissâ voce legit in cornu Epistolæ.* Et de Prophetia ejusdem dici sic lego in eodem Missali: *Deinde Lector accedit ad legendum Prophetiam in loco ubi legitur Epistola, & incipit eam sine titulo: quam etiam Sacerdos legit submissâ voce apud altare in cornu Epistolæ.*

Item prophetiæ in Sabbatho sancto?

Similiter de Prophetijs, quæ leguntur in Sabbatho Sancto scriptum invenio: *Postea leguntur Prophetiæ sine titulo, & celebrans legit eas submissâ voce in cornu Epistolæ.* Ita in Missali, ut dixi, recognito auctoritate Clementis VIII. Nam ante illam recognitionem non fit mentio in Missali Pii V. istius submissæ recitationis sive Passionis, sive istarum Prophetiarum. Et ideo fortè tempore Navarri, qui obijt sub Gregorio 13. longè ante hanc recognitionem, moris erat non recitare submissâ voce Passionem, aut Prophetias cantandas, vel cantatas.

641. Sententia Tamburini. *Sanchez*

Miror autem Tamburinum recentissimum Auctorem lib. 2. de Sacrificio cap. 5. §. 2. num. 6. approbare sententiam Sanchez lib. 7. Consil. c. 2. dub. 13. n. 3. quâ ex Navarro docet, Sacerdotem celebrantem cum Diacono & Subdiacono meliùs facturum, si dum hi cantant Epistolam, vel Euangelium, ipse attentè audiat, nec secretè reciter. Ratio, inquit, esse potest; quia ex una parte Rubrica monens debere recitare, est solùm directiva, & ex alia, Epistola, & Euangelium in Missa solemni sunt partes Ministrorum, non Sacerdotis celebrantis; sicut ergo Officium in Choro recitantes satisfaciunt solùm devotè audiendo Lectiones, Capitula, Orationes &c. quæ alii juxta Chori alternationem soli dicunt, immo non bene facerent si recitarent, quia obmurmurando aliis essent fortè molesti, ita in casu nostro devotius Sacerdos audiet.

Quod dixi, extendo libens ad *Gloria*, *Credo*, & Prophetias Sabbati sancti, aut Passionem Domini, & similia, quæ in majori Hebdomada, & in Missa solemni ab aliis à Celebrante cantari solent, par enim ratio de his ac de illis esse videtur. Hæc Tamburinus; præferens suum sensum, sensui totius Ecclesiæ, quæ semper in Missis solemnibus secretò recitavit *Gloria*, &, *Credo*.

repugnat sensui communi Ecclesiæ

& præscripto Rubricarum.

Dubitas? Lege Rubricas Generales & scriptum invenies Tit. Ritus servandus cap. 4. *Cùm verò intonat hymnum* Gloria in excelsis Deo, *Diaconus & Subdiaconus unus post alium, stant à tergo Celebrantis, postea ascendunt ad Altare, & hinc indè, Diaconus à dextris, Subdiaconus à sinistris, cum Celebrante hymnum submissâ voce prosequuntur usque ad finem.* Et cap. 6 *Postea stans in medio Altaris versus ad Crucem, incipit, si dicendum sit,* Symbolum, *stantibus post eum Diacono, & Subdiacono: deinde ad Altare accedentibus, & cum eo prosequentibus, ut dictum est ad* Gloria in excelsis.

642. Resolutio Auctoris.

Dicam ergo ego Sacerdotem celebrantem cum Diacono, & Subdiacono meliùs facturum, si dum hi cantant Epistolam, & Euangelium, ipse contra universalem consuetudinem Ecclesiæ & Rubricam, saltem directivam, propter suam particularem devotionem attentè audiat, nec secretè recitet?

Clem. VIII.

Non dicam (nec dixit Navarrus, ut patet ex ejus verbis suprà relatis) præsertim cùm Clemens 8. in Bulla, *Cùm sanctissimum*, præfixa Missali recognito, vocet normam Missalis Romani à se recogniti, *Optimam*, ibi: *Quod nos animadvertentes* (scilicet multos errores irrepsisse in normam à Pio V. præscripta) *pro nostra Pastorali sollicitudine, quâ omnibus in rebus, & præcipuè in sacris Ecclesiæ ritibus, optimam, eamq; veterem normam studemus tueri & conservari* &c.

Et infrà sic ait: *Verùm in eo munere peragendo factum est, ut nonnulla ex diligenti librorum antiquorum collatione in meliorem formam redacta, & in regulis & Rubricis aliqua uberiùs & clariùs expressa sint, quæ tamen ex illorum principiis & fundamentis quasi deducta, illorum sensum imitari potiùs & supplere, quàm aliquid novi afferre videantur.*

643. Missa est submissè legenda Epist. &c. quam cantantem audiat.

Si ergo Ecclesia meliùs judicasset audire, quæ cantantur, quàm submissè illa legere, quidni illud ordinasset? Aut saltem liberum reliquisset, sicuti liberum reliquit sequi sententiam Divi Thomæ, vel Scoti circa defectum vini supplendum, de quo suprà meminimus? Proinde malumus sequi judicium totius Ecclesiæ, quàm unius, aut alterius Doctoris. Et dato quòd in se meliùs esset; haud equidem meliùs erit id facere, quando Ecclesia contrarium præscripsit. Quid si enim aliquis dicat, se devotiùs legere mentaliter, quàm vocaliter, numquid ideo meliùs faciet legendo mentaliter Missam (exceptis verbis consecrationis) quàm vocaliter contra præscriptum Ecclesiæ?

Dices; est Rubrica præceptiva. Respondeo, unde constat, nisi ex consuetudine? Hæc autem nonne in nostro casu pariter militat?

644. Differentia inter Officium in Choro & Missam.

Quantùm ad Officium in Choro sic debuit ordinari, ut audiendo Lectiones, Capitula, Orationes &c. satisfiat obligationi; quoniam non sine magno incommodo ab omnibus & singulis secretè possunt recitari, ut patet. Et quamvis possent; attamen de tali recitatione nulla extat regula seu Rubrica, saltem directiva. In nostro autem casu est Rubrica in contrarium, & commodissimè potest Sacerdos sine molestia alicujus submissè illa legere, quæ à Diacono, vel Subdiacono, aut Choro cantantur.

Cæterùm licèt quid alijs usu veniat, nesciam; mihi diversis vicibus experto usu venisse scio, quòd devotiùs rem gero, quoties ipse secretò lego, quàm quoties tantùm audio legere alium.

Ut ergo dicam, quod sentio, non auderem damnare Sacerdotem peccati mortalis, qui omitteret illas submissas recitationes, de quibus hactenus egimus; sed neque audeo dicere meliùs facturum. An autem venialiter peccet, pendet ex eo quòd illa Rubrica sit præceptiva, vel solùm directiva. Elige quod placet, & nemo te convincet.

645. Quæ ceremonia præ aliis sint observandæ.

His ita constitutis de omissione eorum, quæ dicenda sunt, festinè cognoscitur quid statuendum sit de omissione ceremoniarum, quæ fieri debent. Atque in primis semper præ oculis habenda est non tam quantitas molis, quàm virtutis seu dignitatis; unde omissio ceremoniæ continentis specialem significationem, etiamsi in seipsa res parva videatur, gravis subinde censeri potest, & debet, ut patet ex ijs, quæ disseruimus de obligatione missendi

aquam

aquam vino disput. 4. sect. 2. conclus. 5.

Similiter si quis omitteret fractionem hostiæ, vel mixtionem particulæ cum sanguine in calice, aut signa omnia, vel plura, quæ fiunt super Oblata, aliave hujusmodi, meritò posset peccatum mortale censeri; at verò omissio unius aut alterius ceremoniæ ex aliis, quæ solùm pertinent ad convenientem modum agendi, & non continent specialem significationem, tantùm erit venialis.

646. Sufficit quandoque sola oblatio mentalis. *Rubr. Miss.*

Sciendum quoque aliquando sufficere solam oblationem mentalem, ut planum est ex Rubricis Tit. de Defectibus cap. 3. n. 4. ubi sic dicitur: *Si Celebrans ante consecrationem adverterit hostiam esse corruptam, aut non esse tritticeam, remotâ illâ hostiâ aliam ponat, & factâ oblatione, saltem mente conceptâ, prosequatur ab eo loco ubi desijt.*

Idem statuitur n. 5. si adverterit illum defectum post consecrationem. Et similiter cap. 4. n. 3. & 4. si adverterit defectum vini ante, vel post consecrationem.

647. An si oblatâ hostiâ principali apponantur aliæ, possint consecrari? Negat Bonacina.

Alius casus est, si post oblationem hostiæ grandioris, superveniat Sacrista vel minister, qui afferat alias particulas consecrandas ad communicandum populum: quamquam enim Bonacina de Eucharistia disp. 4. quæstione ultimâ p. 2. n. 6. videatur negare dictas particulas tunc posse consecrari, dicens: particulas, quæ ad Altare deferuntur pro communione laicorum, debere in Altari adesse ante primum Offertorium; equidem Gavantus in Rubr. part. 3. tit. 10. n. 19. putat probabiliter posse consecrari, oblatione earumdem mente conceptâ.

Affirmat Gavantus, nisi apponerentur post cœptam Præfationem,

Addit; non tamen remotiùs ab oblatione hostiæ, puta jam cœptâ Præfatione. Quod non placet Tamburino, suprà n. 10. inquiens: Si id potest fieri proximè ad oblationem, non apparet ratio convincens, cur non possit & remotè.

648. quæ limitatio rejicitur à Tamburino.

Si dixeris; multæ ceremoniæ, & Orationes, quæ dicuntur super Oblata, non erunt dictæ super has particulas tardè allatas. Respondet sufficere quòd ejusmodi Orationes, actionesque exhibitæ fuerint super hostia grandiore, ad quam allatæ hæ particulæ sunt accessoriæ. Id quod à culpa gravi excusabit. A veniali verò, si quæ esset, excusari poterit populi communicaturi commoditas, vel ne palàm reprehendatur Sacrista, qui tardè particulas attulit, vel quid simile. Hæc ille.

Sed quantùm ad reprehensionem Sacristæ, quoniam bene meriti, parùm eam curandam censeo, & magis permittendam, ut postmodùm sit diligentior, & curam habeat, ut omnia ordinatè fiant.

Commoditas populi posset excusare, ut superiùs in simili docuimus, excusari Custodem à peccato, si propter commoditatem communicantium auferat hostias consecratas ex Altari, ante factam communionem Sacerdotis, qui eas consecraverat. Vide ibi dicta, quia est similis ratio.

649. Sententia Auctoris,

Existimo ergo hujusmodi hostias posse consecrari saltem sine culpa mortali; expeditiùs autem esse, & tutiùs, si iterum offerantur oblatione mente conceptâ; tunc enim & jam ponitur substantia oblationis, & ordo Missæ nequaquam turbatur. Ausim etiam dicere cum Possevino de Officio Curati c. 2. n. 2. illam oblationem mentalem non esse necessariam. *Possevinus.*

Non videtur tali casu necessaria nova oblatio.

Nec obstat, quòd Rubricæ præscribant hujusmodi oblationem, quando propter defectum panis, aut vini, debet consecrari novus panis, aut novum vinum; disparitas quippe est, quòd in hoc casu nulla præcesserit valida oblatio, ratione cujus hic panis, vel hoc vinum possit dici oblatus, vel oblatum; in casu autem, de quo tractamus, præcessit valida oblatio hostiæ grandioris, à qua particulæ illæ tamquam accessoriæ denominantur verè oblatæ. Sicuti quando reficitur vestis aliqua Sacerdotalis, v. g. Alba, pars non benedicta, quæ assuitur parti majori benedictæ, sine nova benedictione verè denominatur benedicta à benedictione antecedente majoris partis benedictæ.

650. Respondetur ad fundamentum Bonacinæ.

Atque hæc sit ratio nostræ Doctrinæ, & simul responsio ad fundamentum oppositæ. Videntur, inquit Bonacina suprà, illæ particulæ ad idem Sacrificium pertinere, ad quod pertinet hostia grandior: sicut autem hostia grandior debet adesse ante primum Offertorium; ita etiam adesse debent particulæ pro communione laicorum. Ita Rubrica Clementis VIII. de Defectibus in Celebratione occurrentibus cap. 3. n. 4. Hæc Bonacina.

Sed illo loco nihil dicitur de hujusmodi particulis; aît Titulo Ritus servandus cap. 2. n. 3. præscribitur: *Si est consecraturus plures hostias pro communione faciendâ, quæ ob quantitatem super patenam manere non possint, locat eas super Corporale* &c. indubiè ante primum Offertorium, quando commodè fieri potest, sic enim habet consuetudo: sed quoniam (ut bene notat Bonacina) pertinent ad idem Sacrificium, ideo dico ego, si casu afferantur post primum Offertorium, etiam post Præfationem, non erit peccatum, saltem mortale, illas consecrare, fortè nec veniale.

651. An omissa sint repetenda? *Rubr. Miss.*

Rogas; an sit obligatio repetendi ea, quæ vel ex verbis, vel ex ceremoniis sunt omissa? Vide quid ordinent Rubricæ Tit. de Defectibus cap. 5. nu. 3. *Si Celebrans non recordetur se dixisse ea, quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certò ei constet se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate Sacramenti, id est, formam Consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam, & cætera prosequatur per ordinem. Si verò valde probabiliter dubitat*

dubitat se aliquid essentiale omisisse, iteret formam saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius.

Sententia Doctoris Angelici.

Hæc est sententia Doctoris Angelici 3. p. q. 83. art. 6. ad 5. *Licèt*, inquit, *Sacerdos non recolat se dixisse* (vel feciſſe) *aliqua eorum quæ dicere* (vel facere) *debuit, non tamen debet ex hoc mente turbari; non enim qui multa dicit* (vel facit) *recolit omnium, quæ dixit* (vel fecit) *nisi forte aliquid in dicendo* (vel faciendo) *apprehenderit sub ratione iam dicti* (vel facti) *sic enim aliquid efficitur memorabile. Unde si aliquis attentè cogitet illud quod dicit* (vel facit) *non tamen cogitet se dicere illud* (vel facere) *non multùm postea recolit se dixisse*, vel feciſſe. *Sic enim fit aliquid obiectum memoriæ, in quantum accipitur sub ratione præteriti, sicut dicitur in libro de memoria. Si tamen Sacerdoti probabiliter constet se aliqua omisisse; siquidem non sunt de necessitate Sacramenti, non existimo quod propter hoc debeat resumere immutando ordinem Sacrificii, sed debet ulterius procedere* &c.

Nota ly *Immutando ordinem Sacrificii*; in quibus verbis insinuat rationem suæ doctrinæ, quasi diceret, ideo non debet resumere, quia immutaret ordinem Sacrificii.

652. Sententia Tamburini.

Unde putat Tamburinus suprà nu. 26. Si quis dum secretè orat, certò post pauca verba advertat se aliquid notabile, quamvis accidentale omisisse, non esse inconveniens, immo necessarium, tunc repetere; quia id, & commodè fieri potest, nec in tali casu notabiliter turbaretur Missæ ordo. Quid enim turbationis est, si certò advertens me non dixisse, v. g. Orationem, *Communicantes*, dicendam in die Paschatis, paululùm progressus regrediar ad eam recitandam?

Addit: Nota, illud, *Paululum*, & illud, *Certò*, & illud, *Dum secretè orat*; nam in orationibus publicis valde modicus deberet esse progressus, ut regredi ad supplendum obligaretur Sacerdos, quia in publicis facillimum est turbationis, & populi admirationis periculum. Hæc ille.

653. Rejicitur ab Auctore,

Respondeo, etsi in casu posito posset commodè fieri regressus sine notabili immutatione ordinis Sacrificii; equidem non sine omni immutatione, & cùm Rubricæ præscribant progressum, quare volumus obligare Sacerdotes ad regressum? Profectò ad satis multa obligantur, si ad omnia, quæ à Rubricis statuuntur.

& objectio solvitur.

Dices; Rubricæ non notant illud *Paululum*, *Certò*, &, *Dum secretè orat*. Respondeo; Rubricas notare valde probabilem dubitationem, quæ est moralis certitudo, & alioquin loquuntur generaliter, nec est ratio urgens distinguendi.

654. Differentia

Instabis; omissa in recitatione Horarum Canonicarum repetenda sunt, vel in fine Officii, vel simul atque quis advertit se omisisse: ergo &c. Respondeo Neg. Conseq. Ratio à priori voluntas Ecclesiæ, de qua constat ex praxi in casu Antecedentis, & communi sensu Doctorum, cùm tamen Rubricæ in casu Consequentis contrarium statuant, ut vidimus.

Inter Missam & Horam Canonicam.

Congruentia est, maxima coordinatio partium Missæ inter se, adeò ut extra propria loca non rectè cohæreant. Nec enim Missa ex solis componitur vocibus, utì Horæ Canonicæ; sed ex verbis simul & rebus, seu certis ac determinatis ceremoniis, quæ nisi debito ordine inter se connectantur, confusum potiùs chaos, quàm castrorum acies ordinata (qualis decet esse publicus & principalis cultus novæ legis) videbitur.

Quod Missa solis vocibus, Hora verò & rebus & ritibus constet.

Porrò Horæ Canonicæ privatus quidam cultus sunt (quamquam subinde publicè exhibeatur) constans ex solis orationibus sive verbis, quæ licèt inter se aliquam habeant connexionem & ordinem (quem etiam non licet sine causa immutare) equidem non talem, qualem habent partes Missæ, ut facilè patet consideranti; unde etiam levi ex causa interrumpitur divinum Officium, quando privatim legitur, & una Hora alteri postponitur, vel præponitur contra consuetum ordinem; cùm tamen ad interruptionem Sacrificii gravis admodùm causa requiratur, præsertim Canone cœpto.

Quòd Missa sit cultus publicus, Hora autem Canonica cultus privatus.

655. Privatus inadvertenter omissus non est in Choro repetendus.

Dico: *Quando privatim legitur*; quia in Choro illa non permittuntur sine graviori necessitate. Neque existimo ibi repetenda, quæ ex inadvertentia fuerunt omissa, v. g. si casu in Vesperis Psalmus aliquis fuisset omissus, & Chorus jàm perveniſſet ad Capitulum, putas vel statim ut advertitur defectus, vel saltem in fine Officij Psalmum illum à Choro esse decantandum? Non puto, sed abundè sufficeret privata recitatio.

Privata recitatio quando obligat.

Quærit aliquis à me, an privata recitatio sit necessaria? Respondeo affirmativè; estò gr. Psalmus v. g. privatim recitatus non possit esse pars publici Officij. Ratio mea est; quia licèt Chorus excusetur propter turbationem, fortè & admirationem populi à publica supplетione, non ideo tamen singuli in particulari, qui tenentur dicere integrum Officium, sive in Choro, sive extrà; adeò ut si propter aliquod impedimentum Chorus excusetur à toto Officio, singuli tamen in particulari teneantur totum Officium privatim recitare; siquidem illud divinum Officium ex se non est cultus publicus, sed magìs privatus.

656. Defectus Sacrificii pervenit non ex Ministro.

Econtrà verò Sacrificium semper est cultus publicus, & idcirco, cùm expletum fuerit, nullus ampliùs defectus potest, aut debet suppleri; neque enim v. g. Evangelium privatim in Sacristia recitatum, potest esse pars publici Sacrificij.

Quod etiam verum est, tametsi fuisset defectus

fectus substantialis; v. g. si Sacerdos invalidè consecrasset calicem defectu materiæ, formæ, aut intentionis: omittens quippe per ignorantiam, inadvertentiam, aut alio modo prædictum defectum supplere, donec Sacrum sit absolutum, nullatenus debet iterum consecrare solum calicem ad supplendum defectum, immo nec potest; quia jam actio esset omnino distincta moraliter, nec conjungeretur cum priori ad unum Sacrificium integrandum.

ersi fuisset substantialis.

Et eâdem ratione non tenetur in eo casu utramque speciem iterum consecrare; quia per hoc etiam non redintegraret prius Sacrificium, sed novum omnino distinctum offerret, ad hoc autem non tenetur: immo nec potest illud offerre; quia, ut supponimus, jam non est jejunus, cùm calicem non consecratum sumpserit. Ita Suarez disp. 85. sect. 1. §. *Ad primam*, & alii communiter.

Suarez.

Gavantus. Unde non repetendæ in Sacristia Orationes in Sacro omissæ.

Noli ergo audire Gavantum p. 3. tit. 10. nu. 16. ubi sic ait: Inter ultimas (intelligit Orationes post Communionem) non dicerem (puto commemorationem de Sancto) si neque inter secretas (Orationes) dixissem, sed in Sacristia post depositas vestes supplerem omissa.

657. Aliud est Missam mutilare; aliud Missam alterius diei assumere.

Nota præterea ex Suario disp. 83. sect. 3. § *Dico primo*, aliud esse mutilare Missam, omittendo aliquid eorum, quæ dicenda sunt; aliud verò dicere Missam alterius diei, seu de alia re, quàm in Missali præscribatur. In posteriori mutatione non semper est culpa; dummodò in ea Missa, quæ dicitur, integer ritus servetur; quia tunc reverà in rigore non prætermittitur ritus dicendi Missam.

Neque videtur esse latum præceptum propriè & in rigore de Missa dicenda de Feria, aut de Festo: nam cùm Sacerdos absolutè non teneatur hodie Missam dicere, non est cur obligetur ad dicendam hanc determinatè, si Missam vult dicere: quamvis enim non repugnet hujusmodi obligatio, tamen in præsenti neque ostendi potest, neque est ulla sufficiens necessitas & causa illius.

658. Divertitas inter Missam & Officium divinum.

In quo est magna differentia inter Missam, & divinum Officium: nam ad hoc dicendum tenentur Sacerdotes, & ideo mirum non est, quòd obligentur ad dicendum singulis diebus illud Officium, quod pro unoquoque signatur. In Missa verò non ita est. Et hoc confirmat consuetudo; nam sine scrupulo solet hoc fieri, etiam à viris timoratis & doctis. Hæc est sententia Suarii, de qua latiùs discurro Conclusione sequenti, quæ sic se habet:

CONCLUSIO XXXIV.

Consultius est (seclusâ rationabili causâ) celebrare Missam, quæ unoquoque die præscribitur in Missali. Nihilominus contrarium in Missis privatis, citra scandalum & contemptum, non est illicitum, saltem mortaliter, fortè nec venialiter.

Sic ferè limitat Suarez suam sententiam; nam verbis superiùs commemoratis continuò attexit: Hoc tamen intelligendum est in Missis privatis, quæ proprio arbitrio voluntariè dicuntur; nam in Missis solemnibus, quæ dicuntur in Parochiis, vel Ecclesiis Conventualibus major erit obligatio dicendi Missam diei juxta præscriptum Missalis ordinem: argumento cap. *Quidam*, & cap. *Cùm creatura* de Celeb. Miss.

659. Missa diei cuilibet assignata fine mortali variatur, imo & veniali, *Suarez.*

nisi foret publica,

Item quando aliquis ob stipendium vel Capellaniæ institutionem, vel ob aliam similem causam obligatur ad specialem Missam dicendam, debet, si commodè potest, præscriptam obligationem implere, quamvis si absque scandalo id omittat, ut Missalis ordinem servet, non peccabit: immo si propter solemne Festum id faciat, meliùs faciet. Denique in universum loquendo optimum consilium est non prætermittere etiam in hoc Missalis ordinem absque rationabili causa. Ita ferè Sylvester verb. *Missa*. q. 1. 4. 7. 8. & 10. Soto dist. 13. q. 2. art. 1. in fine Navarrus cap. 21. nu. 7. Victoria in Summa nu. 95. Hactenus Suarez. Sed discutiamus singula.

aut celebrans alio titulo ad specialem Missam obligetur.

Sylvester.

Navarrus.

Victoria.

Et primò quidem consultius esse (per se loquendo) celebrare Missam sive solemnem, sive privatam, quæ unoquoque die præscribitur in Missali, nemo potest ignorare, qui vel leviter Rubricas inspexerit. Do illas. Prima habetur tit. Rubricæ Generales c. 4. & sic sonat: *Aliis diebus infra hebdomadam quando Officium sit de Feria & non est resumenda Missa Dominica præcedentis, quæ fuerit impedita (exceptis Feriis Adventûs, Quadragesimæ, Quatuor temporum, Rogationum, & Vigiliarum) dici potest aliqua ex Missis votivis, etiam in principali Missa, quæ vocatur Conventualis, secundùm ordinem dierum in fine Missalis assignatum cum commemoratione Feriæ, de qua factum est Officium. Quæ tamen Missæ & omnes aliæ votivæ, in Missis privatis dici possunt pro arbitrio Sacerdotum, quocumque die Officium non est Duplex, cum commemo-*

660. Consultius est Missam unoquoque die assignatam celebrare, ut patet ex Rubr. Miss.

ratione eius, de quo factum est Officium, & commemoratione item Festi simplicis, si de aliquo occurrat eodem die fieri commemorationem in Officio. Nota quod sequitur : *Id verò passim non fiat, nisi rationabili de causa, ut quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat.*

Similiter loquitur Rubrica, quæ præponitur in Missali Missis votivis de Sanctis : *Sequentes*, inquit, *Missæ votivæ, licèt pro Sacerdotis devotione quacumque die dici possint per hebdomadam, quando Festum Duplex non occurrit, hoc tamen passim, nisi rationabili de causa, fieri non debet, sed quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat.*

661. An Missæ votivæ de Sanctis possint dici diebus Dominicis?

Tertiam Rubricam de hac re invenio in Missali, præpositam Missis votivis pro diversis sub hac forma verborum : *Aliæ Missæ votivæ pro diversis* (id est, pro quacumque necessitate, pro peccatis &c.) *quâcumque die dici possunt, nisi fuerit Dominica, vel Officium Duplex, quæ tamen passim non dicantur, nisi urgenti de causa.*

Negant Gavantus & Tamburinus.

Ubi (inquit Tamburinus suprà cap. 6. §. 1. n. 2.) rectè notat Gavantus in Rubricis Miss. part. 1. Tit. 4. litt. O. idem propter paritatem rationis esse in omnibus votivis, ut nimirum passim non dicantur in Dominica, vel Officio Duplici.

662. Respondetur eorum argumentis.

Sed contrà : in positivis non valet argumentum à paritate rationis ; & alioquin quare Ecclesia istam Rubricam non præfixisset omnibus Missis votivis ? Unde præmiserat Gavantus aliam probationem ; quia, inquit, suprà dicitur : *Alijs diebus infra hebdomadam*, hoc est, à Dominica ad Dominicam.

Respondeo ; in secunda Rubrica non dicitur, *Infra hebdomadam*, sed, *Per hebdomadam*; hebdomada autem Dominicam includit. Deinde in prima Rubrica quando dicitur : *Alijs diebus infra hebdomadam*, loquitur Ecclesia de sola Missa solemni. Ubi autem agit de Missa privata, generaliter dicit : *Quocumque die Officium non est Duplex.*

Tertia probatio Gavanti sumitur ex Rubrica secunda, in qua singulis Feriis (non autem Dominicæ) assignatur particularis Missa votiva ; v. g. Feriæ secundæ Missa de Trinitate, Feriæ tertiæ de Angelis, & sic consequenter.

Respondeo ; quia nullam particularem assignat pro Dominica, signum est voluisse indifferenter quamlibet in illa posse dici, præter Missas pro diversis, de quibus particularem inferiùs Rubricam posuit cum exceptione Dominicæ. Exceptio autem, ut communiter dicitur, firmat regulam in contrarium.

663. Communis sententia annumerat

Interim communis sententia est, Dominicam annumerari debere Festis Duplicibus. Et de Dominica quidem, inquit Gavantus ibidem, quia Festiva est, congrua est Rubrica; de Duplici verò, tum quia Duplex Solemnitatem habet, tum quia in Festis inferioris gradûs pluralitas Orationum, & in præparatione, gratiarumque actione post Missam non duplicatæ Antiphonæ, minùs incongruunt Missæ votivæ, quàm in Festis Duplicibus, in quibus una tantùm Oratio dicitur, & prædictæ Antiphonæ duplicantur. Dominicam Festis duplicibus æquiparat.

Ex quo (prosequitur idem Auctor) dicendum est prohiberi votivas in ijs etiam diebus, in quibus prohibetur fieri de Festo Duplici, argumento à fortiori sumpto ; nempe infra octavam Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in Feria quarta Cinerum, in Hebdomada majori, in Vigiliis Nativitatis Domini, & Pentecostes, & ita decrevit Sacra Rituum Congregatio die 28. Augusti 1627. 664. An Missa votivæ possint dici infra Octavam Epiphaniæ, Paschatis &c.

Respondeo, non constare nobis authenticè de illo Decreto, neque argumentum à fortiori in positivis locum habet, & aliunde ratio congruentiæ non est eadem, quia infra octavam Epiphaniæ dicuntur plures Orationes, & prædictæ Antiphonæ non duplicantur, prout etiam infra octavas Paschatis, & Pentecostes, ac in Feria quarta Cinerum.

Sed mittamus ista, & longiorem discussionem relinquamus Rubricistis. Ad minus ex jam dictis colligimus, consultius esse non celebrare Missas votivas sine rationabili causa.

Præcipua difficultas est ; an qui celebraret, reatum peccati incurreret sive mortalis, sive venialis. Sanè strictiorem esse obligationem dicendi Missam Conventualem, juxta præscriptum Missalis ordinem, videtur satìs probari ex capit. juris suprà à Suario allegatis. Exscribo verba singulorum. 665. Strictiorem obligationem dicendi Missam Conventualem secundùm Missalis ordinem.

Cap. *Quidam* 2. desumptum est ex Concilio Triburiensi (aliàs Salegustadiensi) eâque sequentis tenoris : *Quidam Laicorum habent in consuetudine, ut per singulos dies audiant Euangelium* : In principio erat Verbum, *& Missas peculiares, hoc est, de Sancta Trinitate, & de Sancto Michaële : & ideo sancitum est in eodem Concilio, ut ulteriùs hoc non fiat, nisi suo tempore, & nisi aliquis velit propter reverentiam Sanctæ Trinitatis, non pro alia devotione audire.* Probatur ex cap. quidam.

Sed si voluerint ut sibi Missæ cantentur, de eodem die Missas audiant pro salute vivorum, & etiam defunctorum. Cantentur, inquit ; ergo videtur loqui jus de Missa solemni.

Clariùs cap. *Cùm creatura* 11. quod sic se habet : *Cùm creatura non habeat quid pro meritis, respondeat Creatori* &c. *Mandamus* (inquit Honorius III.) *quatenus nullum in vos* (scribit universis Ecclesiarum Prælatis) *temporum* Resp. ad cum.

porem negligentiæ obrepere permittatis, quò minùs & pro Anniversarijs defunctorum, & pro Festo, vel Feriâ secundùm temporum congruentiam, Missarum solemnia conventualiter celebretis.

quæ ostendunt hanc Rubricam esse præceptivam.

Ergo Missa solemnis convenire debet cum Officio divino non tantùm ex præscripto Rubricarum, sed etiam ex jure communi; adeoque, secundùm superiùs dicta, Rubrica ista in quantum spectat Missam solemnem, præceptiva est, & non tantùm directiva. An obligans sub peccato mortali, pendet ex gravitate materiæ, & ideo relinquitur prudenti judicio. Ego valde dubito, utrùm præcisa illa concordia Missæ solemnis cum divino Officio sit materia notabilis. Viderint Prælati Ecclesiæ, ad quos illa cura præcipuè spectat.

666. An in Festis possint cantari duæ Missæ?

Notent autem propter graves causas, etiam in Festis (sed non majoribus, puta Paschate Resurrectionis, Pentecoste &c.) à Rubricis concedi, ut cantentur duæ Missæ, altera votiva solemnis cum *Gloria*, &, *Credo* in paramentis convenientibus, v. g. de Eucharistia quando solemniter est exponenda, altera de die currente.

Specificantur certæ causæ propter quas id licet,

Et si quæris, quæ sint istæ causæ? Respondeo, quæ faciunt ad bonum Reipublicæ, adeoque & ipsius Principis vel Prælati, qui Reipublicæ caput est. Hinc necessitas pluviæ, ingruentis belli, grassantis pestis, vel mali cujuscumque universalis, sicut dat causam processionis generalis, sic & Missæ prædictæ. Salus item ex infirmitate periclitans Summi Pontificis, Episcopi, magni Principis. Præterea huc reducuntur Comitia Generalia vel Provincialia Regularium, & expositio Eucharistiæ pro illis diebus, in quibus celebratur Oratio quadraginta horarum, prout etiam solemnes gratiarum actiones pro impetrata communi gratia; huc, inquam, reducuntur, quoniam pertinent ad bonum commune.

Immo consuetudo nostræ Provinciæ habet, ut Neomysta offerens Deo primitias sui Sacrificii, Missam celebret votivam pro sua devotione, nisi Festum fuerit ex principalioribus. Similiter in die, quo aliquis emittit solemnem Professionem, sine scrupulo cantatur Missa votiva, estò alioquin sit Dominica, vel Officium Duplex; quia & hæc aliquo modo pertinent ad bonum commune, tum Religionis, tum totius Ecclesiæ, ut patet.

667. Quæ Missa debeat cantari in solemni expositione Euchar. Gavantus,

Cæterùm Gavantus Com. in Rub. Miss. Part. 2. Tit. 14. nu. 2. illud, inquit, est notandum, quòd pro exponendo Sacramento in Altari pro initio 40. horarum vel spiritualium exercitationum, cantari debet Missa votiva de Sacramento, quæ habetur circa finem Missalis, non autem Festiva Corporis Christi (nisi infra Octavam ejusdem Festi casus accideret) & tempore Paschali addendum erit *Alleluia*, ut fit in aliis votivis Missis. Hæc ille.

Et nu. 3. ait: dicitur una tantùm Oratio cum *Gloria*, & *Credo* (unde videtur colligi, inquit Tamburinus lib. 2. cap. 6. §. 1. nu. 5. non oportere in fine Missæ recitare Euangelium diei) & Præfatione de Nativitate, quia solet esse publica causa: non autem privatis Missis hæc conveniunt. Ita Gavantus. *Tambur.*

Rectè quidem, si tantùm velit hæc tria copulatim non convenire Missis privatis; alioquin si de singulis separatim agitur, nescio quæ alia Præfatio, quàm de Nativitate conveniat Missis privatis; nec credo aliquem hactenus aliam Præfationem dixisse, cùm in Missali expressissimis verbis præscribatur, *Præfatio de Nativitate Domini.*

668. Mutatio Missæ privatæ non est mortalis,

Sed hæc satis de Missa solemni. De privata autem multùm probabile est, immo longè probabilius, ejus mutationem, etiam ex mero arbitrio celebrantis, secluso contemptu, scandalo, & animo introducendi novum ritum, haudquaquam esse peccatum mortale.

Ratio: quia non ostenditur lex graviter obligans; præsertim cùm multi probabiliter doceant, non peccare mortaliter eum, qui scienter & absque justa causa recitat divinum Officium de Sancto, cùm secundùm Rubricas Breviarii legendum est de Feria, vel è contra de Feria; cùm legendum est de Sancto.

669. An sit venialis? *Tamburinus.*

Quantùm ad peccatum veniale, ego, inquit Tamburinus suprà nu. 6. non dubito, quia Rubricæ de hac re, cùm contineant magnam convenientiam, sitque in contrario aliqua boni ordinis turbatio, videntur in praxi esse receptæ sub veniali, nisi excuset causa aliqua, de qua mox. Quamvis non negem probabiliter Suarium in Missis privatis (nam in solemnibus major est rigor observandus) nullam culpam agnoscere, cùm non sit ullum de hac re, ut diximus, præceptum, & timorati sine scrupulo faciant. Hæc ille.

Scitè quidem, si in prioribus verbis tantùm loquatur de Missa solemni, quæ non solùm à Rubricis præscribitur, sed etiam, ut vidimus, strictè præcipitur à jure communi, & ideo si illius mutatio non est peccatum mortale, ad minus erit peccatum veniale.

Alioquin si loquatur generaliter (utì videtur loqui) quomodo prudenter potest non dubitare de peccato veniali, cùm fateatur nullum de hac re, id est, de Missis privatis, esse præceptum, & timoratos sine scrupulo facere?

Non erant hæ rationes sufficientes ad dubitandum ? Quin sufficientissimæ, ut nullum in illa mutatione agnoscamus peccatum, etiam quando Officium est Duplex, vel in die Dominica.

670. Sententia Auctoris. Et sanè aliis diebus id nullatenus esse illicitum, planè mihi persuadeo ex Rubricis suprà citatis, in quibus expressis verbis significatur, in Missis privatis, pro arbitrio vel devotione Sacerdotis, posse dici Missam votivam, quocumque die Officium non est Duplex.

Unde quod additur: *Id verò passim non fiat, nisi rationabili de causa*, liquet profectò consilium esse de re meliori; minimè præceptum: quasi Rubricæ dicerent, potest quidem absolutè fieri, consulitur tamen ne passim fiat, *ut quoad fieri potest Missa cum Officio conveniat.*

Confirmatur: quia eadem est ratio Missæ de Requiem, & tamen illa simpliciter conceditur à Rubricis quocumque die, præterquam in Festis Duplicibus & Dominicis diebus, nullâ factâ mentione rationabilis causæ, Tit. Rubricæ Generales cap. 5. ibi: *Missæ autem privatæ pro defunctis quocumque die dici possunt, præterquam in Festis Duplicibus & Dominicis diebus.*

671. Objectio solvitur. Dices: ergo saltem est præceptum ne fiat illo die, quo Officium est Duplex. Respondeo Negando Consequentiam; sed tantùm est major convenientia, propter quam Rubricæ simpliciter statuunt sive decernunt id non esse faciendum, an sub obligatione peccati, sub judice lis est; & facilè posset admitti peccatum veniale, nisi consuetudo timoratorum esset in contrarium.

Quamquam & multi inveniantur qui non audeant id facere, etiam in aliis diebus, quando Officium est tantùm Semiduplex, nisi rationabili de causa, existimantes alioquin se venialiter peccaturos.

672. Causæ rationabiles mutandi Missam. Si autem illi à me quærant, quænam sint rationabiles causæ? Respondeo, Prima causa est, quando corpus insepultum præsens est in Ecclesia; nam tunc in Dominicis & Festis Missam solemnem (secùs privatam) defunctorum concedit sacra Rituum Congregatio 23. Maii 1603. Festis, inquam, quæ sunt de præcepto, æqualia Dominicis, non tamen magnæ celebritatis, ut notat Rituale Romanum Tit. de Exequiis ibi: *Si quis die Festo sit sepeliendus, Missa propria pro defunctis præsente corpore celebrari poterit, dum tamen Conventualis Missa, & Officia divina non impediantur, magnaq; diei celebritas non obstet.* Talis celebritas est Resurrectio Domini, Pentecostes &c. tunc enim debet officium Sepulturæ in sequentem non impeditam diem transferri.

Prima,

si quis in Festo est sepeliendus,

Interim Sabbato Sancto post Missam diei solemnem poterit in die obitûs celebrari Missa de Requiem, cùm jam ex usu solemnitas Festi Paschatis sit die sequenti, & ad summum solùm tempore Missæ prædicti Sabbati. Quod intellige, inquit Gavantus in Rubr. part. 1. Tit. 5. nu. 2. litt. X. juxta patrios mores Durandi, ubi nimirum viget consuetudo sepeliendi defunctos simul cum Missa, & numquam sine ea absque scandalo.

etiam Sabbato Sancto,

Gavantus. ubi notis est nunquam sepeliendos sine Missa.

Porrò in die Depositionis defuncti, & in Anniversariis, quâ ratione in Festo Duplici & Semiduplici possit cantari una Missa defunctorum; & quomodo si incidant ejusmodi Anniversaria in Festo de præcepto, debeant transferri, vide apud eundem Auctorem litt. Y. Z. & A. Tu autem sequere consuetudinem loci, quæ est optima legum interpres.

673. Secunda causa, ob quam Missa Votiva. Secundam causam assignat Tamburinus suprà n. 9. Qui careret Missali novo, posset, ne omitteret eodem die Sacrificium, recitare Missam votivam cum alio Missali, in quo esset votiva, non autem currens.

Tertia causa, navigatio periculosa. Tertia: qui navigationem periculosam incipit, qui Nuptias benedicit, qui pluviam vel serenitatem necessariam petit, qui necessitatibus premitur, vel aliquod notabile damnum timet, potest in Feria, in Simplici Festo, & in Semiduplici Missas votivas pro illis necessitatibus conducentibus celebrare.

Quarta causa, devotio singularis. Quarta: ei qui ducitur aliquâ non modicâ devotione ad dicendam aliquam Missam, eam libens, inquit Tamburinus suprà n. 11. in dictis diebus permissis (id est, Feriis, Festis Simplicibus, & Semiduplicibus) concederem; quia video timoratos conscientiæ id sine hæsitatione in praxim passim deducere.

Hinc (prosequitur n. 12.) interrogatus ab Illustrissimo Archiepiscopo Montis Regalis D. Joanne de Turrisiglia, an propter suam infirmam valetudinem, quâ stare diu pedibus tunc non posset, posset die Dominico Palmarum, & duobus seu tribus sequentibus licitè in suo Oratorio privato, recitare votivam de Passione Domini, quæ brevior est, quàm illæ currentes, in quibus legitur Passio Domini, putavi ejus devotionem rationabilem præbere causam, ut in dicto Oratorio privato sic celebraret. Multò magis quia votiva Passionis congruebat tempori. Hæc ille.

674. non tantùm in diebus permissis, sed etiam prohibitis. Ecce propter devotionem concedit Missam votivam, non tantùm in diebus permissis, sed etiam in prohibitis, ut ipse vocat; nam secundùm Gavantum suprà litt. A. (quem sequitur Tamburinus) prohibetur à fortiori Missa de Requiem in iis diebus in quibus de duplici fieri non potest: quamquam in primo triduo majoris Hebdomadæ hortatur nos constitutio Apostolica lib. 5. cap. 13. ad orandum

pro

pro iis, qui pereunt: quæ verba importare solent Sacrificium apud Sanctos Patres. Sed potest etiam fieri Sacrificium sine Missa de Requiem pro defunctis. Quâ ratione Ritus antiquus, & novus non discordant. Hæc ille.

Sanè videmus hodie multos illis tribus diebus, aut saltem duobus, in quibus legenda est Passio, sine ullo scrupulo celebrare Missam de Requiem, non tam devotionis causâ, quàm ut citiùs absolvant. Credo quòd sequantur sententiam Suarii, aut certè ritum antiquum strictè intellectum, cùm de novo non satis authenticè ipsis constet.

675. Quinta causa, impletio voluntatis testatorum.

Quinta causa: Sacra Rituum Congregatio tolerari posse censuit Missas de Requiem in Duplici Festo, quod non est de præcepto, ut testatorum voluntates adimpleantur 1. Septemb. 1607. & rursus 20. Junii 1626. Ita refert Gavantus suprà, illicò subjungens: Non ait ad arbitrium vivorum, quod bene nota; sed pro implenda lege defunctorum.

Tamburinus.

Quod Tamburinus suprà §. 2. n. 1. intelligit de ordinariis petitionibus vivorum; nam stabiles fundationes vivorum, propter paritatem rationis adnumerat dispositionibus mortuorum. Rectè si à paritate rationis in positivis valeat argumentum. Quæris quæ illa ratio? Dispositionibus mortuorum meritò magìs tribuit Sacra Congregatio, sive propter gratitudinem relicti legati, sive ad alliciendos animos ad similes dispositiones, inquit Tamburinus.

676. An sufficiat manuale stipendium?

Si ergo promisisti Testatori, vel ejus hæredibus celebrare Missas de Requiem; stabis promissioni, etiam in Festis Duplicibus, quæ non sunt de præcepto; quia nulla adest excusatio. Sin verò accepto stipendio manuali, promiseris votivam, vel pro defunctis, nihilominus poteris, imò secundùm aliquam sententiam, debebis in Festis Duplicibus & Dominicis diebus celebrare Missam currentem.

Ratio; quia omnis promissio intelligitur observanda sine legum præjudicio; non enim est aliud, quàm deliberata ac spontanea fidei obligatio facta alteri de re quapiam bona ac possibili: ergo secundùm sententiam, quæ existimat peccatum celebrare Missam illis diebus aliam à currente, nec poteris stare promissioni quæ non obligat ad peccatum, cùm sic esset obligatio, & non obligatio ad idem; nimirum obligatio celebrandi Missam votivam, vel de Requiem ex vi promissionis, & obligatio non celebrandi ex vi legis Ecclesiasticæ.

677. Rationes pro parte negativa.

Nec dubitandum de rationabilitate hujus legis, quia ex una parte propter Missas votivas, & peculiares devotiones petentium, non est populus à publicis Festis avocandus: & ex alia parte cùm Sacrificium sit ejusdem valoris, quæcumque tandem Missa recitetur, non defraudabitur suo fructu is, qui Missam dato stipendio expostulavit.

Adde, inquit Tamburinus sup. n. 3. quòd ille affectus conformitatis & obedientiæ ad sacras leges in Sacerdote, applicatus pro petente Missam, compensare ad superabundantiam potest fructum, quem per preces proprias votivæ Missæ, vel funebris lucrari fortè poterat petens. Rectè enim Sylvester apud Marchinum de Ord. Tract 3. p. 2. cap. 25. n. 7. ait nullam Missam esse defunctis salubriorem (addo & Sanctis, quibus gratificari per votivas intendimus gratiorem) quàm propriam diei currentis. Ita Tamb.

Sylvester. Marchinus.

Sed hoc ego difficulter possum credere; cæteroquin cur Ecclesia ordinasset Missas de Requiem? Cur instituisset Missas votivas de Sanctis? An fortè ut sic privarentur defuncti fructu aliquo Sacrificij, quem aliàs acciperent; & similiter Sanctis? Sed neque apud Silvestrum loco quem citat Marchinus, scilicet verbo *Missa*, 1. §. 4. hoc invenio.

678. In hac materia vitandum scandalum.

De cætero cavendum scandalum, quod facilè fieri poterit instruendo de rei veritate adstantes, si fortè adsint, qui scandalizarentur, quasi non servares promissum. Alioquin stabis promissis; hæc enim causa abundè sufficit, saltem pro diebus Ferialibus, Simplicibus, & Semiduplicibus; quidni etiam pro Dominicis & Duplicibus?

Estò enim sit scandalum tantùm pharisaïcum sive acceptum; equidem (salvo meliori) non videtur illa nuda convenientia Missæ, maximè privatæ, cum divino Officio, tanti momenti, ut aliquando propter hujusmodi scandalum nequeat omitti. Præsertim cùm Sacerdos possit se conformare sententiæ Suarii, sanè probabili, dicenti, nullum esse peccatum eas votivas recitare, & sic promissas votivas sine scrupulo celebrare non impedietis.

estò tantùm pharisaïcum.

679. Si accepisti notabiliter majus stipendium leges Missam petitam.

Id quod multò magìs facere potes, & fortasse debes, si ad celebrandâ talem Missam notabiliter majus stipendium acceptasti; tunc enim constat de mente petentis, qui hoc potuit velle juxta probabilem Suarii sententiam, adeoque acceptando quasi implicitè promisisti te huic opinioni probabili inhæsurum.

Alioquin qui offerunt ordinarium stipendium, censentur esse contenti Missâ currente, & ita ab omnibus practicatur, secluso semper scandalo. Nec puto scrupulizandum, etsi statum stipendium acceperis ad voluntates defunctorum aut vivorum adimplendas, nisi manifestè constet defunctum vel vivum voluisse obligare ad has determinatas Missas, de quo casu superiùs fuimus locuti.

Alioquì censetur petens contentus Missâ currente.

680. Quid si aliquis promiserit Missam votivam cum juramento?

Perinde autem est sive simpliciter promiseris, sive cum juramento, nam juramentum sequitur naturam promissionis. Unde sicuti promissio intelligitur, salvo ritu & Rubricis Ecclesiæ, ita etiam juramentum; & sicuti pro-

missio tantùm intelligitur de fructu Sacrificij (utpote qui principaliter & solus ordinariè à petentibus Missam intenditur) ita quoque juramentum; juxta Reg. juris 42. de Reg. juris in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.*

Reg. Juris 42. de Reg. Juris in 6.

Enim verò juramentum non additur promissioni, ut promissio accipiatur aliter, quàm per se accipi solet; sed ut eo modo intellecta, quo intelligi solet, non possit revocari; v. g. jurasti te ducturum in uxorem hanc puellam, intelligitur nisi fornicata fuerit, si promissio acceptata fuerit, si puella obligationem non condonaverit, si Deo placuerit, vel Superioribus, quorum interest &c.

Quod tamen intellige, nisi alia fuerit mens jurantis; ut si intendat tacitas illas conditiones excludere, vel nisi ideo juramentum petatur, ne promissio, quæ aliàs posset irritari, irritetur; ut quando promissioni metu extortæ additur juramentum; argumento cap. *Si verò* 8. de Jurejurando ibi: *Non est tutum, quemlibet contra iuramentum suum venire, nisi tale sit, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ.* Et cap. *Cùm contingat* 28. eodem ibi: *Mulieres ipsæ servare debent huiusmodi iuramenta, sine vi & dolo sponte præstita, cùm in alterius præiudicium non redundent, nec observata vergant in dispendium salutis æternæ.*

Cap. 8. de Jurejurando.

Cap. 28. eod.

681. Si ergo in casu nostro Sacerdos astipulans contractui jurat se Missas dispositas à Fundatore, tametsi aliæ à currentibus, dicturum, animo excludendi tacitas conditiones, quæ alioquin simplici promissioni, aut contractui inessent, indubiè obligatur legere illas Missas, quoties sine peccato potest, hoc est, in illis diebus, quibus à jure positivè conceditur illarum celebratio: immo in diebus permissis, & prohibitis juxta sententiam Suarii, in qua utique sententia, illa mutatio in Missis privatis nullum est peccatum.

Obligatur eam legere quando potest sine peccato, si ea fuerit illius intentio.

Dixi, *Quoties sine peccato potest*: quia juxta Regulam 58. de Regulis juris in 6. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum.* Unde cap. *Quanta* 18. de Jurejurando sic legitur: *Super quo* (juramento) *diligens indagator potuisset facilè intueri, quòd non tam erat absolutio necessaria, quàm interpretatio requirenda: quoniam cùm iuramentum fecisti, monetam aut falsam aut legitimam esse credebas. Si falsam, iuramentum fuisset illicitum, & nullatenus observandum, & pro eo esset tibi pœnitentia iniungenda: cùm iuramentum, non ut esset iniquitatis vinculum, fuerit institutum.*

Reg. 58. de Regul. Juris in 6.

Cap. 18. de Jurejurando.

682. Dices: fieri potest, ut licèt non sit peccatum legere Missam votivam; equidem magis conveniat legere currentem, ut patet in sententia Suarii, & etiam aliorum in diebus permissis, ut vocant: ergo saltem tunc juramentum non obligabit.

Objectio.

Responsio. Respondeo distinguendo Consequens: juramentum factum Deo non obligabit, Concedo totum; factum homini, de quo hactenus locuti sumus, Nego Consequentiam. Ratio disparitatis est; quia ut promissio facta homini obliget, sufficit quòd sit de re quapiam bona; ad obligationem autem voti, sive promissionis Deo factæ, requiritur ut sit de meliori bono.

Disparitas inter iuramentum factum Deo & factum homini.

Quod sic ostendo: quia voluntas Dei est sanctificatio nostra; unde quantùm est ex se cupit Deus ut faciat homo semper quod melius est: ergo non placet illi quòd homo obligetur ad faciendum id, quod est minus bonum. Licèt enim ad merendum, & ad aliquid faciendum ad gloriam Dei, satis sit facere opus bonum, tamen ad id obligari, non est ad gloriam Dei.

Probatur; quia simplex operatio sine obligatione, non tollit potestatem faciendi id, quod melius est, sed solùm includit voluntatem faciendi opus aliquod bonum sine exclusione voluntatis alterius operis melioris, quæ voluntas nullam habet malam circumstantiam: porrò obligatio ad faciendum illud opus, tollit potestatem faciendi melius, quod non placet Deo; adeoque Deus tale votum non acceptat, nisi in quantum homo non vult facere, quod melius est; nam melius est facere minus bonum, quàm cessare ab utroque, eo semper salvo, quòd actus inferior seu minus bonum, solùm pro eo tempore quo existit, impediat melius bonum; v. g. studium, orationem: secùs si actus inferior semel factus, relinquat personam ligatam moraliter, ne possit perfectiores actus exercere, sicuti Matrimonium impedit statum Religiosum. Hinc qui voviſſet Matrimonium, nullatenus obligaretur, nisi fortè in circumstantiis in quibus moraliter non posset, vel nollet servare castitatem.

683. *Deus non acceptat votum nisi de melioni bono.*

Jam autem in promissione homini factâ non attenditur ad id quod melius est; sed sola utilitas & commoditas promissarii, vel potiùs sola voluntas promissarii, supposito quòd res promissa sine peccato possit præstari. Unde si promisisti v. g. hunc determinatum equum, licèt fortè minùs utilem, aut commodum, si promissarius nolit magis utilem, aut commodum, teneris hunc minùs utilem dare.

In promissione non fit attentio ad id quod melius est.

Et sic impræsentiarùm licèt fortè Missa currens esset æquè aut magis utilis, quàm votiva; equidem si hanc promisisti homini, & potes illam legere sine peccato, teneris, si promissarius velit. Homo enim non semper debet velle quod melius est, vel sibi, vel promittenti; sed sufficit, si velit quod bonum est. Ponamus enim quòd homini diviti promiseris stipendium Missæ; quis dubitat fructum spiritualem Missæ magis ipsi utilem esse: equidem si nolit illum fructum, teneris solvere stipendium, quia ad hoc jus acquisivit, nec tenetur commutationem in melius admittere.

684. *Hinc dicendum quando teneor legare a Missam promissam etiam minùs utilem promittenti.*

Cùm

Cùm igitur homines sæpiùs apprehendant Missam votivam, vel de Requiem utiliorem ad finem, quem intendunt (quamvis fortè non sit) quàm aliam currentem; hinc quando absolutè illam petunt, etiam extraordinario stipendio oblato, & tu promittis, sta promissis, quoties potes sine peccato, ut suprà diximus; promissam enim volunt, non in æquivalente, sed in seipsa.

685. Quid si Sacerdos promiserit Missam de Beato nondum canonizato?

Hinc ad quæstionem; an Sacerdos, qui accepto stipendio extraordinario, promisit celebrare Missam votivam de Beato nondum solemniter canonizato, putans id sibi licere, teneatur eam celebrare? Respondeo, si reverà id sibi liceat, tenetur, aliàs non. Licet autem indubiè, si generaliter est concessa omnibus Sacerdotibus potestas celebrandi talem Missam; dubitatur verò an liceat omnibus, si Sacerdotibus certæ tantùm Religionis sit concessa.

Sententia Dianæ, non licere aliis à Privilegiatis illam Missam celebrare.

Existimat Diana part. 2. tract. 15. resol. 55. cum aliis, quos citat, id tunc minimè licere Sacerdotibus sæcularibus, aut alterius Religionis: & ita fuisse determinatum (inquit Diana) per Theologos Salmanticenses, testatus est mihi ex Prædicatorum familiâ vir doctissimus & amicissimus M. Dominicus de los Reys, Confessarius quondam Serenissimi Principis Philiberti.

686. Prima ejus probatio.

Et ratio est primò; quia Alexander III. in cap. 1. de Reliq. & Vener. Sanct. prohibuit aliquem colere cultu publico sine Apostolicæ Sedis facultate, ibi: *Illum ergo non præsumatis de cætero colere, cùm etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ venerari.* Sed talis facultas non videtur concessa omnibus Sacerdotibus, ex eo quòd certæ Religionis Sacerdotibus expressè concedatur; ergo &c.

Alex. III.

Probatur Minor; nam clarè apparet per facultatis formam subintellecta restrictio: & inclusio unius, ut loquuntur Doctores, est exclusio alterius ex auctoritate Leg. *Cùm prætor* 12. ff. de Judiciis ubi sic dicitur: *Cùm prætor unum ex pluribus iudicare vetat, cæteris id committere videtur.* Et Leg. *Maritus* 21. C. de Procuratoribus ibi: *Sin autem mandatum susceperit, licèt maritus sit, id solùm exequi debet, quod procuratio emissa præscripserit.*

l. 12. ff. de Judiciis.

l. 21. C. de Procur.

687. Secunda probatio.

Secundò in dictis Bullis Pontificiis pro dicenda Missa Beatorum, designantur à Pontifice dies & personæ; sed, ut respondit Sacra Congregatio, & Cardinalis Bellarminus teste Turriano, Missa non potest dici extra illum diem: ergo neque ab aliis personis, præter illas ibi assignatas.

Turrianus.

Tertia probatio.

Accedat; alioquin non fore differentiam inter Sanctos Canonizatos, præsertim non positos in Calendario Romano, & inter Beatificatos, si de his indifferenter Missa offerri, & consequenter cæteræ solemnitates fieri pro iisdem possint.

Nihilominus contraria sententia placuit Castro Palao tom. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 5. §. 5. n. 7. aliisque ab ipso citatis & consultis, quos sequitur Tamburinus suprà § 8. nu. 10. & antequam profero rationem, exscribo verba Castro Palao, quibus controversiam concludit, & sunt hæc quæ sequuntur: *Quapropter concludo posse Ecclesias Cathedrales, & Episcopos cum suis Clericis supradictos Beatificatos honorare Missâ Pontificiâ & officio votivo* (hoc est, ex devotione, non ex obligatione) *processioneq; solemni. Cui opinioni subscripserunt Salmanticæ anno 1625. cùm hic casus consultus fuit, Doctor Balboa* &c. Et numeratis circiter viginti Doctoribus, seu Magistris, qui se subscripserunt, addit: *Et ego minimus; aderam enim tunc Salmanticæ.*

688. Oppositam sententiam docet Castro Palao; *Tamburinus.*

Ecce duæ determinationes ejusdem Universitatis directè sibi oppositæ, quas tamen ita conciliat Tamburinus suprà n. 6. ut dicat; Patres Ordinis Prædicatorum non consensisse cum cæteris Salmanticensibus Magistris; atque adeò Magistrum Dominicum de los Reys ejusdem Ordinis potiùs significasse Dianæ placitum Prædicatorum, quàm Salmanticensium Doctorum resolutionem. Colligit, quia inter Theologos & Magistros Salmanticenses à Castro Palao citatos, adsunt ex familia Sancti Augustini, Bernardi &c. at magnum silentium de familia Prædicatorum.

689. & probatur ratione,

Quidquid sit de his resolutionibus, à quibus veritas rei non dependet; probatur sententia Castro Palao, quia cùm una Missa ejusdem sit valoris & dignitatis, ac aliæ quælibet; statim atque Pontifex declarat talem Beatum dignum esse unâ Missâ, quæ dicatur ab una determinata persona, declarat illum esse dignum omnibus cæteris Missis à quocumque celebrandis. Si igitur Beatus remanet sic dignus declaratus, non est unde quilibet Sacerdos impediatur illum per suas Missas venerari. Nec venerabitur sine Sedis Apostolicæ auctoritate; hæc enim jam intercedit per illam declarationem, quâ dignus Missâ declaratus est Beatus.

Quæ Missæ eadem est ratio alterius cultûs.

Quæ autem Missæ, eadem & potior est ratio aliorum cultuum; unde quilibet poterit ejus imaginem adorare, adorandam in altari constituere, publicis Processionibus circumferre, adde & ejus collectam seu commemorationem facere in Missa infra annum: hi namque cultus longè inferiores sunt Missâ, quare si hanc concedit Pontifex, concedit & illos.

690. Respondetur ad 1. rationem Dianæ.

Hanc sententiam sic explicatam & probatam libens amplector tamquam probabiliorem, & magis piam, ut eam vocat Castro Palaus suprà nu. 7. Et ad primam rationem Dianæ, Respondeo; per illam concessionem factam determinatis personis, v. g. Sacerdotibus Ordinis Fratrum Minorum, cum adjuncta particula, *Tantùm*; jam ablatam esse prohibitionem

Castro Palaus.

hibitionem cap. 1. de Reliq. & Vener. Sanct. pro omnibus. Pro quo

691. Ratio prohibitionis celebrandi Divina pro Beato sine auctoritate Pontificis.

Nota rationem hujus prohibitionis fuisse abusum aliquorum, qui pro Sancto colebant hominem in ebrietate occisum: sic enim inquit Pontifex: *Audivimus quòd quidam inter vos Diabolicâ fraude decepti hominem quemdam in potatione & ebrietate occisum, quasi Sanctum (more infidelium) venerantur, cùm vix pro talibus in ebrietatibus peremptis, Ecclesia permittat orare: dicit enim Apostolus: Ebriosi Regnum Dei non possidebunt. Illum ergo &c.*

Idcirco igitur Pontifex prohibet aliquem venerari pro Sancto absque sua auctoritate, ne exponamus nos periculo pro Sancto venerandi hominem malum, & damnatum. Quis autem non videat concessâ potestate aliquibus Sacerdotibus per Sedem Apostolicam celebrandi Missam de aliquo Beato, hoc ipso illud periculum cessare respectu omnium?

Auctoritas idem hic est quod declaratio.

Unde by *Auctoritate*, apud me idem est quod *Declaratione*, quasi diceret Alexander: Non licet aliquem pro Sancto venerari absque declaratione Sedis Apostolicæ, id est, absque eo quòd à Sede Apostolicâ declaretur Sanctus sive Beatus.

692. An hæc declaratio sit verum privilegium.

Non est igitur recurrendum ad naturam privilegii seu gratiæ: quamvis enim habitus fuerit aliquis respectus ad particularem Religionem in tollenda tali prohibitione, illâ tamen ablatâ, omnes Sacerdotes sine nova gratia remanent liberi ad venerandum Beatum Missâ & Officio, ab ipsis ex voluntaria devotione celebrandis.

Explico, Sacerdotibus istius particularis Religionis positivè & directè conceditur illud privilegium, adeò ut contra Rubricas operarentur, nisi in die Festo Beati, de ipso celebrarent; & similiter non satisfacerent obligationi legendi divinum Officium, nisi de ipso legerent: at verò aliis Sacerdotibus indirectè tantùm & permissivè id ipsum indulgetur, id est, possunt de ipso Missam celebrare, possunt legere Horas Canonicas, sed absque ulla obligatione: unde contra Rubricas operarentur juxta aliquorum sententiam, si absque alia rationabili causa omitterent Missam currentem; neque satisfacerent suæ obligationi recitando Horas Canonicas de tali Beato. Quòd autem ex devotione possint recitare, quis meritò potest negare?

693. Responsio ad 3. probationem Dianæ.

Ex quo etiam patet responsio ad tertiam probationem oppositæ sententiæ. Nam ut cæteras differentias taceam, de Beatificatis, juxta statim dicta, solùm permittitur aliis Sacerdotibus dici Missa ex vi ablationis prohibitionis, latæ in cap. 1. de Reliq. & Venerat. Sanct. At verò de Canonizatis, etiam nondum adscriptis in Calendario Romano, positivè idem conceditur ex vi Canonizationis publicè omnibus intimatæ.

Quare Sacerdos sæcularis, qui negligeret Canonizatis, etiam non adscriptis in Calendario, Missam celebrare, quando eis illa competit (v. g. in propria Ecclesia, quando de iis fit Festum) faceret contra Rubricas; secùs qui negligeret similem Missam celebrare in Festo & propria Ecclesia Beatificati: quoniam hujusmodi Beatis Missa hujusmodi sæcularium non debetur, sed solùm permissivè eisdem indulgetur.

694. Responsio ad 4. rationem.

Porrò ad secundam rationem Dianæ breviter dico, de illis responsionibus non constare nobis authenticè. Indubiè posset Pontifex sic indulgere celebrationem Missæ, & alios cultus aliquibus certis Religiosis, ut cæteris omnibus illa prohiberet; equidem feciſſe, haud satis clarè significat contextus Bullarum Pontificiarum.

Privilegium Pontificis est introductivum.

Cùm ergo beneficium Principis latè sit interpretandum, juxta legem 3. ff. de Const. Principum: *Beneficium Imperatoris, quod à divina scilicet eius indulgentia proficiscitur, quam plenissimè interpretari debemus*; quidni meritò hoc privilegium, quod proficiscitur à divina Pontificis indulgentia, nulli nocivum, & ipsi Deo ac Sanctis ejus honorificum, quid ni, inquam, sic meritò interpretemur, ut indirectè redundet in omnes Sacerdotes? Certè, ut ait Regula 57. de Reg. juris in 6. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda.*

Reg. 57. de Reg. Juris in 6.

Ex his quilibet facilè concludet, quid sit faciendum Sacerdoti sæculari, vel alterius Religionis, qui accepto extraordinario stipendio promisit legere Missam de tali Beatificato, nimirum posse, & debere stare promisso, sequendo nostram sententiam; non posse stare, si sequatur aliam, quæ certè probabilis est. Atque hæc de quinta causa ad superabundantiam.

695. Sexta causa celebrandi Missam inconvenientem Officio.

Sextam causam celebrandi Missam disconvenientem Officio, invenio apud Gavantum in Rub. part. 3. tit. 10. nu. 16. ubi sic ait: Non addit ille contra Rubricas, qui Officium recitans aliud, Missam deinde celebrat more Ecclesiæ in qua celebrat, ubi fortè dicitur *Credo*, vel *Gloria*, quæ non dicuntur extra eam; immo tenetur celebrare ibidem pro ratione Festi, juxta Regulam: *Cur fueris Roma &c.* alioquin esset aliis admirationi, si Festo non inserviret in propria Ecclesia pro qualitate Festi. Hæc ille.

Gavant. Festum conformans ea non Ecclesiæ qua celebratur.

Quid ergo si fortè deveneris ad Ecclesiam, in qua non servatur Ritus Romanus, v. g. ad Ecclesiam Prædicatorum, Carmelitarum, Carthusianorum, numquid poteris celebrare Missam de Sancto Dominico, aut aliam quamcumque ritu illarum Ecclesiarum? Minimè: nam illud privilegium de sequendo diverso ritu à Romano, solùm est pro Dominicanis, & non pro aliis.

Audia-

696. Audiamus Gavantum suprà: intellige, inquit, quæ dicimus de Missa pro omnibus approbatâ: nam Missæ certæ Regularibus concessæ tantùm, puta de Sanctis Ordinis eorum, aut aliis, quæ non habentur in Missali Romano, non possunt ab aliis dici, nec etiam in ipsorum, nec Regularium Ecclesiis ex Decreto Sacræ Rituum Congregationis 19. Novemb. 1622. neque à Capellanis sæcularibus propriis in Ecclesiis Monialium, quæ Romano non utuntur Breviario. Quo casu Missam quidem Capellani proprii recitabunt de Sancto, de quo Moniales Officium, sed cum Missali Romano, ut in proprio de Sanctis, vel de Communi.

quod intelligendum est de Missa pro omnibus approbata.

Decretum S. Congreg.

Aliud Decretum.

Eadem Sacra Congregatio Rituum ita decrevit die 20. Novembris 1628. si nulla est Missa in Missali Romano, quæ concordet cum Officio Monialium, puta de nomine Jesu, de Spinea corona, & similibus, eo casu Missam de Circumcisione Domini, seu Missam de Cruce vel Passione recitare poterunt, vel certè pro debita licentia adeant sacram eandem Congregationem. Hucusque Gavantus.

697. Quæ utique Decreta (salvo meliori) intelligenda autumo de illis Ecclesiis Monialium, in quibus Missa consuevit celebrari juxta Ritum Ecclesiæ Romanæ; aliàs si esset talis Ecclesia, quæ à Pio V. in sua Bulla excipitur, in qua videlicet solent observari alii Missæ ritus, idque sive ex prima institutione per Summum Pontificem factâ indè à ducentis annis, sive ex antiqua consuetudine per similes ducentos annos usurpatâ, nescio certè quare Capellanus Monialium, quando inibi celebrat, non possit uti Missali proprio illius Ecclesiæ.

Explicantur ab Auctore.

Immo non tantùm Capellanus; sed quilibet alius Sacerdos, sive sæcularis, sive Regularis, qui alioquin in sua propria Ecclesia obligatur ad Missale Romanum, cur ibi non poterit uti Missali proprio illius Ecclesiæ, juxta Regulam: *Cùm fueris Romæ* &c. & probabilissimam sententiam, peregrinum posse se accommodare legibus & consuetudinibus loci, per quem transit, si velit, licèt non teneatur? Vide disp. 4. sect. 2. concl. 3. ubi de consecratione in azymo, & fermentato.

Sacerdos peregrinus licitè utitur Missali illius Ecclesiæ in qua est.

Interim tamen regulariter Ecclesiæ Monialium non sunt tales, tametsi ipsæ Moniales alio utantur Breviario, quàm Romano, & Monachi ejusdem Ordinis, in earum Ecclesiis celebrantes, utantur alio Missali. Ratio; quia hujusmodi privilegium quod habent aliqui Ordines Religiosorum, ut Prædicatorum, Carmelitarum &c. utendi alio Breviario & Missali, estò habitent in Diœcesibus, quæ receperunt Breviarium, & Missale Romanum, personale est, non locale: quidquid in contrarium asserat Præpositus *Præpositus* q. 83. art. 4. d. 5. n. 190.

Quin immo si accidat Fratrem Minorem v. g. transire per Territorium diversi Ritus, v. g. Mediolanense, in quo servatur Ritus Ambrosianus, & facere Sacrum in Ecclesia sui Ordinis ibidem existente, in qua servatur Ritus Romanus, tunc talis Religiosus debet servare Ritum Romanum; quamvis in tota civitate alius Ritus observetur. Siquidem cùm in Ecclesia talis Ordinis servetur Missale Romanum, ipse verò sit membrum talis Ordinis, illi se debet conformare.

698. Quid de Fratre Minore transeunte per territorium in quo servantur diversi Ritus?

Sicut Græcus qui peregrinatur inter Latinos, si celebrat in Ecclesia, ubi Græcis permittitur Græcus Ritus, tenetur illi se conformare; quia tunc perinde se habet, ac si in propria Ecclesia versaretur; propterea enim hoc privilegium habendi ibi sua templa concessum censetur, ut quilibet suum illæsum custodiat Ritum.

Quod si contingat, inquit Thomas Tamburinus Method. expeditæ Communionis libro unico cap. 2. §. 9. n. 6. quòd Latinus celebrare velit in dictis templis Græcorum, non poterit nisi more Latino sacrificare: & similiter si contingat, quòd Græcus ibidem habitans, celebrare velit in templis Latinorum, more Græco celebrare oportebit. Ratio est; quia cùm ibi habeant sua templa, judicantur esse in sua Ecclesia, & per accidens est, quòd nunc sacrificent in templo alieno.

699. *Tamburinus.* Quid de Latino celebrante in Ecclesiis Græcorum?

Et quidem ita observari vidi in Oppido la Piana in Diœcesi Montis Regalis, ubi sunt sua templa pro Græcis, & sua pro Latinis. Nam quando accidit ut Latinus Missam celebret in templo Græcorum, & Græcus in templo Latinorum, suum ritum quisque custodit. Hucusque Tamburinus.

Quidni custodiret, cùm non sit peregrinus, sed incola illius Diœcesis, in qua uterque Ritus respectivè à suis observatur? Quo ergo jure Græcus observaret Ritus Latinorum, & è converso Latinus Ritus Græcorum?

Aliud fortè esset, si Græcus, qui tantùm ibi peregrinatur, vellet celebrare in templis Latinorum. Cur enim talis non posset se accommodare Ritibus Matricis Ecclesiæ? Siquidem quòd in illo templo liceat observare Ritum Ecclesiæ Romanæ, non est privilegium aliquod personale, sed jus quasi ipsius loci: cur ergo peregrinus non possit uti illo jure?

700. Et de Græco peregrinato in Ecclesia Latinorum?

Immo dicet aliquis; cur incola non possit? Licèt enim ex privilegio personali possit observare Ritum Græcorum, & fortasse debeat, quando celebrat in templo Græcorum; quia, ut dictum est, tunc quasi versatur in propria Ecclesia, ex quo probatur, quòd debeat uti illo privilegio, quando celebrat in templo Latinorum, & non possit uti jure istius Ecclesiæ?

An fortè quia Latinus non potest in Templo Græcorum celebrare Ritu Græcorum? Sanè disparitas est maxima; quia unum est privilegium personale, Græcis tantummodò concessum, aliud autem quasi jus commune, quasi inhærens ipsi loco.

701. PP. Prædicatores in aliis Ecclesiis utuntur Missali Romano,

Sic videmus quotidie Prædicatores, & alios Religiosos, qui in propriis Ecclesiis utuntur alio Missali, in Ecclesiis tamen ubi servatur Missale Romanum, passim illo uti, quando ibi celebrant; è converso autem Religiosi, & alii Sacerdotes sæculares, qui obligantur ad Missale Romanum, non solent in Ecclesiis Prædicatorum, & aliorum privilegiatorum, uti eorum Missali; quia illud privilegium est tantùm personale, ut suprà dixi contra Præpositum, non concessum utique locis, sed Ordini, id est, Religiosis talis, aut talis professionis.

non è converso alii Missali Prædicatorum in horum Ecclesiis.

Enimverò Ordo non determinat certum aliquem locum; sed significat certam normam seu modum vivendi, qui immediatè inhæret ipsis personis in quocunque loco fuerint. Porrò Diœcesis, v.g. Mediolanensis, principaliter importat quemdam districtum localem; ac proinde privilegium quod habet illa Ecclesia, sive Diœcesis observandi Ritum Ambrosianum, locale est, & per consequens eo uti possunt tam incolæ, quàm peregrini.

702. Quid ergo eis faciendum si velint ibi celebrare?

Petes; quid ergo faciet Sacerdos Romanus, si inveniatur in Ecclesia, v. g. Prædicatorum, vel Carmelitarum, velitque Sacrum facere, nec suppetat copia Missalis Romani?

Respondeo: si non adsit causa, abstineat à celebrando; quia hi ritus licèt accidentales, judicantur tamen alicujus momenti, atque adeò à suis respectivè custodiendi. Si adsit causa, pensetur gravitas ejus, & fac securè, quod tibi melius videbitur; v. g. incepisti Sacrum, & ulteriùs progressus advertis Missale esse Ordinis illius, nec posse desistere, aut aliud Missale petere sine adstantium scandalo, sive admiratione, perge quo cœpisti pede; nec scrupulosè te geras: nam quodcumque bonâ fide in illa turbatione feceris, coram Deo factum bene censebitur.

Possent quandoque uti illorum Missali,

ut si bonâ fide Missam inchoaverint.

Quod etiam observandum est, quando vel ante Missam, vel inceptâ Missâ prævidetur defectus alterius rei accidentalis, v. g. Crucis in medio Altaris, Campanulæ, vel tertij cerei &c.

Tamburinus.

Immo, inquit, Tamburinus de Sacrificio lib 2. cap. 5. §. 2. nu. 30. hæc est universalis doctrina in similibus perturbationibus, etiam in rebus gravissimis, atque adeò etiam in Missæ substantialibus, quam tradit ex Navarro & Sylvio Diana part. 2. tract. 14. resol. 70. in fine, loquens de Sacerdote, qui sumpto jam Corpore videt se consecrasse solam aquam; non peccaret, inquit, mortaliter, si inopinato casu perturbatus non susciperet, nec consecraret vinum. Quod ego facilè crediderim; quia quæ bonâ fide fiunt in illa perturbatione, non præsumuntur ita deliberatè facta, ut saltem ad mortale pertingant.

Diana.

Cæterùm ut ad Capellanum Monialium revertamur, censuit Sacra Congregatio, conformitatem Missæ cum Officio dicto à Monialibus, quarum est Ecclesia, præponderare conformitati Missæ cum Officio dicto à Capellano; siquidem indecens videtur, ut ubi principales uno modo Officia celebrant, alio celebraret accessorius Sacerdos, id est, ubi Moniales celebrant Officium Duplex, ibi Sacerdos celebraret Missam de Feria, vel de Simplici, aut Semiduplici; & ubi Moniales celebrant Officium de Sancto Benedicto, Capellanus cantaret Missam de Sancto Francisco.

703. Monialium Capellanus potest se conformare à Monialibus dicto Officio quoad missam.

Igitur seclusâ quâcumque aliâ causâ, potest Capellanus in omni sententia dicere Missam conformem Officio Monialium, cum Missali tamen Romano, ut dictum est; & ideo si promisit talem Missam celebrare, tenetur, quia absque peccato potest rem promissam præstare.

Restat quæstio de Missis defunctorum celebrandis in Altari privilegiato. Solet Pontifex alicui Altari concedere, ut si ibi die Lunæ v. g. cujuslibet mensis, vel septimanæ celebretur Missa pro defunctis, liberetur anima ab igne Purgatorii; putas si tali die incidat Festum de præcepto seu Festum Duplex, poterit ibi sine aliqua causa celebrari, sive ex devotione, sive ex promissione Missa defunctorum, sine qua non liberabitur anima?

704. An Missa defunctorum possit celebrari in Altari privilegiato occurente Festo de præcepto vel duplici?

Dico, *Sine qua non liberabitur anima*, quia aliquando hâc formâ conceditur hoc privilegium: *Qui in tali Altari celebraverit tali die pro anima defuncti, seu pro defunctis, animam extrahit à Purgatorio*; & tunc non est necesse ut dicatur Missa de Requiem, sed satis erit si dicatur currens, applicetur tamen pro defunctis non obstante declaratione Cardinalium in contrarium, de qua nobis non constat authenticè. Atque in hoc casu non habet locum proposita difficultas, ut patet.

Sin autem privilegium istud hisce verbis concessum fuerit: *Qui in tali Altari celebraverit Missam de defunctis, seu defunctorum, seu de Requiem, animam à purgatorio liberabit*, patet sanè quòd sine Missa de Requiem anima non liberabitur, & in hoc casu procedit dubitatio.

705. Negativa patuit.

Ad quam respondet Tamburinus suprà cap. 6. §. 6. n. 3. non posse celebrari Missam de Requiem, si in die Lunæ incidat Festum de præcepto, vel Duplex, adeòque illo die privilegium esse inutile. Citat Sacram Congregationem apud Gavantum in Rubr.

Rubr. Miss part. 1. tit. 5. n. 2. lit. A. §. *Sacra:* sed perperàm; quia non loquitur nisi de Festo, quod est præceptum.

sed obstat consuetudo quantùm ad Festa duplicia.

Et verò sic habet consuetudo, ut in illis Festis non celebretur Missa de Requiem; cæteroquin in aliis Duplicibus certum est quòd passim etiam timoratissimi celebrent Missam defunctorum, quantò magis hoc licitum erit in Feriis, Simplicibus, & Semiduplicibus?

Et estò Congregatio sic censuisset, non poterat Tamburinus respondere, sicuti passim respondet, quando declaratio ipsi non placet, de ea nobis non constare authenticè? Planè. Quare ergo non fecit? Existimo, quia erat ejusdem sententiæ, propter hanc utique rationem; quoniam privilegium semper intelligitur, salvo jure Rubricarum.

706. Vnde id esse licitum affirmat Auctor,

Respondeo; nisi aliquid obstet: hìc autem obstat rarior alioquin usus istius privilegii, utpote communiter determinatum ad unum diem, aut alterum in septimana vel mense; posset verò contingere, ut per medium aliquando annum vix semel aut iterùm privilegium haberet suum effectum, utpote in aliis diebus Lunæ occurrente Festo Duplici vel æquivalente, seu potiùs majore, ut in octava Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes &c. de quibus suprà egimus.

piè credens illam esse Pontificis voluntatem.

Credi ergo piè potest, Pontificem concedendo istud privilegium eâdem operâ voluisse indulgeri Missam de Requiem contra jus Rubricarum, saltem quando non est Festum de præcepto, quod dumtaxat excepit Congregatio apud Gavantum suprà, ubi sic ait hic Auctor: Dixi, quod non est de præcepto, quia etiam in Festo de præcepto, si cadat illud in diem assignatum pro Altari privilegiato, puta Feriam secundam, extra quam privilegium Altaris pro defunctis est nullum, non potest adhuc Missa dici de Requiem, uti decrevit eadem sacra Congregatio die 14. Aprilis 1627. Exceptio autem firmat regulam in contrarium.

707. Occurritur objectioni,

Et quamvis ibi Congregatio non loquatur nisi de Missis, quæ fiunt, ut voluntates Testatorum adimpleantur, quas Tamburinus admittit posse fieri in Altari privilegiato, imò in non privilegiato, utì etiam quæ fiunt præsente corpore insepulto; equidem nullibi Congregatio decrevit generaliter alias Missas non posse fieri in Altari privilegiato in Festo Duplici, quando non est de præcepto.

& probatur sententia Auctoris,

Profectò liberatio illa animæ, quæ non conjungitur alijs Missis, meritò plùs aliquid exigit; ad minus est ratio sufficiens, ut in diebus permissis fiat Missa de Requiem, & illam censentur velle etiam illi, qui tantum manuale stipendium & ordinarium offerunt, ut in tali Altari celebretur, cùm alia Missa currens non sit æqualis valoris extrinseci, & aliunde nisi id liceret, rarissimè ejusmodi Altare privilegiatum suo privilegio frueretur.

etiam intellecta de diebus prohibitis.

Quamquam autem non sit par ratio de diebus prohibitis, equidem, sicut mox dixi, tam extraordinarius effectus, quo carent Missæ currentes, ansam aliquam præbet piè interpretandi mentem Pontificis.

Atque ut non liceret tunc celebrare, si tamen fieret, anima liberaretur; quia ponitur totum id, quod Pontifex requirit ad ejusmodi liberationem.

Disputant hìc aliqui, an præceptum Superioris, vel Confessarii sit rationabilis causa, propter quam liceat celebrare Missam votivam, vel de Requiem in diebus prohibitis vel permissis. 708.

Præceptum Pontificis est causa sufficiens mutandi Missam;

Respondeo, vel Superior ille est Summus Pontifex, qui potest in Rubricis dispensare, vel alius inferior Pontifice, qui non potest dispensare. Si primum, quis prudenter dubitat num tale præceptum sit implicita dispensatio? Neque enim præsumitur legislator velle contraria præcipere aut præcipere iniquitatem; adeòque velle peccare, vel facere actum invalidum: argumento Leg. *Quidam* 57. ff. de Re judicata &c. ibi: *Certè qui Magistratum minor gerit: dicendum est iurisdictionem eius non improbari. Et si fortè ex consensu iudex minor datus sit scientibus his, qui in eum consentiebant; rectissimè dicitur valere sententiam. Proinde si minor Prætor, si Consul ius dixerit, sententiamvè protulerit, valebit. Princeps enim qui ei Magistratum dedit, omnia gerere decrevit.*

Lex 57. *De re judicata,*

Consimiliter ergo Pontifex, qui mihi præceptum dat celebrandi Missam votivam, vel de Requiem in Festo Duplici, omnia gerere decernit; decernere autem non potest, nisi quod bonum est; bonum verò esse non potest, nisi in Rubricis dispenset: ergo &c. Sin autem alius Superior præcipiat, qui non potest dispensare, propalàm est vel præceptum esse nullum, utpote de re illicita, vel intelligendum fore de Missa currente.

secùs alterius Superioris qui non potest dispensare in Rubricis,

709. Quid ergo si Confessarius imponat Missam votivam?

Hinc infero, inquit Tamburinus suprà c. 6. §. 5. n. 2. minùs rectè se gerere eos Confessarios, qui (nisi secuantur sententiam Suarii) Missam votivam, vel funebrem injungunt pro Pœnitentia sacramentali Sacerdotibus celebrándam in diebus illis sive prohibitis, sive solùm permissis; quia Confessarius non potest contra Rubricas quemlibet obligare, nec impedire melius bonum conformandi Officium cum Missa. Quare in hoc casu pœnitens meliùs currentem, quàm injunctam recitet ex mea sententia. Hæc ille.

Ex sententia Tamburini tenetur legere currentem;

Bene dicit: *Ex mea sententia*; nam ex sententia Suarii tenetur legere injunctam, quo-

ex sententia Suarii votivam;

niam potest id facere sine peccato, neque propriâ auctoritate, ut communior habet doctrina Theologorum, licet pœnitenti pœnitentiam injunctam commutare, in id quod melius est; sicuti subditus v. g. non potest propriâ auctoritate mutare præceptum Superioris, v. g. jejunium, in auditionem Missæ, quamvis hæc omnibus consideratis esset melior.

710. *Portel.* nisi propriâ auctoritate pœnitentiam injunctam mutet in meliorem:

Scio Portel verb. *Pœnitentia Sacramentalis* in addit. n. 6. tenere oppositum, scilicet pœnitentem propriâ auctoritate posse commutare pœnitentiam sibi injunctam in aliud opus cognitum evidenter melius, exemplo voti, quod propriâ auctoritate vovens potest commutare in melius, quam sententiam Diana part. 2. tract. 1. Miscel. resol. 53. in fine vocat probabilem; & secundùm illam, si evidenter melius est recitare currentem, posset pœnitens istam recitare, estò recitando injunctam nullatenus peccaret. Scio hoc, inquam, sed tamen etiam non ignoro, communiorem doctrinam esse probabiliorem, ut eam vocat Diana suprà.

quod fieri posse putant aliqui. *Diana* Oppositum est verius.

Neque est par ratio in voto & pœnitentia.

Et sanè simile voti in multis claudicat: unum (quia res non est hujus loci) sufficiet; nimirum, obligationem voti, tanta quanta est, respicere solum Deum, cui indubiè magìs placet, & per consequens qui magìs vult, quod melius invenitur, ut in hac eadem Conclusione diffusiùs ostendimus. Porrò obligatio Pœnitentiæ sacramentalis tota oritur ex voluntate quasi Superioris, petentis hanc rem, & non aliam: melior autem est obedientia, quàm victimæ.

Adverte etiam subinde fieri posse, ut ex speciali causa Confessarius injungat Missam votivam, vel de Requiem: quidni ergo tunc debeat pœnitens illam legere, cùm ipsæ Rubricæ concedant Missam votivam in diebus permissis, si adsit rationabilis causa? Immo Missam de Requiem sine alia rationabili causa?

711. Missæ injunctæ ab Episcopo in ordinatione secundùm Tambur. nequeunt dici in diebus prohibitis.

Cæterùm ut finem imponamus huic Conclusioni solitò prolixiori, ex jam dictis infert Tamburinus suprà nu. 3. Missas injunctas ab Episcopo in Ordinatione Sacerdotum, unam de Spiritu Sancto, alteram de Beatissima Virgine, tertiam de defunctis, non debere recitari ab illis novellis Presbyteris in diebus vetitis, sed in diebus c[illegible]essis, aut saltem permissis. Ratio (inquit) prioris dicti est; quia id præceptum (ut notat Gavantus in Rubricis part. 1. tit. 4. litt. O. §. *Neque putes*) intelligitur salvis Rubricis Missalis: Rubricis, inquam, prohibentibus; alioquin absonum esset celebratâ primâ Missâ in Natali Domini v. g. recitare prædictas votivas, & de Requiem in tribus sequentibus Festis.

Ratio posterioris est; quia cùm hæc præscriptio ortum habuerit à Summo Pontifice, cujus jussu ordinatum fuit Pontificale, potuit Pontifex pro hoc casu abrogare illas Rubricas permissivas de constanti conformatione Officii cum Missâ. Et potuisset etiam abrogare illas Rubricas prohibentes, sed nos ex inconvenienti, quod indè sequeretur, quòd nimirum deberent aliquando dici Missæ votivæ & funebres in diebus solemnibus, colligimus prohibentes non fuisse abrogatas, fuisse autem permissivas; quia tunc sine inconvenienti Missæ illæ ab Episcopo injunctæ recitari possunt. Hactenus Tamburinus.

712. Sed videtur male intelligi ordinationem Bonifacius.

Qui videtur allucinatùs, & perperàm intellexisse ordinationem illam Pontificalis, quasi Neomysta celebratâ primâ Missâ, in tribus immediatè subsequentibus diebus deberet dicere illas tres Missas votivas, quod non credo ab ullo in praxi observari, estò sequantur dies concessi, sive permissi; neque ex verbis Pontificalis id colligitur, quæ sic sonant: *Ad Presbyteratum verò ordinati, post primam vestram Missam, tres alias Missas, videlicet unam de Spiritu Sancto, aliam de Beata Maria semper Virgine, tertiam pro Fidelibus defunctis dicite, & omnipotentem Deum etiam pro me orate.*

Vera ejus interpretatio.

In quibus verbis, præterquam quòd non satis clarè contineatur præceptum, unde id aliqui negant, & meritò; quis enim dixerit ordinatos ad Presbyteratum strictè & specialiter obligari ad orandum pro Episcopo? Ut, inquam, illud omittam; quis non potest commodè hæc verba sic interpretari: *Post primam vestram Missam tres alias Missas tempore opportuno dicite?*

Et quamvis incongruum sit illas Missas dicere in Festis solemnioribus, aut alijs minùs solemnibus, quæ sunt de præcepto, & ideo non fuerit mens Pontificis abrogare Rubricas illas prohibentes quoad ista Festa; quod quæso inconveniens est, ut illæ Missæ, sic specialiter injunctæ ex voluntate Pontificis, dicantur in Festis Duplicibus non præceptis? Nullum prorsus.

713

Plura de Missis votivis, & de Requiem disputari possent; sed timeo ne festino Lectori, etiam hactenus disputata adhuc nimis prolixa videantur; ideo ad alia transeo: eo semper salvo, quòd nullatenus coincidant, omittere, vel addere aliquid eorum, quæ dicenda sunt in Missa, vel non dicenda; & celebrare Missam alterius diei, etsi in illa plus vel minus dicatur, quàm in Missa currente. Hinc tametsi semper foret aliquod peccatum addere vel omittere, equidem aliquando licitè celebras Missam non currentem, imò obligaris celebrare, ut patet ex jam dictis.

Et verò de omissione, quando sit peccatum mortale, & quando tantùm veniale, satis superque actum. De additione autem dico:

CON-

CONCLUSIO XXXV.

Sacerdos recitans *Gloria*, &, *Credo*, quando non sunt recitanda, aut aliquam commemorationem, ad summum peccat venialiter. Similiter qui ut privata persona ex peculiari devotione, dum secretè orat, addit Pater noster, vel Psalmum Miserere, aut quid simile. Idem sit judicium de illo, qui in Canone nominat suum Generalem & aliis nominibus Sanctorum addit nomen sui Patroni, vel Patroni loci.

714. Dicere *Gloria*, vel *Credo*, cùm non est dicendum, est levè peccatum,

RAtio est parvitas materiæ. Sanè si absque gravi peccato omittuntur *Gloria*, & *Credo*, quando recitanda sunt, quidni etiam sine mortali peccato addantur, quando non sunt recitanda? Quamvis enim, ut conclus. 33. dictum est, gravius sit peccatum addere, quàm omittere; non sic tamen ut additio sit peccatum mortale in eadem materia, in qua omissio est peccatum veniale, sed sufficit quòd sit majus peccatum veniale.

ob levitatem materiæ.

Itaque cùm recitatio Cantici Angelorum, & Symboli Apostolorum ab Ecclesia in pluribus Missis usurpetur, & in multis omittatur, videtur nobis levis materia tam respectu additionis, quàm omissionis. Et eadem est ratio alicujus commemorationis; nam sæpè plures, subinde pauciores in Rubricis præscribuntur, & ideo exigua est inordinatio contra præscriptum Rubricarum, vel plures recitare, vel pauciores, dummodò saltem una recitetur, & communis numerus non notabiliter excedatur.

715. Eadem est ratio de orationibus à celebrante fabricatis,

Porrò de aliis orationibus, quæ non sunt in usu Ecclesiæ (sive simpliciter, ut si quis recitet orationes à seipso fabricatas, aut saltem quibus non solet uti Ecclesia in Sacrificio Missæ, ut Oratio Dominica, quæ secretò recitatur, vel Psalmus Davidicus) quamquam sit major ratio dubitandi; tamen non video quare etiam in illis non possit & debeat admitti parvitas materiæ; præsertim quando adduntur tantùm ex aliqua particulari devotione, minimè tamquam partes Officii Missæ. Sic enim non directè peccatur contra Bullam Pii V. in qua Pontifex solùm præcipit, ut nemo quidquam addere præsumat, ad quod requiritur malitiosa intentio.

si non addantur ut partes Sacrificii,

Interim (ut advertit Dicastillo disp. 4. n. 268.) stultissimum peccatum erit; nam cùm oratio ad hunc finem ordinari debeat, ut Deus colatur, & impetretur ab illo quod petitur, stultissimum est adhibere ad id medium, quod non ad cultum, sed ad culpam, non ad placendum, sed ad displicendum, non ad impetrandum & merendum beneficium, sed ad supplicium potiùs & pœnam, tamquam culpa, licèt venialis, deservit; immo si publicè talis oratio adhibeatur, poterit esse mortale aliquando ob scandalum. Quod judicio prudentis discernendum est. Ita ille. *Dicastillo.*

vel publicè adhibeatur cum scandalo?

Equidem puto eos qui id faciunt rarò advertere malitiam, etiam venialem, & qui vident viros alioquin probos & devotos, id practicantes, rarò scandalizantur, immo communes homines bene subinde ædificantur, multùmque illas particulares devotiones ponderant, quoniam nesciunt Rubricas. 716. quod rarò intervenit,

ut probat factum S. Xaverii,

Profectò hanc particularem devotionem legimus practicasse Sanctum Xaverium Indiarum Apostolum, addebat enim (ut habet Lucena in ejus vita lib. 1. c. 5.) ante Communionem orationem à se latinè compositam pro conversione Indorum sequentis tenoris: *Æterne Deus omnium rerum Creator, memento Infidelium animas te solùm creasse, quas ad imaginem & similitudinem tuam fecisti. Ecce Domine in opprobrium tuum eis ipsis implentur inferni. Memento Domine Iesu Christi Fily tui, qui sanguinem suum tam liberaliter effundens, pro illis passus est. Ne permittas Domine eumdem Filium tuum Dominum nostrum à Paganis ampliùs contemni, sed precibus Sanctorum electorum tuorum, & Ecclesiæ Beatissimæ eiusdem Filii tui Sponsæ placatus, recordare misericordiæ tuæ, & oblitus idolatriæ, & infidelitatis eorum, fac ut ipsi quoque agnoscant, quem misisti Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, qui est Salus, Vita, & Resurrectio nostra, per quem salvati & liberati sumus, cui sit gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.*

717. Quod nequit excusari eò quòd præcesserit Conc. Trident,

Ita orabat S. Xaverius, quoties offerebat incruentum Missæ Sacrificium. Numquid stultissimè? Absit à nobis hæc cogitatio. An fortè excusandus venit, quia id fecerit ante Concilium Tridentinum, & Pium V.? Certè nullo unquam tempore licuit unicuique pro libitu recedere ab ordine Missæ in Ecclesia recepto. Alioquin tremendum hoc Mysterium, omni Religionis cultu ac veneratione dignissimum, infinitis fuisset expositum superstitionibus, & quod in Ecclesia Dei esse debuisset tamquam castrorum acies ordinata, confusissimum chaos extitisset.

718. nam ante Conc. illicitum erat addere pri-

Lege Decretum Tridentini de observandis & evitandis in Celebratione Missæ sess. 22. & scriptum invenies: *Cùm igitur multa iam sive temporum vitio, sive hominum incuriâ & improbi-*

varas orationes,

tate irrepsisse videantur, quæ à tanti Sacrificii dignitate aliena sunt, ut ei debitus honor & cultus ad Dei gloriam, & fidelis populi ædificationem restituatur, decernit Sancta Synodus, ut Ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere, atque è medio tollere sedulò curent, ac teneantur, quæ vel avaritia, idolorum servitus, vel irreverentia, quæ ab impietate vix seiuncta esse potest, vel superstitio veræ pietatis falsa imitatrix induxit. Inter hæc autem postremo loco enumerat, *Ritus alios aut alias cæremonias & preces..... præter eas, quæ ab Ecclesia approbatæ, ac frequenti & laudabili usu receptæ fuerunt.* Ergo ante Concilium Tridentinum illicitum erat aliis precibus uti.

719. ut patet ex Conc. Cartha. III.

Quare miramur? In Concilio Carthaginensi III. Provinciali, convocato anno 397. confirmato autem in sexta Synodo Generali in Trullo celebrata anno 680. decernitur cap. 23. *Vt nemo in precibus vel Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet. Et cùm ad altare astiterit, semper ad Patrem dirigatur oratio. Et quascumque sibi preces aliquis describit, non eis utatur, nisi prius eas cum institutionibus fratribus contulerit.*

& Milevitano II.

Et in Concilio Milevitano II. quod habitum fuit sub Innocentio I. anno 416. ab eoque confirmatum, statuitur cap. 12. *Vt preces vel orationes, seu Missæ quæ probatæ fuerint in Concilio, sive Præfationes seu commendationes, seu manus impositiones, ab omnibus celebrentur. Nec aliæ omnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ à prudentioribus tractatæ vel comprobatæ in Synodo fuerint, ne fortè aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus studium sit compositum.*

720. Variæ excusationes illius facti.

Tamburinus.

Quâ ergo auctoritate Sanctus Xaverius illam orationem composuit, & publicè, aut saltem privatim in Missa recitavit? Respondet Tamburinus suprà cap. 5. §. 3. n. 3. fortasse id obtinuit à Sancta Sede. Quid si ipse, utpote Summi Pontificis in his Regionibus Legatus, sibi id indulsit? Quid si Sanctus vir divinâ inspiratione id fecerit? Ita interrogat Tamburinus.

Addere potuisset: quid si fecerit per ignorantiam invincibilem, putans ex ardenti zelo animarum sibi licere, quod à parte rei non licebat? Sic enim non rarò experimur, viros, alioquin Sanctos, & Deum timentes, &, ut sic loquar, nimiùm amantes, facilè sibi persuadere aliquid esse licitum, quod si oculatiùs introspexissent, non dubitassent esse illicitum.

Eadem est ratio orationis vocalis & mentalis.

Enimverò quid interest vocalem addam orationem, an mentalem? Et tamen cùm Ecclesia tantùm præscripserit triplicem orationem mentalem in Missa, scilicet in primo Memento pro vivis, in secundo pro defunctis, ac denique post sumptionem Corporis, ubi in Canone, seu Ordinario Missæ dicitur in Rubrica illius: *Quiescit aliquantulum in meditatione Sanctissimi Sacramenti:* nuper in nostro Conventu, unus ex Sacerdotibus nimiùm devotus, quartam orationem mentalem addidit ante sumptionem cum Corpore Christi in manibus, quod etiam de alijs testatur Dicastillo suprà n. 269. Putas autem quòd id facerent, si apprehenderent se peccare, vel saltem venialiter? Non est credibile.

Regula in Canone pro nomine Episcopi ponenda omnino est Fratri, quod verò secundum alios.

Declaratio Cardinal. Dian.

Quantùm ad tertiam partem Conclusionis, 721. sunt qui existiment, Sacerdotem Regularem peccare mortaliter, si in Canone Missæ pro nomine Episcopi, ponat nomen Generalis suæ Religionis. Ita Diana part. 2. tract. 14. resol. 40. fundans se in Declaratione Cardinalium, quam refert sub his verbis: *Cùm Cæsar Episcopus Novariensis in Hispanijs Nuntius Apostolicus esset, fuit coram eo dubitatum, an Religiosi peccarent mortaliter in Canone Missæ commemorationem facientes pro Episcopo loci, in cuius locum ponebant Superiorem Ordinis? Consulta ab ipso Nuntio Sanctæ Sedes Apostolica respondit eos mortaliter peccare, cùm sit ad unguem Missale observandum, nec in Collectis Missæ posse aliquid addi sub eadem pœna præter orationem solitam pro Rege & eius prole, & exercitu.*

722. Objectio.

Sed quæ utilitas inquis, in tot tantisque peccatis mortalibus? Res in se parva est, ut patet. Ratio autem præcipiendi, quæ, & qualis ut constituat rem formaliter magnam, si non fiat ad mutandum ritum, vel ex contemptu Episcopi?

Responsio.

Audio respondentem, ratio est, fructus Sacrificij, quem illi majorem percipiunt, pro quibus in speciali oratur, & quo privatur Episcopus contra jus quod habet ex ordinatione Ecclesiæ. Atque ut fructus, qui correspondet speciali illi orationi unius aut alterius Missæ parvus esset, quidni magnus sit, qui provenit ex tot centenis & millenis Missis, quæ celebrantur à Sacerdotibus Regularibus? Hæc diligenter expende. Nam quod attinet ad declarationem Cardinalium, de illa nobis non constat authenticè, & ideo parùm curanda.

An autem hæc declaratio coincidat cum illo decreto Sacræ Rituum congregationis 12 Novembris 1615. quod citat Gavantus in Rubric. part. 2. tit. 8. n. 2. in fine, nescio, neque curo; quia etiam de hoc nobis non constat authenticè, ut omittam quòd non explicet peccatum mortale, ut colligitur ex forma verborum, sub qua à Gavanto refertur, videlicet: *Caveant Regulares ne in Canone nominent Superiores suos, ut Antistites.* Sed neque hic Auctor ullo verbo significat sic nominare suos Superiores esse peccatum mortale.

Decretum à Congr. Gavantus.

Cæterùm licèt admitteremus omissionem 723. nominis Episcopi loci, in quo celebratur (de illo enim intelligitur Rubrica ista, & non de Episcopo ipsius celebrantis) esse peccatum mortale; nùm ideo etiam additio nominis Generalis, sive Superioris Religionis? Minimè; quia res tam materialiter, quàm formaliter parva,

Ubi omittitur nomen Episcopi, non peccatur.

non ideo additio nominis Prælati,

parva, & de illa additione loquitur nostra Conclusio.

Si dixeris cum Cardinalibus suprà, Missale ad unguem esse observandum. Respondeo; planè, sed quòd ideo vel ad latum unguem ab illo recedere, semper sit peccatum mortale, hoc est quod constantissimè negamus, nec ullus Cardinalium credo unquam probavit, aut probare poterit.

724. aut alicujus Sancti.

Et idem assero de additione nominis alicujus Sancti; sicuti enim superiùs diximus, non esse mortale, unum aut alterum nomen omittere, ita non video quare unum aut alterum addere, foret peccatum mortale. Interim per se illicitum est, & tantò magis, quantò pars illa Missæ reliquis dignior est, semper tamen intrà latitudinem peccati venialis.

Hinc licèt jam consuetudine introductum sit, ut in confessione generali, quæ dicitur in initio Missæ, Regulares nominent suum Sanctum Patriarcham, v. g. Franciscum, Dominicum &c. equidem in Canone nemo id hactenus, saltem quod scitur, attentavit.

Ex his facilè erit judicare de alijs similibus additionibus sive verborum, sive ceremoniarum & instrumentorum, quæ ex præscripto Ecclesiæ in celebratione Missæ non solent adhiberi: par enim est omnium ratio, attentâ gravitate & levitate.

Nunquid etiam par ratio interruptionis Missæ? Maximè; & quidem

CONCLUSIO XXXVI.

Peccat mortaliter qui sine gravissima causa interrumpit Sacrificium Missæ quoad partes essentiales, id est, Consecrationem Corporis, & Sanguinis, imò & sumptionem, estò tantùm sit pars integralis.

725. Qui peractâ consecratione Corporis certò cognoscit se non esse Sacerdotem, tenetur sacrificium interrumpere.

DE hac Conclusione diffusè egimus disputatione præcedenti sect. 4. concluſ. 11. per totam. Tantùm hìc addo unum aut aliud verbum. Si contingeret quempiam consecratione Corporis peractâ, certò cognoscere se non esse Sacerdotem, non solùm non posse, sed etiàm tenetur inceptum Sacrificium interrumpere; si vera interruptio est, ubi nullum Sacrificium, vel saltem partialiter, est oblatum, aut offerri potest. Quidni ergo abstineret à consecratione Sanguinis, quam certò novit fore invalidam?

Certò, inquam; nam in loco & re tam gravi, inquit Tamburinus lib. 2. cap. 7. §. 1. n. 2. nec scrupulus, nec dubium te commovere debet; quare ni certus omnino sis, depone dubium; hoc est, tibi persuade (quandoquidem non es certus) pergere posse, & pergito.

Tamburinus, Fagundez.

Consilium bonum (quod etiam invenies apud Fagundez de 1. Præcep. Eccles. lib. 3. cap. 28. n. 19.) sed casus est metaphysicus, quo præcisè inter consecrationem unius, & alterius speciei, certitudo, vel dubitatio incideret. Facilius contingere posset tempore, quod intercedit inter consecrationem, & sumptionem; quamquam & istud numquam fuerit visum, vel auditum.

In dubio posset pergere.

726. An certus possit pergere ad evitandum scandalum?

Interim tamen si fors contingeret aliquem tunc reddi certum, se non esse Sacerdotem, quæro, an ad evitandum scandalum, quod suppono indubiè secuturum, si recedat, idque gravissimum, puta, quia sunt præsentes Hæretici, quæro, inquam, an possit talis putatitius Sacerdos, cùm non sit ampliùs periculum invalidæ consecrationis, sumere panem & vinum invalidè consecrata, cæteraque more solito perficere, eâ intentione, quâ illi, qui faciunt Missam siccam, ut loquuntur?

Profectò non video quid possit obstare, præter periculum materialis idololatriæ. Nam illo secluso, fortè etiam posset simulare consecrationem ipsam, id est, proferre verba sine intentione consecrandi. Jam autem quia illud ordinariè subest, ideo statim Sacrificium esset interrumpendum, non obstante scandalo, quod indè posset oriri.

Sicuti propter idem periculum non licet peccatori occulto porrigere Hostiã non consecratam loco consecratæ.

Rom. 3. cap. 3. de Reg. Iuris

Probatur; quia non sunt facienda mala ut eveniant bona; teste Apostolo Rom. 3. v. 8. ubi sic inquit: *Et non (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala ut veniant bona, quorum damnatio iusta est.* Atque in his circumstantijs obtinet Regula juris: *Vtilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.* De Reg. juris cap. 3. *Qui scandalizaverit.* Vide dicta disp. 1. sect. 7. concluſ. 14.

727. An liceat Missam essentialiter interrumpere ex metu mortis?

Alium casum metaphysicum propono, & quæro: An sicuti Sacerdos, qui bonâ fide Missam incepit, si hostes, Hæretici v. g. ingruant ad occidendum ipsum in altari, potest hostiam consecratam statim sumere, vel secum auferre, si ad consecrandum calicem sine evidenti mortis periculo progredi non possit, an, inquam, pari ratione ex metu mortis, qui incutitur non in contemptum, sed in alium finem, v. g. ad infirmum communicandum, possit incipere Missam cum animo sic interrumpendi?

An liceat habere intentionem sic interrumpendi?

Tamburinus suprà n. 5. negat: assignat autem disparitatem; quia in secundo casu directè intenditur Sacrificium imperfectum, quod, quia est contra Christi præceptum, numquam licet: at in primo casu Sacerdos non intendit mutilare Sacrificium directè & ex proposito, sed permittit ejus imperfectionem, seu omittit

illud

Negat Tamburinus.

illud perficere in eo casu, in quo Christi affirmativum præceptum de integrando Sacrificio non obligat. Debet igitur Sacerdos semper habere propositum perficiendi, estò per accidens, urgente gravissimo periculo, non perficiat. Ita ille.

728. Sed petit principium.

Sed petit principium; hoc enim est quod quæritur, an semper Sacerdos debeat habere tale propositum; & quod non debeat, videtur probari ad hominem, quia, ut ipse ait, in eo casu Christi affirmativum præceptum de integrando Sacrificio non obligat. In eo, inquam casu, id est, quando metus mortis incutitur, & non in contemptum; si tunc non obligat præceptum, quare non possum mutilationem illam Sacrificij à principio Missæ directè intendere?

Si dixeris, non loquitur de omni tali casu, sed quando Missa jam inceptâ hujusmodi metus supervenit. Rectè; sed unde probatur, quòd potiùs in hoc casu, quàm in alio? Vel ergo illud præceptum Christi affirmativum simpliciter obligat cum periculo vitæ, vel non: si primum, in neutro casu licet interrumpere; sin autem posterius elegeris, licet in utroque.

729. Non omnia præcepta divina obligant cum vitæ periculo: 1. *Machab.* 2

Et verò quis nesciat non omnia præcepta Divina, maximè affirmativa, obligare cum periculo vitæ? Sanctificatio Sabbati nonne præceptum Divinum? Sed quid dicit Scriptura 1. Machab. 2. v. 38. & sequentibus: *Et intulerunt illis bellum Sabbathis; & mortui sunt ipsi & uxores eorum, & pecora eorum usque ad mille animas hominum. Et cognovit Mathathias & amici eius, & luctum habuerunt super eos valde. Et dixit vir proximo suo, si omnes fecerimus, sicut Fratres nostri fecerunt &c. nunc citiùs disperdent nos à terra. Et cogitaverunt in die illa dicentes: Omnis homo quicumque venerit ad nos in bello die Sabbathorum, pugnemus adversus eos &c.*

quale est præceptum de sanctificando sabbatho,

Legem itaque Divinam de sanctificando Sabbato interpretati sunt Machabæi non obligare cum periculo vitæ, nec de tali interpretatione Scriptura ullibi ipsos reprehendit. Quidni similiter interpretari possimus Christi præceptum affirmativum de integrando Sacrificio? Non dubito, quamquam rarissimè contingere possit, ut talis metus ab extrinseco incutiatur, & non in contemptum.

aut integrando Sacrificio;

730. de quo semper fuit sollicita Ecclesia.

Cæterùm Ecclesia semper maximè sollicita fuit pro Sacrificij integritate quoad partes essentiales, adeò ut factâ consecratione, sive unius sive utriusque speciei, si accidat Sacerdotem vel mori, vel ita infirmari, ut Sacrificium inceptum non possit perficere, velit Missam per alium Sacerdotem expleri, etiam per non jejunum in casu necessitatis, de quo alibi egimus.

An possit, Sacrificium in casu necessitatis ex-

Imò putat Tamburinus suprà cap. 8. §. 1. num. 10. (quidquid alii contradicant) etiam nullo instante scandalo, excommunicatum, suspensum, irregularem, si alius aptus Sacerdos non adsit, cum debita cordis contritione, posse Sacrificium explere.

pleri per excommunicatum. Tamburinus

Ratio ipsius est; quia Sacrificium relinqui imperfectum quoad essentialia fuit semper existimata res gravissima, cui omnibus modis sit succurrendum, tantusque rigor fundatur in eo, quòd præceptum de integritate Sacrificii putatur esse divinum à Christo Domino latum, cui Sponsa Ecclesia per censuras non videtur derogare voluisse, immo nec potuisse.

Ratio ipsius estensis.

Confirmatur primò; quia omnes cum S. Thoma 3. part. q. 83. art. 6. ad 2. concedunt, Sacerdotem, si post consecrationem recordetur se esse excommunicatum, suspensum, vel irregularem, debere Missam absolvere; idque propter perfectionem Sacrificii, etiam præscindendo ab omni alia causa; at idem prorsus est in nostro casu.

731. Prima confirmatio. D. Thomas,

Confirmatur II. quia non est novum in Ecclesia, ut Sacerdos per prædictas censuras à ministerio Sacramentorum excluso, ad illud in necessitatibus admittatur. Sic Sacerdos excommunicatus vitandus, immo irregularis, immo degradatus, quamvis privetur ab Ecclesia jurisdictione, tamen potest ministrare Sacramentum Pœnitentiæ existenti in articulo mortis, quando alius idoneus Sacerdos non adest. Sic in simili necessitate, potest Baptismum conferre, sic item in simili Eucharistiam infirmo porrigere. Si ergo ab his non excluditur excommunicatus, quia non est credibile Ecclesiam velle in tanta Fidelium necessitate prohibere Sacerdotem, ita nec excludetur in tanta necessitate divini cultûs in casu integrandi Sacrificii. Hactenus Tamburinus.

Secunda confirmatio.

Utique satis probabiliter; nisi quòd falsum sit, Ecclesiam hoc non potuisse prohiberè per censuras; maximè cùm non desint, qui doceant illam integritatem solùm esse juris Ecclesiastici. Et sanè D. Thomas loco citato ad primum nullo modo indicat esse juris divini, estò Tamburinus ipsum adferat pro se, immo potiùs contrarium; nam objectio supponit esse statutum Ecclesiæ ibi: *Ergo videtur quòd non possit impleri statutum Ecclesiæ, quo præcipitur quòd Sacerdos consecrans suo Sacrificio communicet.*

732. Tamburinus adducit in sui favorem.

D. Thomas.

Quin in responsione ut probet Sacrificium per alium esse supplendum, adfert Doctor Angelicus Decretum Concilii Toletani VII. c. 2. (& refertur 7. q. 1. can. *Nihil* 16.) sequentis tenoris: *Censuimus convenire, ut cum à Sacerdotibus Missarum tempore sancta Mysteria consecrantur, si ægritudine acciderit quilibet eventus, quo cœptum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum Episcopo vel Presbytero alteri consecrationem exequi officii cœpti. Non enim aliud ad supplementum initiatis mysteriis competit, quàm aut incipientis, aut subsequentis completa benedictio Sacerdotis: quia nec perfecta videri possunt, nisi perfectionis ordine compleantur. Cum enim simus omnes*

Conc. Tol. VII.

unum

unum in Christo, nihil contrarium personarum diversitas format: ubi efficaciam prosperitatis unitas fidei repræsentat ..... Ne tamen quod naturæ languoris causâ consulitur, in præsumptionis perniciem convertatur.... nullus absque proventu patentis molestiæ minister vel Sacerdos, cùm cœperit, imperfecta officia præsumat omnino relinquere. Si quis hæc temerariè præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit. Hucusque Concilium, & D. Thomas.

733. Explicatur Decretum Conc. Toler. VII. Soto.

In quibus profectò verbis nullum reperio, quod sonat præceptum divinum. Quid si dicerem cum Soto 4. dist. 13. q. 2. art. 6. quantùm ad tenorem attinet illius Concilii, nullam esse obligationem supplendi istum defectum? Quia (inquit Sotus) Concilium non ait, nisi quòd sit liberum alteri consecrationem exequi.

Suarez.

Scio Suarium disp. 85. sect. 1. circa finem, illam vocem: *Liberum sit*, sic explicare, ut idem significet, quod, hoc esse in facultate & potestate Sacerdotis, secùs alterius Clerici, vel Laici. Quapropter (inquit ille) si Sacerdos non adsit, non oportebit Sacramentum ab alio consumi, sed reverenter servandum erit; vel si adsit, qui illud reverenter sumere possit, id fieri licebit non ad complendum Sacrificium, sed ad reverenter tractandum Sacramentum. Ratio; quia solus Sacerdos potest cum alio veluti unus minister reputari, utpote qui solus est minister Sacrificii.

734. ut non sit obligatio explendi Sacrificium inceptum per alium Sacerdotem.

Hæc, inquam, doctrina quamvis vera sit; quidni etiam explicari possit, imò debeat illa vox, *Liberum sit*, in sensu contrario, ut idem sit, quòd posse, & non posse suppleri mysterium inceptum per alium Sacerdotem? Attende quòd non dicat Concilium: *Censumus debere*; sed, *Censuimus convenire*. Et infrà: *Quod naturæ languoris causâ*, non dicit, *Præciptur*, sed, *Consulitur*.

Ubi autem loquitur de eodem Sacerdote videlicet in ultimis verbis: *Nullus absque proventu* &c. excommunicationis sententiam fulminat in eum, qui temerariè præsumpserit imperfecta officia relinquere: ergo agnoscit Concilium majorem obligationem in Sacerdote, qui incepit Sacrificium, ne sine necessitate ab incepto desistat, quàm in Sacerdote, qui priori deficiente, inceptum mysterium explet.

735. Respondetur ad primam confirmationem Tamb.

Ex quo patet responsio ad primam confirmationem Tamburini. Quòd enim ab eodem Sacerdote, nisi necessitas excuset, debeat Sacrificium perfici, juris est divini, & ideo Ecclesia non censetur per censuras voluisse derogare illi juri. Quòd autem ab alio debeat expleri, aut saltem possit expleri, Ecclesia statuit, & ideo per censuras, non tantùm potuit, sed fortè etiam voluit illi statuto derogare. Pro quo ulteriùs

Con. Toler. agit etiam de inferioribus Clericis.

Nota, Concilium Toletanum in cap. mox allegato, non tantùm agere de Sacerdotibus; sed etiam de aliis Clericis inferioribus, ibi: *Quod etiam consultum cunctis Ordinis Clericis individuum* (aliàs indultum) *sibi esse non ambigant: sed, ut præmissum est, præcedentibus libenter alij prò complemento succedant.*

Ubi eodem modo loquitur de supplendo ministerio Diaconi, Subdiaconi, & aliorum Clericorum, si fortè illi, qui inceperint, causâ languoris deficiant. Et propterea dicam excommunicatum, suspensum, irregularem, posse explere ministerium Diaconi, Subdiaconi & aliorum Clericorum?

736. Sententia Em. Sa negans excommunicatum posse explere Missam ab alio inceptam.

Hæc maturè expendantur, & apparebit probabilis sententia Emanuelis Sa verb. *Missa* n. 38. ubi sic habet: Si Sacerdos non possit Missam absolvere, siquidem nondum consecraverat, perfici potest per alium jejunum: si consecraverat, & non communicaverat, perficere potest, & secundùm quosdam etiam debet alius, etiam non jejunus, non autem excommunicatus, aut suspensus aut irregularis.

Victorellus.

Victorellus ad eundem Sa expurgatum addit: Immo si solus adsit Sacerdos excommunicatus, aut irregularis, & ex Sacri omissione secuturum sit grave aliorum scandalum, perficere potest, aliàs non, Azor ex Soto. Hæc ille.

An supplere possit Sacrificium a concubinario?

Sed hoc in Soto non invenio, qui non agit de excommunicato, sed concubinario, quem docet per se non teneri supplere, idque propter difficultatem contritionis. Interim tantum posset esse scandalum, ut teneretur, maximè in periculo corruptionis specierum Sanguinis. Idem dici posset de excommunicato, suspenso, irregulari, quando adhuc sunt in statu peccati mortalis. An autem secuti concubinarius vel alius peccator potest supplere, si velit se per contritionem legitimè disponere, ita quoque possit excommunicatus, suspensus, aut irregularis, non satis constat; quia præter peccatum obstat positiva prohibitio Ecclesiæ.

737. Ecclesia potuit supplere tionem inhibere excommunicato,

Et sanè Ecclesiam per illam prohibitionem potuisse præjudicare, ut sic loquar, juri divino, si fortè aliquod tale sit de supplendo defectum alterius Sacerdotis, vix possum dubitare. Nonne, secundùm omnes, Ecclesia per præceptum jejunii potuit præjudicare, vel potiùs facere, ut infirmus in articulo mortis non obligetur præcepto divino Communionis? Immo de facto fecit secundùm communiorem sententiam, quæ docet non posse Sacerdotem non jejunum sacrificare ad talem infirmum communicandum, idque fecit rationabiliter; quia illud præceptum non obligat, nisi quando commodè potest adimpleri; judicat autem Ecclesia, commodè non posse infirmum communicare, quando ad hoc necesse est Sacerdotem non jejunum celebrare.

Ergo similiter non est præceptum divinum, sive non obligat præceptum divinum de supplendo defectum Sacerdotis, & sic quodammodo de integrando Sacrificium, nisi quando com-

commodè potest fieri. Quare autem Ecclesia non potuit rationabiliter judicare, incommodum esse, ut id fiat per excommunicatum, suspensum, aut irregularem ?

738. quòd autem non inhibuerit, probatur. Cæterùm Ecclesiam non fecisse quod potuit facere, mihi persuadeo, tum ex similibus suprà allegatis in secunda confirmatione (quamquam aliquis respondere, posset in illis majorem esse necessitatem) tum quia video Ecclesiam pro illo casu noluisse obligare ad jejunium, ad Confessionem præmittendam &c.

Cur potiùs meminerit Sacerdotis non jejuni, quam excommunicati ? *Rubr. Miss.* Et si quæras, quare Ecclesia in Rubricis Generalibus tit. de Defect. cap. 10. n. 3. in quo agit de præsenti materia, potiùs meminerit Sacerdotis non jejuni, dicens : *Missa per alium Sacerdotem expleatur ..... in casu necessitatis etiam per non ieiunum*, quàm Sacerdotis excommunicati ? Respondeo ; quia sæpiùs occurrere potest, ut nequeat inveniri Sacerdos jejunus ; rarissimè autem, ut alius non adsit præter excommunicatum, suspensum, aut irregularem.

Atque hæc etiam est causa, quare non meminerit præcepti Confessionis ; quia videlicet Ecclesia meritò præsumit omnes Sacerdotes esse in statu gratiæ, nisi de aliquo in particulari contrarium probetur. Quòd autem sint jejuni, non debet, nec potest ordinariè præsumere.

739. Interrumpendo partes essentiales aut quasi tales, graviter peccatur, *Rubr. Miss.* Quæ cùm ita sint, liquet profectò non sine maxima necessitate Sacerdotem, qui Sacrificium incepit, illud ipsum posse interrumpere quoad partes essentiales, aut quasi essentiales, nisi velit gravissimè peccare, ut dicitur in Rubrica tit. de Defect. cap. 10. n. 4. *Si quis extra huiusmodi casus necessitatis integra Sacramenta non sumpserit, gravissime peccat.*

etiam in casu quo calix vel hostia inficitur veneno. Unde si calix vel hostia inficiatur veneno, præscribunt Rubricæ suprà n. 6. *Vinum consecratum reponendum est in alio calice, & aliud vinum cum aqua apponendum denuò consecrandum: & finitâ Missâ Sanguis repositus in panno lineo, vel stuppa tamdiu servetur, donec species vini fuerint desiccatæ & tunc stuppa comburatur, & combustio in Sacrarium proiiciatur.*

Similiter nu. 7. de Hostia : *Alteram consecret & sumat modo quo dictum est, & illa servetur in Tabernaculo, loco separato, donec species corrumpantur, & corruptæ deinde mittantur in Sacrarium.*

740. aut aquam vel acetum consecravit: quæ non debent expui. Quid porrò faciendum sit, si quis advertat se aquam vel acetum consecrasse, diximus sect. 1. concluf. 4.

Solùm hìc addo, Primò: Sacerdotem si talem defectum agnoscat, quando habet in ore illam aquam, vel acetum, non debere illa expuere, quia esset irreverentia, & fortè periculum ejiciendi aliquod fragmentum hostiæ, illi aquæ vel aceto immersæ. Deglutiat igitur, & postea posito iterum vino consecret.

Secundò, in dubio an sit vinum, possidet substantia vini, saltem post sumptionem calicis, & ideo pro ipso præsumendum, & nihil iterandum.

741. Quid faciendum ante vel post consecrationem deprehenderit ante vel post sumptionem ? Idem puto, inquit Tamburinus suprà cap. 8. § 5. n. 6. si in dubium incidat Sacerdos post consecrationem, ne sine certo fundamento turbetur Sacrificium, ejusque ordo, & ex alia parte pariter tunc possidet substantia vini. At si dubites ante consecrationem, vel deponere debes dubium, vel mutare vinum, ne exponas te periculo non consecrandi.

Quòd si non possit inveniri, vel certè difficillimè, vel non nisi cum notabili populi offensione, vinum : si non est inceptus Canon, & tutius, si non est incepta consecratio, desistas ; si est incepta, præsumas esse vinum & progreditor. Acetum autem illud vel sumat Sacerdos post sumptionem Corporis & Sanguinis, vel alicubi reverenter servet, donec siccetur modo suprà dicto. Hæc ille.

742. Dilucidatur, & ejus ratio. Sed pro majori explicatione, quæres primò ; Sacerdos dubitans post consecrationem, vel sumptionem, non debet deponere dubium ? Planè debet, cæteroquin exponeret se periculo non integrè sacrificandi.

Quæres II. quando ante consecrationem æquè dubitatur, an sit aqua vel vinum, aqua est in possessione vel vinum ? Neutrum. Si inferas, ergo neque post consecrationem, vel sumptionem. Nego Consequentiam : & rationem assigno disparitatis, quia ipsa consecratio est in possessione : ergo & vinum quod est materia essentialis consecrationis.

Post consecrationem vinum adest in possessione, licet ante consecrationem aqua. *L. in fundo ff. de rei vind.* Antecedens probo; quia constat de actu externo, qui in dubio præsumitur validus ; argumento Leg. *Quotiens in stipulationibus* 80. ff. de verb. oblig. quæ talis est : *Quotiens in stipulationibus ambigua oratio est, commodissimum est, id accipi, quo res, de qua agitur, in tuto sit.* Et cap. *Abbate* 25. de verb signif. ibi : *Profectò sic intelligenda sunt ista verba, ut res, de qua agitur, valeat possit potiùs quam perire.* Consimiliter ergo quando dubitatur de materia consecrationis jam factæ, commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, in tuto sit.

743. Objectio. Contrà : ergo etiam post primam oblationem vinum erit in possessione. Probatur Consequentia ; quia in dubio oblatio præsumitur valida æquè ac consecratio ; igitur quamdiu materia oblationis non probatur aqua, præsumitur vinum, ut res de qua agitur, valere possit potiùs, quàm perire. Nec magìs in hoc casu obstat periculum invalidæ consecrationis, quàm in altero periculum imperfecti Sacrificii,

Responsio. Respondeo, disparem esse rationem oblationis, & consecrationis ; invalidæ consecrationis, & imperfecti Sacrificii. Enimverò oblatio accidens est Sacrificii, quæ sive valeat, sive

sive non valeat, perinde est ad validam consecrationem, quæ est essentia Sacrificii, & ideo magis ponderanda & procuranda, quàm sola integralis perfectio.

Deinde oblatio non est actus perfectus & consummatus, sed quasi præparatorius sive via ad consecrationem, adeoque non censetur in possessione donec & usque facta fuerit consecratio.

Adde, quòd ante consecrationem sine notabili turbatione possit vinum mutari, secùs post consecrationem, ut patet consideranti.

744. Quid faciendum si Sanguis effundatur, aut hostia auferatur?

Ex jam dictis facilè respondetur ad hanc quæstionem; quid si Sanguis effundatur, vel hostia à vento valido rapiatur, ita ut omnino dispareat, aut si à mure comedatur? Responsio, inquam, in promptu est: siquidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur, & sufficit ad perfectionem Sacrificii; neque oportebit aliquid iterari, quia sub qualibet minima parte specierum est totus Christus, ac proinde qui illam sumit, comedit totum Corpus & bibit totum Sanguinem Christi. Quid autem plùs requiritur ad perfectionem Sacrificii?

Dispositio Rubr.

Unde disponunt Rubricæ suprà nu. 3. *Si autem non obierit* (Sacerdos) *sed fuerit infirmus, adeò tamen ut possit communicare: & non adsit alia hostia consecrata* (scilicet in eodem Sacrificio) *Sacerdos qui Missam supplet, dividat hostiam, & unam partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat.* Ergo sumptio partis secundùm Rubricas sufficit ad perficiendum Sacrificium.

Sin verò nihil remansit ex hostia, ponat iterum hostiam, similiter si nihil remansit ex vino, ponat iterum vinum cum aqua, & consecret, vel ab illo loco: *Qui pridie*, si nova hostia est consecranda; aut certè si novum vinum, ab illo: *Simili modo*, factâ tamen priùs oblatione, saltem mente conceptâ.

745. An in casu proposito sufficiat unius speciei sumptio?

Putant hìc aliqui sufficere ad perfectionem Sacrificii, si altera saltem species sumatur, adeoque non esse supplendum Sacrificium ab alio Sacerdote, quando prior moritur post sumptionem Corporis, sed species Sanguinis remanentes posse sumi ab alio Sacerdote in alia Missa. Ex quo consectarium esset, non fore consecrandum novum vinum, tametsi totus Sanguis effunderetur, dùmodò maneant species Corporis.

probatur sententia affirmans.

Fundant se illi Auctores; quia in una sola specie salvatur essentia Sacrificii, maximè in sumptione unius tantùm, quidquid sit de consecratione utriusque. Cùm ergo, ut supponitur, in casu proposito præcesserit consecratio utriusque, accedente sumptione unius, quidni essentialiter sit perfectum Sacrificium?

746. Sed opposita videtur vetior.

Respondeo; planè essentialiter esse perfectum, secundùm probabilem sententiam, de qua egimus sect. 1. concl. 3. etiam in consecratione unius tantùm speciei. Sed numquid integraliter? Minimè. Iam autem Christus non tantùm instituit & voluit offerri Sacrificium essentialiter perfectum; sed etiam integraliter.

Probatur ex sensu Ecclesiæ. *Rubr. Miss.*

Quòd verò hic sit sensus Ecclesiæ, colligitur manifestè ex Rubricis suprà n. 13. ubi loquuntur de sola effusione Sanguinis; & tamen præscribunt iteratam novi vini consecrationem: *Si*, inquiunt, *contingat totum Sanguinem post consecrationem effundi, siquidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur ..... Si verò nihil omnino remansit, ponat iterum vinum, & aquam, & consecret ab eo loco:* Simili modo, *factâ priùs tamen Calicis oblatione.*

747. Intelligitur autem si moraliter novum vinum aut hostia haberi possit, *Rubr. Miss.*

Cæterùm jam dicta intelligenda sunt, quando moraliter potest haberi nova hostia, vel novum vinum; alioquin Sacrum finiendum erit cum una solùm specie, ita tamen ut juxta Rubricas suprà n. 10. prætermittantur verba & signa, quæ pertinent ad speciem deficientem. *Si propter frigus* (inquiunt Rubricæ) *vel negligentiam hostia consecrata dilabatur in calicem, propterea nihil est iterandum, sed Sacerdos Missam prosequatur faciendo ceremonias, & signa consueta cum residua parte hostiæ, quæ non est madefacta Sanguine, si commodè potest. Si verò tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat omittendo signa, & sumat pariter Corpus & Sanguinem signans se cum calice, & dicens: Corpus & Sanguis Domini nostri* &c.

Dixi, *Quando moraliter potest haberi*, id est, sine notabili difficultate, vel populi offensione. Nam sicut in aliis præceptis etiam divinis, immo naturalibus excusat impossibilitas moralis, id est, notabilis difficultas; cur non itidem excuset in hoc præcepto, quod ad summum est juris divini positivi?

id est absque notabili difficultate, aut populi offensione,

748. Probatur variis exemplis notabilem difficultatem excusare ab obligatione præcepti.

Nonne cessat obligatio naturalis voti, quando res præstanda est moraliter impossibilis? Præceptum divinum (ut multis placet) communicandi in articulo mortis, quis dixerit obligare, quando Communio est moraliter impossibilis? Similiter præceptum divinum Confessionis? Et alia multa obvia sunt, quæ nimis longum esset hìc recensere. Planè conveniens erat fragilitati humanæ, non obligare hominem ad id, quod moraliter est impossibile, ne alioquin lex potiùs cedat in destructionem, & laqueum animarum, quàm in ædificationem.

Unde Regulam juris 6. de Regulis juris in 6. *Nemo potest ad impossibile obligari*, & Regulam 185. ff. de diversis Regulis juris: *Impossibilium nulla obligatio est*, intellige de impossibilitate non tantùm physicâ, sed etiam morali, id est, notabili difficultate. Quæ autem talis sit, relinquitur judicio prudentis omnibus consideratis, & præsertim gravitate præcepti, de cujus obligatione pro hoc vel illo casu dubitatur.

749. De notabili offensione

Quantùm ad notabilem offensionem populi; strictiùs, inquit Tamburinus suprà cap. 8. §. 7.

populi est majus dubium, *Tamburinus.*

n. 5. est jus naturale, quàm jus, quod est solùm divinum : vitare autem notabilem offensionem plebis, est de jure naturæ, integritas Sacrificii, solùm de divino.

cùm obillam Baptismus non sit omittendus.

Sed hæc probatio fortasse aliquibus videri posset minùs efficax. Etenim susceptio Baptismi solùm est de jure divino positivo ; nùm ideo relinquenda propter notabilem offensionem plebis ? Differri quidem posset ad tempus : attamen omnino eam omittere, planè illicitum est. Attende quod dicit Scriptura

Matth. 15. Matth. 15. v. 12. & sequentibus. *Tunc accedentes discipuli eius* (Christi) *dixerunt ei : Scis quia Pharisæi audito verbo hoc, scandalizati sunt ? At ille respondens ait : Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur. Sinite illos ; cæci sunt, & duces cæcorum.*

Quidni Sacerdos in nostro casu idem possit respondere ? Adeòque nolle propter Pharisaïcum scandalum plebis omittere integritatem Sacrificii ? Jus quidem naturale charitatis præcipit vitare notabilem offensionem plebis ; sed quando commodè fieri potest.

750. Probatur eam in casu proposito sufficere.

Nihilominus communis sententia Doctorum est, tametsi non sint facienda mala, ut eveniant bona ; equidem fieri posse, ut aliquando præceptum aliquod desinat esse, sive potiùs desinat obligare propter malum proximi, quod ex observatione sequeretur ; quod maximè habet locum in præceptis positivis tum humanis, tum divinis ; deinde in præceptis naturalibus affirmativis, quæ non obligant ad semper, sed solùm pro certo tempore. Nam in præceptis naturalibus negativis, cùm obligent semper, & pro semper, & res prohibitæ sint quodammodò intrinsecè malæ, vix invenitur aliquis casus, in quo licitum est facere rem prohibitam tali præcepto ad evitandum scandalum.

Quapropter tametsi totus mundus posset salvari per unicum mendacium, adhuc non liceret. Et secundùm hoc intelligitur ab aliquibus cap. 3. de Reg. juris : *Vtilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur*, scilicet dicendo mendacium. Nam tacendo, vel occultando veritatem, interdum relinqui potest, & debet.

Cùm ergo præceptum, de quo hìc tractamus, sit positivum, & affirmativum ; adeòque tantùm obligans pro certo tempore, posset fieri quòd esset periculum tantæ offensionis, sive scandali populi ex iterata consecratione novi panis aut vini, ut omnibus consideratis prudens ratio dictaret, nolle Deum ad integritatem Sacrificii pro illo casu obligare.

751. Quod de pane & vino dictum, idem dicendum de novo Sacerdote,

De cætero quæ novi panis, aut vini, eadem est ratio novi Sacerdotis, qui Sacrificium ab altero inceptum expleat ; quippe si haberi non possit, nisi vel difficillimè, vel cum notabili populi offensione, maneat Sacrificium imperfectum, & species consecrata sumatur ab alio Sacerdote in alia Missa, præsertim Sanguis ; nam hostia dari posset laico, alioquin ritè disposito ; quidni etiam Sanguis, si timeatur non posse reverenter, aut sine corruptione conservari ? Non video quid obstet.

qui sequentis die possit perficere sacrificium Emanuelem Sa.

Sed petes ; quid si nullus adsit, qui Missam perficere eodem die posset, adsit tamen, qui à loco distanti vocatus possit die sequenti ? Emanuel Sa verb. *Missa* nu. 38. in genuina impressione sic inquit : Quòd si desit, qui Missam perficiat, sequenti die perficiatur, aut sumatur ab alio Sacerdote in alia Missa Sacramentum.

Non placuit hoc dictum ei, qui illum expurgavit, quare hanc formam verborum reposuit : *Quòd si desit qui perficiat, sequenti die sumatur ab alio in alia Missa Sacramentum.*

752. An hæc sententia sit probabilis ? Affirmat Tamburinus.

Quæritur ergo, an opinio genuina illius Auctoris, dicentis posse perfici Missam die sequenti, sit probabilis, ac propterea immeritò expuncta ? Certè, inquit Tamburinus suprà §. 1. n. 7. non video cur possit eodem die perfici, ut omnes concedimus, immo injungimus, etiam post sex vel septem horas, ut contingeret si defectus occurreret summo mane, & Sacerdos suppleturus inveniretur circa meridiem : non possit autem die immediatè sequenti ; illa enim mora in tali defectu non debet judicari longa, ita ut continuari eadem Missa non possit die sequenti. Sicut enim die Veneris Sancti consumptio tunc exhibita continuat Missam diei præcedentis, nam propterea dicitur complementum Sacrificii præteriti ; ita in casu nostro &c.

Dixi, *Possit* ; nam cùm ex alia parte negandum non sit, eam esse aliquam notabilem moram, ideo rectè concedimus, posse etiam sumi illud Sacramentum eodem die, vel alio die in alia Missa, & sapienter docuit Sa, dum sub disiunctione dixit : Sequenti die perficiatur, vel sumatur. Hucusque Tamburinus ; an sapienter, judicent alii, priùs tamen maturè expensis & discussis, quæ subjicio.

753. qui impugnatur ab Auctore.

In primis quæro, si alterâ die non posset inveniri Sacerdos jejunus, an non jejunus posset Sacrificium præcedentis diei perficere ? Secundò, si non reperiatur nisi excommunicatus, suspensus, irregularis, an talis posset perficere ? Tertiò, an in die Veneris Sancto posset Sacerdos non jejunus, excommunicatus &c. si alius non adsit, solemnitatem illius diei celebrare, communicando ex præconsecratis alterâ die ? Quartò, si alterâ die potest perfici Sacrificium, cur non etiam post duos dies, tres &c ? Nam olim Sacerdotes totâ Quadragesimâ communicabant ex præconsecratis, numquid ideo perficiebant Sacrificium oblatum in principio Quadragesimæ, in quo omnes illæ hostiæ isto fine erant consecratæ ? Vel si perfi-

si perficiebant, sicuti, secundùm Tamburinum, Sacerdos in die Veneris sancto perficit Sacrificium diei præcedentis; quare si in principio Quadragesimæ Sacerdos post consecrationem mortuus fuisset, non potuisset illud Sacrificium perfici in fine Quadragesimæ?

Profectò nimiùm claudicat similitudo inter Sacrificium, quod offertur die Iovis Sancto & suo modo perficitur (si ita placeat loqui) die Veneris sancto, & Sacrificium quod Sacerdos post consecrationem unius speciei, vel post consecrationem utriusque ante sumptionem, propter mortem vel infirmitatem supervenientem relinquit imperfectum. Vide dicta disputatione præcedenti sect. 11. concluſ. 7.

754. Resolucio Auctoris. Existimo ergo Sacrificium in casu proposito non esse perficiendum, nisi intrà tempus quod celebrationi Missæ ab Ecclesia est præfixum, id est, tempus ejusdem diei. Unde si intrà illud non possit moraliter loquendo haberi alius Sacerdos, sine scrupulo sumatur Sacramentum ab alio Sacerdote in alia Missa.

Et sanè si verum est, quòd Sacerdos in Parasceve perficit Sacrificium diei præcedentis, quia accipit hostiam illius Sacrificii, quidni etiam tali modo Sacerdos isto casu in sua Missa accipiens hostiam alterius Sacrificii, quod verè imperfectum remansit, dicatur illud perficere?

Sed hæc sufficiant de interruptione Missæ quoad partes essentiales. Sequitur dicendum de interruptione quoad partes accidentales, quæ ideo facilior est, quia partes illæ tantùm sunt de præcepto Ecclesiastico. Itaque

CONCLUSIO XXXVII.

Interruptio Missæ quoad partes accidentales, estò per se graviter sit prohibita, equidem ob multas causas licet.

755. Interruptio partium accidentalium est per se gravis, Malitia per se mortalis patet ex communi sensu fidelium, rei gravitate, & reverentiâ tanto Sacrificio debitâ. Colligiturque ex can. *Nihil* 16. 7. q. 1. ibi: *Nullus absque proventu patentis molestiæ ministet vel Sacerdos, cum cœperit imperfecta officia, præsumat omnino relinquere. Si quis hæc temerariè præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit.* Et licèt pœna illa tantùm sit ferendæ sententiæ, utpote quæ imponitur per verbum futuri temporis; attamen non solet Ecclesia pro culpis venialibus hujusmodi pœnam decernere, ne postmodum per sententiam ab homine pro culpis venialibus debeat excommunicationem infligere.

Can. 16. 7. q. 1.

Nota autem ly *Omnino*, quo videtur significari interruptio, quæ fieret animo non perficiendi Sacrificium; v. g. aliquis incepit Missam, & lecto Euangelio, vel factâ oblatione recedit ab Altari animo non revertendi, idque sine ulla causa, quod significat ly *temerariè præsumpserit*; non video quomodo talis possit excusari à gravi peccato. Sin autem recedat animo revertendi, & Sacrificium perficiendi, siquidem mora vel interruptio fuerit notabilis, meritò quis posset dubitare, an etiam sic non peccet mortaliter.

si fiat absque animo perficiendi, fortè etiam cum italianimo, si interruptio sit notabilis.

Nec obstat; quòd interruptio Horarum etiam longa & irrationabilis, cum animo tamen persolvendi cætera, quæ supersunt recitanda, non sit mortalis; sole quippe meridiano clariùs est, oppidò majorem connexionem reperiri inter partes Missæ, quàm inter partes Horarum Canonicarum; nam singuli psalmi, imò singuli ferè versiculi per se suum habent pondus & completum sensum, suntque quædam precatio aut divini nominis collaudatio, aut gratiarum actio, aut dictum aliquod non habens necessariam coordinationem cum alio.

756. Disparitas inter interruptionem Horarum & Missæ.

At verò partes Missæ, quamvis & aliquæ ex istis per se suum habeant pondus, & completum sensum, suntque quædam precatio, aut divini nominis collaudatio, aut gratiarum actio juxta illud Divi Ambrosii lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Nam per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris* &c. nihilominus omnes ad unam aliquam tamquam principaliorem, & omnium aliarum caput, scilicet consecrationem Corporis & Sanguinis Christi referuntur & ordinantur, *quo & majestas tanti Sacrificij* (utor verbis Tridentini sess. 22. c. 5.) *commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.*

S. Ambr.

Trident.

Numquid valde commendaretur majestas Sacrificij, si horâ sextâ quis legeret Missam usque ad Evangelium, & horâ septimâ usque ad Canonem, & horâ duodecimâ consecraret, & vesperi reliquum adderet? Numquid partes sic interruptæ, mentes fidelium ad rerum altissimarum contemplationem excitarent? Certè omnes graviter scandalizarentur.

Unde non licet hæc interruptio sine gravi causa, & quò major interruptio, eò proportionatè requiritur major causa; similiter quò partes sunt viciniores, & magis connexæ consecrationi vel communioni; quò autem remotiores, eò minor causa sufficiet, imò tam exigua posset esse interruptio, & pars tam remota, ut solùm esset peccatum veniale, puta, si incepto, *Iudica*, recedat ab Altari citra scandalum & contemptum, vel inter orationes, & Epistolam breviter alicui loquatur de rebus indifferentibus, & similia; nulla enim est ratio, cur

757. Quo interruptio est major, eò requiritur major causa.

sicut in omissione & additione datur parvitas materiæ; ita quoque dari non possit in interruptione accidentali.

758. Prima causa ob quam licet interruptio, est metus mortis,

Venio ad secundam partem Conclusionis, & edissero causas, ob quas licet Missam accidentaliter interrumpere, etiam absque ullo peccato. Atque in primis de metu mortis, aut alterius mali æquivalentis, non est relictus ambigendi locus, secluso, sicut statim indicavi, scandalo & contemptu. Si enim liceat ab illas causas interruptio essentialis, ut vidimus Conclusione præcedenti, quantò magis interruptio accidentalis?

Quoniam verò in ingruentibus hisce malis oritur persæpè turbatio mentis, illud intrepidè facias, quod tunc bonâ fide facere te posse judicas, nam coram Deo id sufficiet, saltem ad evitandum peccatum mortale. Quod iterum dico; quia res meretur, & regula est aptissima ad subveniendum conscientiis timoratis in similibus occurrentiis.

759. Secunda causa superveniens memoria impedimenti,

Alia causa, sufficiens ad interrumpendum Missam ante consecrationem, censetur à multis superveniens memoria impedimenti ex assumpto cibo vel potu, ex peccato mortali, & ex censura. Vide Disputationem præcedentem sect. 10. concluf. 4. & sect. 11. concluf. 7. Solùm hìc exscribo verba Rubric. tit. de Defect. cap. 8. n. 4. &. 5. *Si in ipsa celebratione Missæ Sacerdos recordetur se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi & satisfaciendi.*

Rubr. Miss.

v. g. excommunicationis & manducationis.

Si recordetur se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum: similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem. Ante consecrationem autem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Missam inceptam desere re.

Ergo si non debet, debito stricte dicto, ut aliqui existimant, saltem potest, secundùm illam Rubricam, tali occurrentiâ Missam interrumpere: immo id tutiùs reputat Doctor Angelicus q. 83. art. 6. ad 2. maximè in casu manducationis & excommunicationis, nisi grave scandalum timeatur.

D. Thomas.

760. Quid si recordetur culpæ mortalis? *Sotus.*

Si autem, addit Sotus 4. dist. 14. q. 2. art. 6. est in culpa mortali, etiamsi in Introitu Missæ quando est in altari sit memor, satis est contritione & proposito confitendi, ut possit inceptum perficere.

Favorabilis, inquis, resolutio. Sed quæ ratio disparitatis? Nulla ejus mentio, cùm tamen sit necessaria, nisi velis audire: Si hoc asserendo probavisti, ego negando refutavi. Sanè in utroque casu est eadem reverentia debita Sacrificio; adeòque eadem urgens necessitas Sacrificium non interrumpendi: & ex alia parte in utroque casu est præceptum, in uno quidem Ecclesiasticum, in altero autem probabiliter divinum, quod suadet interruptionem; & credere debeo fortius ligare præceptum Ecclesiasticum, quàm divinum?

Planè debes, idque quia finis præcepti Confessionis, qui est status gratiæ, per contritionem, si non æquè certò, saltem probabiliter obtinetur; secùs finis præcepti jejunij, vel censuræ Ecclesiasticæ. Si hæc disparitas non placeat, quære meliorem.

761. Quid si poenitere nequeat?

Quid autem, interrogat Sotus suprà, si illa culpa adeò illi cordi inhæreat, ut pœnitere nequeat, cujus certè si memor fuisset antè, non cogitasset celebrare? Et respondet, quòd omnino potiùs debet dare summum scandalum, quàm sumere Sacramentum in peccato, quia sic illud est intrinsecè malum, ut nulla de causa excusari possit, & ideo si non pœnitet eum, postquam in sua est potestate, necessariâ consequentiâ peccabit tam sumendo, quàm relinquendo Sacramentum, maximè si jam est consecratum. Hæc Sotus.

In quibus verbis nota ly *Postquam in sua est potestate.* Quid si ergo non sit in sua potestate, vel propter turbationem animi, vel propter brevitatem temporis? Credo, quòd non peccaret sumendo, ex hypothesi, quòd relinquendo daret summum scandalum; adeòque falsum autumo sumptionem in malo statutam esse intrinsecè malam, ut nulla de causa excusari possit. Vide quæ Disputatione primâ sect. 8. concluf. 3. diximus.

762. Quid si recordetur temporis indebiti?

Cæterùm præcepto jejunii adnumerari posset præceptum celebrandi debito tempore. Unde si ante consecrationem superveniat advertentia temporis indebiti, nec timentur ullum scandalum, Missa dimittatur, si post consecrationem, perficiatur.

Resolutio Tamb.

Aliter resolvit hunc casum Tamburinus suprà cap. 7 §. 3. nu. 2. Si, inquit, est cœptus Canon, est omnino Missa perficienda, si non est cœptus, mensurandum est scandalum seu turbatio, quæ oriri potest in adstantibus, hora multùm, vel non multùm à meridie, vel ab aurora distans, multus vel parvus progressus in ipsa Missa &c. quodque ponderare plùs videbitur, hæc nimirùm, vel interruptio facienda, illud eligatur. Hæc ille.

Confirmatur 1. ma resolutionis.

Et confirmari posset prima pars hujus resolutionis argumento à simili, desumpto ex Rubricis tit. de Defectibus cap. 10. nu. 2. ubi sic statuunt: *Si Sacerdote celebrante violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa: si post Canonem, non dimittatur.* Eadem autem videtur ratio loci indebiti, & temporis indebiti.

Rubr. Miss.

763. Disparitas inter locum indebitum & tempus indebitum.

Respondeo, hæc est disparitas: dum post Canonem inceptum supervenit violatio Ecclesiæ, censetur Missa quasi substantialiter incepisse in loco debito, & ideo non est ratio sufficiens eam dimittendi; jam autem in casu nostro, Canon, ut suppono, inceptus fuit tempore indebito. Unde similis ratio foret, si ante horam meridianam Canon fuisset inceptus; tunc enim non deberet Missa dimitti, etsi consecratio & reliqua deberent fieri post meridiem.

Et

Et consequenter si Ecclesia jam violata erat, antequam Sacerdos incepit Missam, & impedimentum illud solùm innotescat post Canonem inceptum, dico tunc Missam esse dimittendam, si non timeatur scandalum. Neque enim de tali casu loquuntur Rubricæ, ut patet ex verbis suprà citatis.

764. An quilibet Sacerdos possit Ecclesiam tantùm benedictam reconciliare? *Suarez.*

Notat autem Suarez disp. 81. sect. 4 §. ultimo, si Ecclesia sit tantùm benedicta, ipse Sacerdos statim potest eam reconciliare juxta caput: *Si Ecclesia* 10. de Consecrat. Eccles. per aspersionem aquæ benedictæ, & alias breves & faciles ceremonias. Quod ego non credo esse verum, nisi talis Sacerdos ab Episcopo specialem habuerit facultatem. Dicitur quidem in ille cap. Ecclesiam violatam protinus esse reconciliandam; sed quòd à quolibet Sacerdote id possit fieri, nulla mentio.

Rit. Rom.

Et contrarium colligitur ex Rituali Romano tit. de Benedictionibus §. Ritus reconciliandi Ecclesiam violatam, si nondum erat ab Episcopo consecrata, qui sic incipit: *Ecclesiæ violatæ reconciliatio per Sacerdotem ab Episcopo delegatum.* Si quilibet Sacerdos habet hanc potestatem, quid est opus delegatione Episcopi? Episcopum autem omnibus indifferenter illam potestatem delegasse, unde constat?

Interim tamen, ex supposito quòd Sacerdos celebrans habeat illam potestatem, liberè eâ utatur, & factâ reconciliatione, statim redeat ad Missam, & prosequatur.

765. An si possit, debeat eam recõciliare? *Tamburinus.*

Sed numquid obligatur? Tamburinus suprà §. 5. nu. 2. existimat peccaturum venialiter, si commodè posset habere Ceremoniale, & nollet reconciliare: quia, inquit, est nonnulla irreverentia, nolle Missam cœptam, quamvis nondum incepto Canone, absolvere cùm possit. Addit: Sub mortali autem non obligo, quia potest se conformare cum decreto Ecclesiæ prohibente Sacrum fieri in loco violato: & ex alia parte Sacerdoti privato reconciliationem illam Ecclesia non præcipit.

Ast quare, inquis, non præcipit, si est irreverentia aliqua tali casu non absolvere Missam? Respondeo, vel quia Sacerdos ordinariè non habet potestatem reconciliandi, ut ego suppono, vel certè quia commodè non potest reconciliari, ut patebit inspicienti Rituale Romanum loco suprà citato. Alioquin si ab omnibus possit fieri reconciliatio, & tam faciliter, ut videntur hi Auctores supponere, & aliunde sit obligatio, licèt tantùm sub veniali; miror valde Ecclesiam ne verbo quidem in Rubricis illius rei meminisse, sed simpliciter dicere: *Dimittatur Missa.*

766. Tertia causa interrumpendi, est accessus excommunicati non tolerati.

Tertia causa interrumpendi Missam à Doctoribus communiter assignatur, superveniens excommunicatus non toleratus, id est, nominatim denunciatus, vel publicus Clerici percussor; sicuti enim Sacerdos non potest incipere Missam, nisi graviter velit peccare, coram hujusmodi excommunicato; quia hoc est communicare cum illo in Divinis, quod omnibus Fidelibus est prohibitum, & specialiter celebranti Missam in cap. *Is qui* de Sententia excommunicationis in 6. ibi: *Vel qui præsentibus maiori excommunicatione notatis, scienter celebrare præsumit, licèt in hoc temerariè agat &c.* sic etiam eodem jure non potest pergere in Missa incepta, tali excommunicato superveniente, sed sistendum est, & excommunicatus monendus ut recedat.

Cap. Is qui de sentent. excom. in 6.

qui de recessu est admonendus.

Clemens V.

Colligo ex Clementina 2. de Sententia excommunicationis ibi: *Nonnulli quoque ipsorum suis plerumque subiectis, ne (licèt excommunicationis vel interdicti sententiâ publicè sint innodati) de Ecclesiis, dum in ipsis Missarum celebrantur solemnia, instantibus etiam celebrantibus exeant, præcipere non verentur.* Et infrà: *Seu qui, ne excommunicati publicè, aut interdicti de Ecclesiis, dum in ipsis Missarum aguntur solemnia, à celebrantibus moniti ut exeant prohibere. Nec non excommunicatos publicè & interdictos, qui in ipsis Ecclesiis nominatim à celebrantibus, ut exeant moniti, remanere præsumpserint: excommunicationis sententiâ (à quâ per Sedem dumtaxat Apostolicam possint absolvi) sacro approbante Concilio innodamus.* Ita Clemens V. in Concilio Viennensi.

767. Quòd si monitus nolit exire, potest adhiberi vis, tamsi etsi foret Clericus.

Quòd si hæc admonitio & obligatio exeundi non sufficiat, adhiberi potest vis & coactio absque ulla injuria; quia illa potiùs est defensio Ecclesiasticæ immunitatis; adeò ut etiamsi excommunicatus, qui non vult exire, sit Sacerdos, possit per vim expelli absque violatione Canonis: *Si quis suadente*, tam à Clericis, quàm à laicis; argumento cap. *Veniens* 16. de Sententia excommunicationis, quod hìc subjicio.

Cap. 16. de Sent. excom.

Veniens ad Sedem Apostolicam I. lator præsentium suâ nobis assertione monstravit, quòd cùm matutina Officia celebraret, quædam Monialis Ecclesiam ingrediens, cum alio Clerico ludendo, impedimentum præstabat, quò minùs Deo divinum posset obsequium exhibere: unde memoratus Sacerdos commotus, ut liberiùs posset circa divinorum celebrationem vacare, manibus in eam appositis, ut extra Ecclesiam poneret, cùm nollet exire in trahendo ipsam, coëgit eandem extra Ecclesiam residere: sed tu illum propter hoc tamquam excommunicatum evitasti, & facis ab aliis evitari. Ecce casus. Sequitur mandatum Pontificis Clementis III. *Ideoq; mandamus, quatenus si res ita se habet, eum de cætero non evites, cùm ex hoc ipsum excommunicatum nullatenus videamus.*

Si Pontifex non videt, qui legem tulit, & per consequens authenticè eam interpretari potest, quis nostrum tam linceos oculos habeat, ut videre queat? Si in illo casu non incurritur excommunicatio inflicta percussoribus Clerici, Canone: *Si quis suadente*; à fortiori neque in nostro casu; cùm magis injuriosum sit Ecclesiæ excommunicatum interesse

esse Sacrificio Missæ, & monitum nolle exire, quàm Monialem cum Clerico ludendo impedimentum præstare divino Officio, & monitam nolle exire.

768. Si vi nequeat expelli, est desistendum:

Jam verò si excommunicatus neque vi expelli possit, tunc distinguendum est: aut enim perventum est ad Canonem, sive consecrationem, aut non. Si nondum perventum est, secundùm omnes Doctores omittenda est potiùs Missæ perfectio, quàm perficienda coram excommunicato, ut colligitur ex dicta Clementina 2. ibi: *Ex quo frequenter contingit, quòd non sine Dei offensa, Cleriq, ac populi scandalo, ipsa Missarum solemnia remanent inexpleta.* Ubi cùm audis Dei offensam, noli eam adscribere Sacerdoti, sed excommunicato, qui per suam præsentiam contra prohibitionem Ecclesiæ est causa interruptionis.

si nondum est perventum ad Canonem;

illo inchoato est ultrùs procedendum,

At si Sacerdos jam consecrationem inchoavit; immo, secundùm aliquos, si tantùm inchoavit Canonem, debet Missam absolvere usque ad specierum sumptionem inclusivè. Nam incepto Canone, ut quidam volunt (quamvis alii id negent) vel saltem inceptâ consecratione, censetur inchoatum substantiale Sacrificium, quod non nisi ex gravissima causa debet, aut potest imperfectum relinqui. Indubiè autem censetur consecratio incepta, quando prima species est consecrata, alii existimant, quando Sacerdos incepit dicere illa verba: *Qui pridie quàm pateretur*, quod etiam est probabile.

saltem si fuerit inchoata consecratio.

Quin immo difficile est expendere & quasi librare ab una parte obligationem perficiendi Sacrificium inchoato tantùm Canone, qui proximè accedit ad ipsum mysterium, & ab alia parte obligationem vitandi excommunicatum in divinis, & utrùm earum major sit judicare. Unde cùm utrimque sint varia Doctorum judicia, liberum erit Sacerdoti, quam voluerit partem eligere.

769. Sumpto Sacramento reliquum Missæ est in Sacristia perficiendum.

Hoc semper observabit, ut post sumptionem Sacramenti, quod reliquum est Missæ, si adhuc excommunicatus recedere nolit, in Sacristia vel alio decenti loco perficiat, vel si talis locus non sit, omnino intermittat. Quod quidem non invenitur in aliquo jure specialiter præscriptum, sed ex illo principio generali colligitur, quòd coram excommunicato non sunt sacra Officia peragenda, præter illud sacrum ministerium, quod necessarium est ad Sacrificium inchoatum perficiendum: porrò post peractam sumptionem jam omnino & indubitanter tota substantia Sacrificii consummata est.

Caveat tamen ne aliquid omittat ex illis, quæ in tota illa actione usq; ad sumptionem Sacramenti fiunt, quia tantum mysterium peragi debet decenti & convenienti modo, nisi aliter ab Ecclesia ordinetur; prout fit quando timetur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci, ubi celebratur; tunc enim *ante consecrationem dimittatur Missa, post consecrationem verò Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti omissis omnibus aliis.* Ita Rubricæ tit. de Defectibus cap. 10. n. 2. & meritò; quia quod reverentiâ Sacramenti institutum est, non debet contra illam militare. Rub. Miss.

Observet etiam Sacerdos, an excommunicatus suam Missam audiat, id est, an formaliter adsit: nam si tantùm adsit materialiter, id est, in eadem Ecclesia audiat aliam Missam, securè pergat, quia cessat ratio interrumpendi, scilicet communicatio cum excommunicato, ut bene notat Suarez de Censuris disput. 12. sect. 1. in fine. Suarez.

770. Quarta causa interrumpendi Missam censeri posset proximi necessitas spiritualis; v. g. si administrandum sit Sacramentum, quo creditur infirmus ponendus in gratia, alioquin probabiliùs in peccato moriturus, potest Sacerdos Missam inchoatam, etiam post consecrationem relinquere, servante interim aliquo sacram Eucharistiam, quousque Sacerdos revertatur ad Sacrum perficiendum. Ita Tamburinus lib. 2. c. 7. §. 7. n. 1. Quarta causa, ob spiritualem proximi necessitatem. Tamburinus.

Subscribo ejus verbis: Si sit ministrandum Sacramentum, quo credatur moriturus ponendus esse in gratia, nec præstò sit alius, nisi is qui actu celebrat, potest (inquit meritò Zambranus cap. 4. dub. 6. n. 5.) Sacerdos Missam inchoatam, etiam post consecrationem relinquere, servante interim aliquo Sacram Eucharistiam, in quo casu dictus Sacerdos secum deferens aliquam hostiam consecratam & Extremam Unctionem ad infirmum, auditâque ejus Confessione, & datâ Eucharistiâ, atque Extremâ Unctione (remissis tamen Psalmis Pœnitentialibus ad Ecclesiam post Missam) revertatur ad perficiendum Sacrum. Hucusque Tamburinus ex Zambrano. Si sit ministrandum Sacramentum, quo credatur moriturus ponendus in gratia, alioquin in peccato. Zambranus.

Sanè id videtur postulare summa seu extrema necessitas spiritualis proximi, qui est alter ego. Sicuti ergo si mea salus sic graviter periclitaretur, possem Sacrificium interrumpere, cur non itidem, dum agitur de æterna salute proximi? Nonne, ut superiùs adhuc diximus, præceptum integrè sacrificandi affirmativum est? Planè; & ideo non obligat pro omni tempore: meritò autem hoc tempus eximitur, ne quod pro salute omnium institutum est, causa fiat, si non per se, saltem per accidens, æternæ damnationis, alioquin inevitabiliter secuturæ; v. g. si infans certò certiùs moreretur sine Baptismo. Et verò si periculum mortis corporalis est causa sufficiens, quantò potiùs periculum mortis spiritualis & æternæ?

771. Quid sentiendum circa Viaticum infirmo

Rogas quid fieri possit, quando solùm agitur de administrando Viatico illi, qui creditur esse in statu gratiæ? Respondet Tamburinus suprà n. 2. Si facta quidem sit oblatio, seu certè inceptus Canon, non licet exuere vestes sacras, & ire

& ire ad porrigendum Viaticum. Si verò oblatio facta non fuerit, licere non est improbabile. Ratio est; quia ex una parte necessitas seu utilitas illa infirmi non judicatur modica, & ex altera ante oblationem vel Canonem (non verò post) relinquere Missam, non judicatur continere tantam irreverentiam, quæ non vinci debeat ab illa necessitate.

Sententia Tamburini.

Dixi, *Licere*; nam non cognosco obligationem, cùm possit Sacerdos juxta alteram opinionem putare non esse hanc tantam necessitatem, ut interrumpere Missam valeat.

Dixi item, *Non licere exuere sacras vestes*, si enim in ipsa Ecclesia, in qua quis Sacrum celebrat, fortè aliquis repentino malo correptus indigeat simili Viatico, potest Sacerdos, etiam post consecrationem, divertere tantillùm ab Altari, illi Eucharistiam porrigere, ac statim reverti. Hucusque Tamburinus, citans pro hac postrema parte Glossam ad Can. *Nullus* 57. de Consecratione dist. 1. sed perperàm, utpote quæ solùm loquitur de Baptismo.

Can. 57. de Consec. dist. 1.

Textus illius capitis sic habet: *Cùm verò ingressus fuerit Episcopus, aut Presbyter ad Missarum solemnia celebranda, nisi passio aliqua intervenerit, nullo modo audeat datâ oratione recedere, ut ab alio Episcopo, vel Presbytero Missarum solemnia suppleantur* &c. Ubi Glossa verb. *Recedere*, excipit, dicens: *Nisi in casu cùm videret puerum sine Baptismo morientem, dum est etiam ad altare, consulo ut baptizet.*

772. quam approbat Auctor.

Quidquid sit de mente Glossæ, sententia Tamburini videtur satìs probabilis, &, sicut superiùs dixi, tota diversitas opinionum in hac materia oritur ex eo quòd difficilè sit discernere quanta sit obligatio perficiendi Sacrificium, & quanta sit obligatio illud non interrumpendi. Et prout quisque illam obligationem plus vel minus ponderat, consequenter judicat majorem vel minorem necessitatem esse necessariam, & sufficere, ut vel Sacrificium non perficiatur, aut certè accidentaliter interrumpatur.

773. Quid dicendum si petatur Extrema Unctio? *Layman.*

Hinc Layman lib. 5. Tract. 5. c. 7. n. 2. putat, si sit ministranda Extrema Unctio moribundo aliàs confesso, vel sacrâ Eucharistiâ refecto, posse relinqui Sacrum ante oblationem; præsertim si qui sacram Unctionem petit, is sit, cui facilè negari non possit.

Tambur.

Sed hoc displicet Tamburino suprà n. 5. quia nimirum non videt tantam necessitatem in casu Extremæ Unctionis, sicuti in casu Viatici, ut ab hac necessitate possit vinci irreverentia interruptionis Missæ. Addo, inquit, infirmam esse rationem illam (si petatur ab eo, cui negari non potest) sic enim jam non concedis interruptionem ob spiritualem necessitatem, quæ par est in omnibus, sed propter respectum humanum, cujus certè ratio in his sacris ministeriis habenda nequaquam est. Hæc ille.

Utinam omnes tam prompti essent in audiendis Confessionibus rusticorum, quàm nobilium, pauperum, quàm divitum! Utinam aliquando ex respectu humano non omitterentur correptiones & pœnitentiæ, alioquin necessariæ! Quis hodie invitat pauperes ut frequentent suam Ecclesiam, & sedem confessionalem? Et pro divitibus quomodo ab aliquibus curritur?

774. Quinta causa interruptionis Missæ, adventus Principis.

Cæterùm nonne multi docent adventum Principis vel Prælati esse causam sufficientem bis eodem die celebrandi? Similiter interrumpendi Missam, si alius Sacerdos non adsit, & celebrans solùm progressus fuerit usque ad oblationem exclusivè? Certè id in praxi observatum esse testatur Navarrus Tom. 3. Tit. de Orat. cap. 16. dicens: Ego unâ dumtaxat vice, quâ id egi, pro justa causa habui, quòd supervenit vir magni nominis meam Missam auditurus in die Festo, cùm jam ad Epistolam perveniissem, & certus essem non fore aliam, quam audire posset, & regressus fui ad introitum.

Navarrus.

Ejusdem praxis testis est Henriquez lib. 9. cap. 30. ubi n. 2. docet illam sententiam, & in margine littera B. ait: Et nos vidimus servari in praxi.

Henriquez.

ex qua argumentatur Auctor ad extremam Unctionem.

Quantò ergo magìs tali Principi, aut Prælato petenti Extremam Unctionem cum æquali Missæ interruptione poterit illa ministrari? Etenim quamvis non necessaria; equidem valde utilis est, & longè utilior auditione Missæ, atque pro isto præcisè articulo à Christo institutæ: ut propterea non tantùm Principi, sed cuilibet alteri petenti liceat probabiliter tali casu eam administrare.

775. Contrarium docet Tamburinus. *Decretum Conc. Mediol.*

Hæc ergo probabilia sint, licèt displiceant Tamburino, qui summè laudat §. 8. n. 2. Decretum Mediolanense, in quo absolutè cavetur, ne quis Missam semel inchoatam repetat. Quod ipse interpretatur, tametsi superveniat Princeps vel Prælatus, vel processio populi, vel similes, alioquin non audituri Sacrum in die Festo, quandoquidem illi, cùm non suppetat alia Missa, ad integram audiendam non obligentur. Hæc sunt verba Conc. Mediolan. I. Tit. Quæ pertinent ad celebrationem Missæ: *Ut ibi* (id est in Altari) *ne in mora sint Sacrificio cuiusvis expectandi gratiâ. Nevè ob eandem causam Missâ inchoatâ, subsistant aut eius initium repetant.*

Quantùm ad Concionem, Ordinationem, Communionem populi, Publicationem edictorum; hæc & similia exerceri posse juxta Rubricas & consuetudines Missæ Sacrificium peragitur, atque adeo per illa interrumpi ritè posse Sacrum, explicatione non indiget.

776. Unde sit incipiendum quando Sacerdos revertitur ad Sacrificium.

Quæro autem primò, unde incipiet Sacerdos, dum in prædictis casibus revertitur ad Sacrificium perficiendum? Respondeo; si revertitur in casu factæ consecrationis, indè

incipiet ubi desierat, sicuti præscribunt Rubricæ faciendum in casu, quo Sacerdos post consecrationem moritur: *Missa*, inquiunt Tit. de Defect. cap. 10. n. 3. *per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco ubi ille desiit.*

Si ergo facta est consecratio Corporis, incipiat ab illis verbis: *Simili modo postquam cœnatum est*, ut ibidem præscribunt Rubricæ dicentes; *Si semiprolatâ formâ Corporis obiit Sacerdos, quia non est facta consecratio; non est necesse ut Missa per alium suppleatur. Si verò obierit semiprolatâ formâ Sanguinis, tunc alter prosequatur Missam, & super eundem calicem repetat integram formam ab eo loco:* Simili modo postquam cœnatum est, *vel posset super alium calicem præparatum integram formam proferre, & hostiam primi Sacerdotis, & Sanguinem à se consecratum sumere, ac deinde calicem relictum semiconsecratum.*

Rubr. Miss.

777. An quando dubitatur de consecratione calicis debeat novus calix consecrari.

Nota, *Vel posset super alium calicem* &c. nam quòd non debeat, nimis clarum est; immo non video, ad quid serviat illa assumptio novi calicis, vel quæ ratio possit aliquem movere ad illum assumendum: estò etiam quòd dubitaretur de consecratione prioris calicis; nam consecrando ipsum sub conditione, absolutissimè perficitur Sacrificium, ab altero inceptum.

Et idem existimo in casu, quo dubitaretur de consecratione hostiæ; licèt aliqui tunc concedant assumptionem novæ hostiæ, immo quasi illam præscribant, ut facit Henriquez lib. 9. cap. 40. nu. 4. dicens: Si dubium esset, an qui defecit, consecraverat hostiam, tunc alter acceptam aliam offerat, & repetat totum Canonem, & intendat sub conditione hanc simul cum altera hostia consecrare, vel hostiam sic dubiam reservet, ut post factam utriusque speciei sumptionem sumat jejunus. Ita ille; sed sine fundamento.

Quid si dubitetur de consecratione hostiæ.

Henriquez.

778. Sententia Auctoris.

Quid enim ampliùs requiritur; immo quid ampliùs potest subsequens Sacerdos, nisi quod spectat ad Sacrificium (quod dubitatur substantialiter inceptum) perficiendum? Nùm ideo repetendus Canon, qui semel lectus fuit? Nùm ideo nova hostia accipienda, & rursum offerenda, cùm adsit alia legitimè oblata? Auctor illi sum, ut hanc consecret sub conditione incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie quàm paterentur.*

Nam vel ille alius Sacerdos consecravit illam, vel non. Si consecravit, iste secundus sub conditione proferens verba, illam non consecrat, sed perficit Sacrificium inceptum ab alio: ratione cujus perficiendi (si fortè inceptum fuit) iste alius suscipit hoc munus. Si verò ille prior non consecravit, iste secundus consecrat, ut patet; adeoque nullum Sacrificium manet ullatenus imperfectum, sive non integrum; jam enim ab hoc posteriori utriusque speciei consecratio fit, & utraque sumitur. Ad quid ergo est necessaria illa alia hostia?

Dices; ne fortè verba consecrationis proferantur super materiam consecratam, ac proinde frustrentur suo effectu, quod minimè convenit; immo illicitum est sine justa causa. 779. Objectio.

Sed contrà; ponamus casum; quòd idem Sacerdos impeditus per infirmitatem, illâ cessante post aliquam moram; suum Sacrificium perficiat, numquid quia dubitat, an hostiam consecraverit; aliam acceptam debebit offerre, repetere Canonem, & primam hostiam sub conditione simul cùm altera hostia consecrare? Non habet apparentiam veri. Solvitur.

Præscribunt Rubricæ Tit. de Defect. cap. 5. n. 3. *Si valde probabiliter dubitat* (Sacerdos) *se aliquid essentiale omisisse, iteret formam saltem sub tacita conditione.* Quis umquam dixit aut somniavit, quòd super aliam hostiam, vel super aliud vinum? Certè super illam solam hostiam, aut illud solum vinum, de qua vel de quo dubitat, an sit validè consecrata, vel consecratum. *Rubr. Miss.*

Neque sollicitus sit Sacerdos, qui succedit in locum defuncti, vel infirmi, repetere formam consecrationis Sanguinis, tametsi defunctus vel infirmus non dixerit: *Novi & æterni Testamenti* &c. Nam (salvo meliori) moraliter certò consecratio fuit valida.

Sed pergamus ad interruptionem quæ fit ante consecrationem. Equidem si notabilis fuerit, puta plusquam unius horæ, poterit Sacerdos rediens Missam ordiri à principio: si parva, puta non plus quàm unius circiter horæ, poterit incipere indè, ubi desierat. Ratio est, quia in moralibus quod parum est, pro nihilo reputatur; & ideo tunc moraliter censetur continuari eadem Missa. At verò in longa interruptione, cùm censeatur moraliter pars jam dicta desisse, non reputatur continuari eadem Missa; quare cùm nulla aliunde inconvenientia appareat, ab initio incipienda erit. 780. Quid si interrupta fuerit Missa ante consecrationem?

Immo in hoc casu, si Sacerdos nullam obligationem habeat Missam eo die celebrandi, poterit eam omnino relinquere; quia si illa pars desiit, non est obligatio addendi compartem. Porrò hostia, vinumque, si fortè fuerint oblata, reverenter ab aliquo sumantur, vel serventur ad alias Missas, aut certè vinum effundatur in Piscinam sacram seu Sacrarium. Si Missa longa, ita ut pars jam dicta Missæ moraliter desiisse censeatur, & fuerint oblata panis & vinum.

Atque hæc ex congruentia.

781. An panis & vinum consecrata possint servari.

Cæteroquin si hujusmodi hostia & vinum servarentur sine contemptu in usum non sacrum, culpa non esset, ut collígitur ex dictis suprà de pane benedicto, & similibus; quamvis, ut verum fatear, oblatio panis & vini in Missa, utpote proxima dispositio ad summam om-

omnium benedictionem, scilicet consecrationem Corporis & Sanguinis Christi, meritò majorem sanctitatem conciliare possit & debeat rebus istis oblatis, quàm simplex earumdem benedictio.

An possent offerri in alio Sacrificio?

Nec obstat dictis; quòd si serventur illa oblata ad alias Missas, iterum debeant offerri, quia oblationem repetere nulla culpa est.

Sed quare non sufficit prior oblatio, sicut sufficit una consecratio calicis vel patenæ aut vestium sacerdotalium pro pluribus Sacrificiis? Respondeo; quia ob[illegible]est pars Sacrificii, adeòque hæc indi[illegible]latio pars hujus individui Sacrificii: ergo aliud numero Sacrificium postulat aliam numero oblationem. In casu autem supponitur, quòd Sacerdos non perficiat Sacrificium inceptum, sed aliud numero incipiat. Quantùm ad calicem, patenam, vestes sacerdotales & similia, liquet hujusmodi non esse partes Sacrificii, sed instrumenta. Idem porrò instrumentum pluribus numero actionibus posse deservire, extra controversiam est.

Atque hìc posset esse finis hujus Sectionis: nam quâ ratione occurrendum sit aliis defectibus in Missa occurrentibus, vel sparsim alibi disputavimus, vel adeò bene providetur in Rubricis Missalis, ut supervacaneum videatur de illis tractare.

782. Quid faciendum si hostia cecidit in partes interioris tunicæ mulieris, *Tamburinus.*

Nihilominus pro majori satisfactione Lectoris, fortè scrupulosi, liceat unum aut alterum casum adjungere, quem lubens transcribo ex Tamburino lib. 2. cap. 8. §. 8. n 3. Torsit olim, inquit ille Auctor, Sacerdotem fragmentum sacræ hostiæ, quòd per collum cecidit in partes interioris tunicæ cujusdam mulieris. Rursus, quod aliâ vice cecidit in barbam viri, dum communicarent. Profectò in his casibus honestatis & decentiæ ratio maximè est habenda; quòd si per accidens fragmentum deperdatur, Deo & Angelis commendetur. Poterit ergo mulier illa ex se videre, an fragmentum inveniri & ab extractis à se parumper vestibus, & foràs modestè exporrectis, à Sacerdote accipi queat; secùs ipsa mulier accipiat, immittat in pixidem, digitosque lavet, projectâ in Sacrarium lotione. Neutrum si possit, relinquatur.

Immo si Sacerdos solus vidit parvi fragmenti casum, & probabiliter advertit fore notabilem mulieris turbationem, vel adstantium offensionem (id quod certè regulariter adest) si de re mulier advertatur, nihil dicat Sacerdos, sed totum remittens Deo, progrediatur in ipso ministerio; hoc enim requirit ipsa reverentia, & cultus sacer.

783. An viri barbam?

Simile quid de illius viri barba dicendum est; si enim Sacerdos modestè potest, & sine viri offensione, accipiat, secùs, Deo commendet. Quòd si potuit accipere, ne deinde sit sollicitus tentare; vel præcipere prædictæ barbæ lotionem: meliùs enim est vitare turbationem fidelium, quàm Rubricarum apicem, ejusmodi cautelas præcipientem, observare. Ex his similia, quæ facilè occurrere indies solent, ex teipso colligere potes. Hactenus Tamburinus, satis benignè.

Tantùm addo, sæpè contingere maximè in scrupulosis, & nimiùm anxiis, ut distribuendo fidelibus Eucharistiam, falsò sibi imaginentur aliquas minutiores particulas cadere, ùti etiam quidam, quò diutiùs patenam, cum qua celebrarunt, inspiciunt, & abstergunt, eò plures vident particulas falsâ imaginatione delusi: adhibeant communem diligentiam, & cætera Deo commendent, ne sibi & aliis sint molesti.

Quid faciendum si Sanguis ceciderit super barbam Sacerdotis barbam

Satis quoque erit, si fortè Sanguis Christi super barbam Sacerdotis ceciderit, eam lavare & lotionem in Sacrarium projicere; nam abrasio & combustio barbæ, quam aliqui requirunt, quamvis fortè non esset molesta, nec ignominiosa illis, qui barbam usque ad cutem solent abradere; equidem aliis, qui barbam nutriunt, satis dura videretur.

784. aut super terram, tabulam, Altaris linteum &c. *Rubr. Miss.*

Cæterùm quid fieri debeat, quando aliquid de Sanguine Christi ceciderit super terram, seu super tabulam, super lapidem, vel linteum Altaris, disertissimè explicant Rubricæ Tit. de Defect. cap. 10. n. 12. hisce verbis: *Si per negligentiam aliquid de Sanguine Christi ceciderit, si quidem super terram, seu super tabulam, linguâ lambatur, & locus ipse radatur quantum satis est, & abrasio comburatur, cinis verò in Sacrarium recondatur. Si verò super lapidem Altaris ceciderit, sorbeat Sacerdos stillam, & locus bene abluatur, & ablutio in Sacrarium proiiciatur. Si super linteum Altaris, & ad aliud linteum stillæ pervenerit, si usque ad tertium: linteamina ter abluantur, ubi stilla ciderit, calicè supposito, & aqua ablutionis in Sacrarium proiiciatur. Quòd si in ipso solum Corporali aut si in vestibus ipsis Sacerdotalibus ciderit, debet similiter ablui, & ablutio in Sacrarium proiici. Si in substrato pedibus panno, vel tapeto, bene abluatur, ut suprà.*

aut si hostia in terram dilabatur,

Similiter si hostia consecrata vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, *Reverenter*, inquiunt Rubricæ ibidem nu. 15. *accipiatur, & locus ubi cecidit, mundetur, & aliquantum abradatur, & pulvis seu abrasio huiusmodi in Sacrarium immittatur. Si ciderit extra Corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum huiusmodi diligenter lavetur, & lotio ipsa in Sacrarium effundatur.*

785. aut per vomitum species ejiciatur;

Eodem capite n. 14. claris verbis præscribunt Rubricæ, quid facere oporteat cum speciebus evomitis, puta, *Reverenter sumantur, nisi nausea fiat: tunc enim species consecratæ cautè separentur, & in aliquo loco sacro reponantur, donec*

corrumpantur, & postea in Sacrarium proiiciantur. Quòd si species non appareant, comburatur vomitus, & cineres in Sacrarium mittantur.

quem procurare quandoque est licitum,

Et si quæritur, an liceat Sacerdoti hujusmodi vomitum procurare? Pervia est responsio affirmativa, quando Sacerdos cognosceret species à se sumptas, veneno vel simili tabe esse infectas; aliàs non. Posterior pars non indiget probatione. Ratio prioris; quia sicuti non obligatur Sacerdos cum tanto dispendio ad illas sumendas, ita nec cum eodem periculo ad retinendas, *ne*, ut appositè dixit Doctor Angelicus 3. part. q. 83. art. 6. ad 3. *Calix vitæ vertatur in mortem.* Idem dic propter paritatem rationis, si venenum fuerit immistum in ablutione, vel quocumque cibo, quem quis post Communionem sumpserit.

ut si hostia fuisset veneno infecta. D. Thom.

Supereſt duplex quæstio; Prima, an si desit hostia grandior, possit Sacerdos consecrare parvam formulam, eamque elevare? Secunda, an possit assumere parvam formulam, & grandiorem reservare, ad illam v. g. exponendam in Oratione quadraginta horarum, si fortè aliam grandiorem ad hunc finem habere non possit? Responsio erit

CONCLUSIO XXXVIII.

Per se nullla est obligatio consecrandi hostiam grandiorem.

786. Probatio Conclus.

VBi enim Rubricæ determinant quantitatem hostiæ? Nonne in una Ecclesia majores consecrantur, quàm in alia? Planè. Cur ergo non liceat Sacerdoti in defectum grandioris hostiæ, quâ communiter uti solet, consecrare parvam formulam, qualis consuevit distribui laicis communicantibus, ne eo die privetur Sacrificio? Non video quid obstet, nisi fortè offensio hominum imperitorum, qui facilè de veritate rei instrui poterunt.

Consuetudo quidem est, quòd Sacerdos majorem hostiam pro se consecret, quàm pro aliis volentibus communicare, sed unde constat illam consuetudinem esse obligantem? Sanè in utraque hostia, majori & minori, Sacrificium æquè perficitur, & debita illi præstatur reverentia. Ex quo ergo capite esset illicitum?

787. Factâ consecratione majoris & minoris; hæc posset sumi,

Dato ergo casu, quòd Sacerdos præter hostiam grandiorem in eodem Sacrificio parvulas formulas consecrasset, poterit sine ullo peccato assumere parvam & grandiorem reservare, utraque enim æqualiter spectat ad illud Sacrificium; adeòque in utraque Sacrificium istud æquè perficitur.

Etenim quòd hostia grandior vocetur principalis; aliæ autem accessoriæ ad illam, pendet ab intentione Sacerdotis, quâ grandiorem solet consecrare tamquam à se sumendam, quam etiam ideò solam elevat, frangit &c. juxta præscriptum Rubricarum, quæ tantùm sunt accidentalia, & fieri æqualiter possent cum formula minori, quin fieri deberent in casu proposito.

Licèt ejus eam non fuisset finis cæremoniæ omissa,

Petes, quid ergo si facta non essent? Respondeo, adhuc substantialiter Sacrificium perficeretur; v. g. si immediatè ante sumptionem major hostia per miraculum dispareat, vel ab animali, aut vento auferatur, si adsit parva hostia in eadem Missa consecrata, Sacerdos non potest aliam majorem consecrare; quia sumendo parvam perficit Sacrificium, eo modo quo Christus instituit, & voluit illud perfici.

788. dummodo fuisset in eadem Missa consecrata. Tolet.

Dixi signanter, *In eadem Missa consecrata*; quia Sacerdos debet communicare de suo Sacrificio, juxta illud Concilii Toletani XII. cap. 5. & ponitur de Consecratione dist. 2. Can. *Relatum* 11. *Quale erit illud Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur?*

Hinc aliqui Parochi, dum renovant Eucharistiam, si consumant hostiam ab alio præconsecratam, eam verò, quam ipsi consecrant, reponunt in Sacrario, ritè nequaquam faciunt; quidquid sine fundamento in contrarium asserant Henriquez l. 9. c. 9. n. 2. & Fagundez lib. 3. de primo præcepto Ecclesiæ cap. 4. n. 26. & cap. 5. n. 20. Vide quæ de hac re diximus sect. 1. concluſ. 3.

Praxis quorundam improbatur. Henriquez. Fagundez

789. Objectio nota

Dices: at jam participat de suo Sacrificio; dum participat de eodem Christo, quæ est hostia eadem in omnibus; nam propterea si occurrat mori celebrantem factâ consecratione, potest, immo debet alter Sacerdos Missam absolvere, & præconsecratam ab alio hostiam sumere. Die item Paraſceve alius Sacerdos potest consumere hostiam, ab alio, die præcedenti consecratam.

Propter hæc argumenta Tamburinus suprà n. 19. admittit illam praxim Pastorum non esse contra omnimodam Sacrificii integritatem, esse tamen contra morem & ordinationem Ecclesiæ, volentis juxta ipsius Sacrificii requisita, ut Sacerdos participet de Sacramento à se confecto.

Propter quam illam non est concursum integrum Sacrificii putat Tamburinus.

790. Sed respondetur ad objectionem.

Sed contrà; quæ sunt ista requisita Sacrificii, si ad integritatem sufficit sumptio Sacramenti præconsecrati? Ipsa, inquis, natura Sacrificii, cujus est offerre simul, & consumere oblatum. Ita Tamburinus n. 25.

Sed amabo, natura Sacrificii aliquid importat præter partes essentiales & integrales? Si ergo Sacrificium est perfectum essentialiter & integraliter, tametsi solùm sumatur hostia præconsecrata; quomodo natura ipsius requirit sumptionem hostiæ, in eadem Missa consecratæ?

Præterea, si per sumptionem hostiæ præconsecratæ perficitur Sacrificium, pono casum quòd hostia jam consecrata omnino dispareat, nec alia possit inveniri, tunc non solùm melius erit,

erit, ut Tamburinus existimat n. 24. sumere hostiam præconsecratam; sed etiam obligatorium; quoniam tenetur Sacerdos Sacrificium suum perficere quantùm commodè potest.

791. Satisfit objectionibus. Existimo ergo nullatenus perfici Sacrificium à me oblatum per sumptionem hostiæ in alia Missa consecratæ. Fateor omnes Sacerdotes esse ministros repræsentantes unum Christum Dominum Sacerdotem principalem, & omnes hostias consecratas continere unum, & eundem Christum, & propterea, si ita velimus loqui, omnes hostias consecratas aliquam dicere habitudinem, & habere relationem ad hunc Sacerdotem, atque ad hoc Sacrificium; sed nego illam tam remotam habitudinem sufficere, ut sumptio cujuslibet hostiæ possit esse complementum ex Christi institutione necessarium cujuslibet Sacrificii.

Ad argumenta autem superiùs allata; ad secundum quidem patet responsio, in die Parasceves non offerri propriè Sacrificium, neque illam sumptionem propriè loquendo esse perfectionem sive complementum Sacrificii diei præcedentis, utpote quod fuit tunc essentialiter & integraliter completum.

Ad primum dico, Sacrificium illud perfici à Sacerdote, qui succedit in locum defuncti, non per sumptionem hostiæ consecratæ in aliâ Missa, sed in eadem, ut clarum est.

792. Instantia. Si instas; quæ Sacerdotis succedentis in locum defuncti, eadem est ratio hostiæ præconsecratæ, substitutæ in locum hostiæ, quæ disparuit.

Disparitas inter Sacerdotem succedentem & hostiam præconsecratam. Respondeo disparitatem esse, quòd Sacerdos sit causa Sacrificii tantùm extrinseca, sive efficiens; hostia verò sive consecratio, & sumptio hostiæ, partes intrinsecæ, essentiales, seu integrales. Jam autem idem effectus potest successivè causari aut perfici à diversis numero causis efficientibus; at verò quæcumque variatio partium essentialium, aut integralium repugnat identitati numericæ totius.

Cùm ergo hostia præconsecrata ad minus numero distinguatur ab hostia jam consecrata; & per consequens sumptio hostiæ præconsecratæ, à sumptione hostiæ jam consecratæ, non potest sumptio hostiæ præconsecratæ integraliter perficere hoc numero Sacrificium, quod consistit essentialiter in consecratione hujus determinatæ hostiæ, sed magis erit perfectio illius Sacrificii, in quo ista hostia fuit præconsecrata.

793. Propositio cujusdam dubii. Ex dictis facilè erit satisfacere huic dubitationi. Quidam in sua Missa ob prædictum defectum grandioris hostiæ, consecravit parvam particulam, timens autem populi offensionem in consueta elevatione Sacramenti, elevavit hostiam grandiorem præconsecratam, quæritur an ritè id fecerit?

Resolutio Marchantii. Respondetur, inquit Marchantius in Resol. Pastor. ad Candel. de Sacramentis Tract. 4. cap. 5. q. 3. in fine, cùm in Missa debeat exhiberi populo adoranda hostia in illo Sacrificio consecrata, & oblata, talem cautelam non esse approbandam; meliùs tamen meo judicio fecisset, si & majori isti hostiæ alteram parvam consecratam per illud Sacrificium simul adjunxisset, quod facilè fieri poterat exhibendo utramque adorandam: sic enim satisfaceret ceremoniæ huic sacræ, quâ hostia Sacrificii hujus populo ad adorandum exhibenda præcipitur. Hæc Marchantius

794. rejicitur Tamburinus. Quæ non placent, & meritò, Tamburino suprà cap. 8. §. 8. n. 22. ubi enim id præcipitur? Supponunt quidem Rubricæ, & etiam præscribunt elevationem hostiæ illius, quam Sacerdos tunc consecravit, sed quid indè? Rubrica directiva est, de eo quod communiter fit sine obligatione saltem gravi; jam autem intercedente causâ, qualis in hoc casu satis rationabilis apparet, ne cogatur Sacerdos populum instruere, qui fortassis de ostensione minoris hostiæ offensus fuisset, vel quid simile, non video cur talis Rubrica directiva omitti sine culpa non possit.

Hostia parva non est cum magna simul elevanda. *Rubr. Miss.* Quòd si possit, jam superfluum erit posterius illud remedium, conjungendi scilicet parvam cum hostia grandiore: ut omittam & illud ipsum esse contra Rubricam directivam, quâ præscribitur elevatio unius hostiæ, quam Sacerdos pro seipso consecravit, Tit. Ritus servandus &c cap. 8. n. 5 ibi: *Quibus* (verbis consecrationis) *prolatis, Celebrans tenens hostiam inter pollices & indices prædictos super altare, reliquis manuum digitis extensis, & simul junctis (& hostijs, si plures sint consecratæ, in loco, in quo à principio Missæ positæ sunt super Corporali, vel in alio vase aut calice dumtaxat) genuflexus eam adorat. Tunc se erigens quantùm commodè potest, elevat in altum hostiam* &c.

Hostiam, inquit Rubr. non *hostias*. Quo ergo jure tu elevas duas hostias? Ergo pares sumus; ergo saltem non erit unum altero consultius.

Objectio solvitur. Dices; vidi aliquando Sacerdotem elevantem cum grandiori hostia, parvam hostiam, quam simul consecraverat pro aliquo communicando. Vidi & ego. Sed quid mirum, cùm & aliæ multæ Rubricæ directivæ à multis Sacerdotibus non satis exactè observentur?

795. An possit exponi grandior hostia non consecrata cui affixa est parva hostia consecrata? Illud certè, inquit Tamburinus num. 23. probandum nullo pacto est, quòd quidam Parochus, dum ei hostia grandior consecrata non suppeteret, ad eam exponendam in Oratione quadraginta horarum, imprudenter egit: parvam enim consecratam hostiam affixit grandiori hostiæ non consecratæ, & ita simul exposuit, ne scilicet parva formula in spherula appareret populo, qui Sacerdotem de negligentia præparandi majorem reprehendisset.

Negat Tamburinus ob periculum idololatriæ. Hoc, inquam, non est probandum; quia esset periculum idololatriæ, quamvis materialis (cùm fideles adorent totum illud quod

& probat à simili.

expositum est per modum unius) quod nullo modo licet; ut in simili de Parocho ostendente particulam consecratam, & deinde ministrante peccatori occulto particulam non consecratam, alibi dictum est. Hucusque Tamburinus.

796. Auctor ostendit dissimilitudinem satis magnam.

Sed reverà illud simile multùm dissimile est; non enim porrigitur peccatori particula non consecrata simul cum consecrata, quod deberet fieri, ut argumentum concluderet; sed sola particula non consecrata instar consecratæ, adeoque adorando illam solam particulam indubiè committit idololatriam materialem, in casu autem proposito cùm adsit hostia consecrata, adoratio verè ad illam terminatur. Et aliunde fideles non intendunt adorare, nisi illud, quod in illa hostia verè adorabile est.

Ponamus enim quòd majori hostiæ alioquin verè consecratæ sit immixta aliqua substantia non consecrabilis, v. g. fructum ligni; nùm ideo illicitum erit illam exponere populo adorandam? Nequaquam, ut alibi docuimus de vino consecrato, cui aqua esset immixta; idque quia populus tantùm intendit adorare, quod verè in Calice adorabile est: ergo similiter solùm intendit adorare quod in sphærula verè adorabile est.

Et sanè cùm exponuntur venerationi species Sacramentales miraculosæ, quando dubitatur an sint omnino corruptæ, adeoque an Christus sub iis desierit esse, solet apponi alia hostia consecrata, idque sine scrupulo alicujus peccati, licèt fortè multi ex populo inter unam & aliam hostiam nequeant discernere, & simpliciter adorent, quod in Hierotheca proponitur adorandum.

797. Quâ linguâ & quâ voce Missa sit celebranda?

Sed nunquid hic finis Rubricarum seu Rituum & Ceremoniarum, quæ ex præscripto Ecclesiæ fiunt in Missa? Minimè; necdum enim audivimus, quâ linguâ Missa celebrari debeat, latinâ, an vulgari, quâve voce, elatâ, vel submissâ. Audiamus ergo quid Spiritus Sanctus loquatur per os Concilii Tridentini.

Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim linguâ celebraretur. Quamobrem retento ubique cuiusq; Ecclesiæ antiquo, & à Sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Matre & Magistra probatu ritu &c. sess. 22. cap. 8. Et infrà eâdem sessione can. 9. *Si quis dixerit Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissâ voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut linguâ tantùm vulgari Missam celebrari debere* &c. *anathema sit.* Quid illustriùs desiderari poterat? Erit ergo

CONCLUSIO XXXIX.

Prudenter instituit Ecclesia, ut Missa non celebraretur vulgari passim linguâ, & ut in Missa quædam altâ voce, quædam secretò dicerentur.

798. Probatur; pars Conclus.

NOn te moveat impudentia hostrorum Hæreticorum, qui & has, & cæteras omnes ceremonias Missæ valde improbant, irridentes, & explodunt; canes enim mortui sunt, qui maledicunt Domino suo. Et quid mirum, si illi ceremonias damnent, qui & ipsam Missæ substantiam negant? Satis tibi sit auctoritas Unius Ecclesiæ Sanctæ, Catholicæ & Apostolicæ, quæ à Spiritu sancto edocta, omni fermè tempore usa fuit in divino Officio linguâ doctrinali, Latinâ apud Latinos, Græcâ apud Græcos, adeò ut hujus consuetudinis nullum possit initium designari, quod est signum Apostolicæ traditionis, juxta Regulam D. Augustini lib. 4. de Baptismo cap. 24. ibi: *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Hoc autem *quia faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est*, ait idem Sanctissimus Præsul Epistolâ 118.

ex Traditione Apostolica. S. Augustin.

Ratio ejus conclusionis.

Planè conveniens erat, quòd Sacrificium celebraretur non vulgari passim linguâ; sed certâ aliquâ & determinatâ ac nobiliori, tum propter uniformitatem, tum propter reverentiam, præsertim cùm populus equidem non intelligeret, quantumvis aliquæ partes Missæ linguâ vulgari exprimerentur.

799. Quæ Ecclesia Latina retinuerit aliquas voces Hebraïcas & Græcas.

Quòd autem Ecclesia Latina quasdam voces Hebraïcas, vel Græcas in Missa, aut in Officiis Ecclesiasticis retinuerit, v.g. vocem *Alleluia*, *Kyrie eleyson*, & similes, quid refert? Id enim factum fuit, vel quia peculiarem emphasim habent, vel ad unitatem Ecclesiæ, ejusdemque fidei confessionem indicandam, vel etiam propter commendandam antiquitatem; vel denique quia interdum sunt tales voces, ut commodè transferri in aliam linguam non possint.

S. Augst.

Audi Divum Augustinum lib. 2. de doctrina Christiana cap. 10. & 11. *Latinæ linguæ homines* (inquit S. Doctor) *duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem habent opus, Hebræa scilicet & Græca, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas, quamquam & Hebræa verba non interpretata sæpè inveniamus in libris, sicut* Amen, Alleluia, *&*, Racha, *&*, Osanna, *& si quæ sunt alia. Quorum partim propter sanctiorem auctoritatem, quamvis interpretari potuissent, servata est antiquitas, sicut est* Amen, *&*, Alleluia; *partim verò in aliam linguam transferri*

ferri non potuisse dicuntur, sicut alia duo quæ posuimus.

800. Objectio solvitur. Dices; à multis Sacerdotibus ignoratur propria significatio harum vocum. Esto; satis est, quòd in fide totius Ecclesiæ proferantur. Sic enim Moniales divinum persolvunt Officium linguâ latinâ, quam non intelligunt; equidem piè admodùm & devotè dum mente cælestia tractant.

Cæterùm, quod bene notandum est, Sacrificium non est institutum ad erudiendum populum, sed ad exhibendum Deo honorem & debitum cultum, quem fieri certis ritibus, & determinatâ linguâ, quis sanæ mentis potest improbare?

Ne tamen *oves Christi esuriant* (inquit Concilium Tridentinum suprà cap. 8.) *neve parvuli panem petant, & non sit qui frangat eis; mandat Sancta Synodus* (sess. 5. c. 2. de Refor. & sess. 24. cap. 7. de Refor.) *Pastoribus & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios ex ijs, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cætera sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis & Festis.*

Ritus Missæ à Pastoribus exponendi, ut docet Tridentinum,

801. Et de his ac similibus expositionibus sive exhortationibus ad populum; non autem de orationibus, quibus Deus colitur, loquitur Apostolus 1. Cor. 14. v. 9. dicens: *Vos per linguam, nisi manifestum sermonem dederitis; quomodo scietur id quod dicitur? Eritis enim in aëra loquentes.* Et v. 11. *Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus.* Et v. 16. *Si benedixeris spiritu: qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem? Quoniam quid dicas, nescit.*

& monet Apostolus 1. Cor. 14.

Ne autem ambiguum foret, quam intelligat benedictionem, continuò attexit: *Nam tu quidem bene gratias agis: sed alter non ædificatur.*

Ergo loquitur Apostolus de benedictione, quæ fit ad ædificationem populi, hoc est, de publicis exhortationibus, quas nemo dubitat fieri debere illâ linguâ, quam auditores intelligunt. Vide contextum illius capitis, & nullus remanebit scrupulus.

802. In Missâ quædam sunt dicenda clarâ, quædam submissâ voce: Quantùm ad secundam quæstionem, quâ scilicet voce Missa sit recitanda, altâ, an submissâ, liquidò constat ex Rubricis Tit. Rubricæ Generales cap. 16. quædam esse dicenda clarâ voce, quædam verò secretò, juxta Tridentinum suprà cap. 5. ubi sic ait: *Cùmque natura hominum ea sit, ut non facilè queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissâ voce, alia verò elatiore in Missa pronunciarentur, instituit.*

Trident.

803. probatur antiquitate, Hunc autem ritum antiquissimum esse, liquet ex Liturgiis Basilii, & Chrysostomi, colligiturque ex Cyrillo Cateche. 5. Nec caret suis rationibus moralibus sufficientissimis.

Nam in primis varietas illa recreat & delectat audientium animos, & quamdam præ se fert gravitatem & venustatem. Secundò sustollit homines ad rerum divinarum meditationem, ut suprà dicebat Concilium Tridentinum. Et quidem, ut loquitur Concilium Colonienſe part. 7. cap. 26. *Tunc præcipuæ populi partes sunt, quando submissius legente, aut tacente Sacerdote quisque cum Deo loquitur.* Tertia ratio est, ut significetur non omnia mysteria esse æquè omnibus divulganda.

& triplici ratione morali, Conc. Colon. nienſe.

Accedat quarta ratio mystica sumpta ex imitatione Christi, qui in passione sua, quæ hoc mysterio repræsentatur, nunc altâ voce orabat: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*, Luc. 23. v. 34. Et v. 46. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Nunc ad adstantes loquebatur, ad Matrem, ad Discipulum, & Latronem; nunc verò tacebat & intrà se orabat. Ita etiam Sacerdos in Missa, nunc ad populum loquitur, nunc ad Deum clarâ voce; nunc verò sub silentio orat. Oratio ergo secreta Sacerdotis commemoratio quædam est secretæ orationis Christi, vel in horto, vel in Cruce.

804. ac una mystica, Luc. 23.

Atque ut omnes hæ rationes non sufficerent, quæ tamen sufficientissimæ sunt ad præcipiendam rem in se indifferentem, sanè minimè expediebat, arbitrio cujusvis Sacerdotis hoc relinquere; tum quia indè orta fuisset infinita quædam varietas; tum maximè, quia multa indiscretè & inordinatè fierent.

Nec obstat, quòd Sacerdos sit minister publicus, constitutus pro hominibus in ijs quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis: non obstat, inquam, nam licèt in Missâ quædam secretè dicantur, etiam ipsa verba consecrationis; adeòque aure non percipiantur, nùm ideo cultus invisibilis & merè internus? Nùm ideo cultus privatus, qui alioquin publicâ auctoritate institutus est, & publicâ auctoritate exhibetur? An fortè Sacerdos dicitur minister publicus, quia orat audiente populo, vel sacrificat populo inspectante? Nequaquam. Quid enim si Missam celebret nullo audiente vel inspiciente? Et verò quid interest sive Sacerdos oret publicâ voce vel secretâ, dummodò pro universa Ecclesia & nomine ejus id faciat?

805. Objectio solvitur.

Non est Deus noster, sicut Dii eorum, quibus Elias 3. Reg. 18. v. 27. illudebat dicens: *Clamate voce majore: Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit ut excitetur.* Quid dicit Scriptura 1. Reg. cap. 1. v. 13? *Porrò Anna loquebatur in corde suo, tantumq; labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur.* 3. Reg. 18. 1. Reg. 1.

Et vis scire, an ejus oratio fuerit exaudita? *Pro puero isto*, inquit Anna ad Heli ibidem v. 27.

1. Reg. 2. *oravi, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam postulavi eum.* Et cap. 2. v. 3. in gratiarum actionem sic cecinit: *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes, recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.*

Oratio publica & secreta ejusdem efficaciæ.

Non ergo majoris efficaciæ est oratio, quæ fit publicâ sive altâ voce, quàm oratio, quæ fit secretò, sive voce submissâ; immo quæ fieret purè mentaliter. Unde, ut statim videbimus, Religiosi impetrarunt à Pontifice privilegium, ea, quæ in Missa dicenda sunt secretè, recitandi purè mentaliter.

806. Quare Christus altâ voce consecraverit.

Porrò quòd Christus altâ voce coram suis Apostolis pronuntiaverit in ultima Cœna verba consecrationis, quid mirum? Siquidem modum consecrandi ipsis tradebat. Et ad summum indè probatur eam rem esse indifferentem, adeò ut etiam aliquando in Ecclesia fuerit usus altè proferendi verba consecrationis; immo de facto adhuc præscribitur Episcopis in Pontificali Romano altè proferre verba consecrationis, quando Sacerdotes creant, quasi tradentes ipsis modum consecrandi, utque meliùs cum Episcopo eodem momento verba consecrationis possint absolvere.

Hinc tamen non bene sequitur, semper sic debere fieri, cùm enim res indifferens sit, potuit Ecclesia habere, & indubiè habuit justissimas rationes præscribendi modum communem & ordinarium recitandi illa verba, utì & plura alia secretè.

807. Quid sit dicere altâ, quid submissâ voce?

Sed cùm hæc satìs certa sint inter Catholicos, equidem dubitatur quid sit dicere clarâ voce, & quid dicere submissâ voce, sive secretò. Et verò sic illa explicant Rubricæ tit. Rubricæ Generales cap. 16. num. 2. *Sacerdos* Rubr. Miss. *maximè curare debet, ut ea quæ clarâ voce dicenda sunt distinctè & appositè proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit, quæ legit, nec nimis morosè, ne audientes tædio afficiat, neque etiam voce nimis elatâ, ne perturbet alios, qui tunc temporis in eadem Ecclesia celebrant, neque tam submissâ, ut à circumstantibus audiri non possint, sed mediocri & gravi, quæ & devotionem moveat, & audientibus ita sit accommodata, ut quæ leguntur, intelligant. Quæ verò secretè dicenda sunt, ita pronunciet, ut & ipsemet se audiat, & à circumstantibus non audiatur.* Ita Rubricæ, quas si bene observaveris, securus eris de legitimâ pronuntiatione.

808. An vox submissa debeat posse audiri à proferente?

Interim existimat Tamburinus lib. 2. c. 9. §. 2. nu. 1. non esse omnino necessarium ita formare verba, dum secretè oras in Missa, ut à teipso audiri possint. Si enim, inquit, ita formentur verba, ut sonus vocis extra labia prodeat, quamvis non sit aptus ad vellicandas aures, nemo dicet non satisfieri obligationi, quia jam exhibetur oratio vocalis.

Negat Tamburinus,

Navarrus.

Regula igitur melior & benignior ea mihi arridet, quam afferre ex Navarro Com. in 2. part. Decret. cap. 19. de Orat. n. 88. possumus, prædicta scilicet Missæ secreta, ut etiam Horas Canonicas, posse recitari sine expressione verborum, quæ ab alio, vel à seipso audiri possint; sed sufficere formare verba inter labia & dentes.

Ratio Regulæ est; quia sic formata verba, voces essentialiter sunt, atque adeò sufficiunt ad orationem vocalem injunctam in caput *Dolentes* de celebratione Miss. non enim assentior aliquibus, qui dicunt ejusmodi voces esse potiùs inchoationes verborum, quàm verba; sunt enim, ut dictum est, verba vocalia, quantùm scilicet ad præceptum observandum sunt necessaria. Hucusque Tamburinus; sed parùm fundatè.

Nam in primis, tantùm lego apud Navar- 809. rum sufficere verba inter labia & dentes formanda, quæ ab alio audiri non possint. Sic enim ait: *Sextum* (privilegium) *est eiusdem Papæ* (Leonis X.) *qui concessit Fratribus Minoribus, ut omne quod in Missa & Horis Canonicis secretò dici debet, sufficiat dici mentaliter citra pronuntiationem vocalem. Istud etiam non est privilegium, quatenus continet sufficere dicere illas absque expressione ullius verbi, quod audiri possit ab alio, licet sic quatenus continet sufficere dicere mentaliter absque ulla voce secreta, vel publica. Suprà enim concluximus, orationem publicam requirere verba secreta* (quæ scilicet ab aliis audiri non possunt) *vel publica*, quæ utique audiri possunt ab aliis, Sententia Navarri proponitur

Pergit Navarrus: *Et quamvis in editione, vulgari sermone factâ, significavimus, disputando defendi posse, etiam in hoc sensu non continere privilegium, eò quòd posset teneri, etiam iure communi licere mentaliter tantùm dicere, quæ secretò dici iubentur, quia verba videntur requiri principaliter, quo alii audiant, & quòd doctrina Glossæ & S. Thomæ suprà citata, & communiter recepta non procedat, per ea quæ dicta sunt in his, quæ secretò sunt dicenda, consulendo tamen longè verius dicitur, omnem orationem publicam, etiam secretò dicendam, requirere verba saltem secretò inter dentes & labia formanda:* sic nimirum ut licèt ab aliis audiri non possint, nec fortè propter extrinseca impedimenta ab ipso proferente audiantur, nihilominus illis remotis possint audiri, saltem ab ipso proferente.

Assentior enim illis (nec puto Navarrum 810. dissentire) qui dicunt voces seu sonos, qui nec Sententia Auctoris. ab ipso proferente audiri possunt, esse potiùs inchoationes verborum, quàm verba. Unde enim scis te proferre verba, si nec tu, nec ullus alius, seclusis omnibus impedimentis, possit ea aure percipere? Verba sunt imaginaria, non vera & realia.

Et sanè non dubitarem de invaliditate consecrationis, aut alterius Sacramenti, quod talibus verbis fuisset peractum. Unde quod dicit Navarrus suprà: *Nemo auderet asserere, quòd sufficeret verba consecratoria concipere mentaliter,*

liter, licèt sufficeret proferre secretò, ita ut nemo illa audiat; intelligo de auditione alterius distincti ab ipso consecrante.

Igitur regula Tamburini estò benignior sit, nequaquam tamen melior, sed communi judicio falsa; & quamvis vera esset, omnino dissuadenda; utì facit Synodus Oecumenica Basileensis sess. 21. Tit. Qualiter Horæ Canonicæ extra Chorum dicendæ sint, ubi sic ait: *Quoscumque etiam alibi beneficiatos, seu in Sacris constitutos, cùm ad Horas Canonicas teneantur, admonet hæc sancta Synodus, si Orationes suas Deo acceptas fore cupiunt, ut non in gutture vel inter dentes, seu deglutiendo, aut syncopando dictiones, nec colloquiis vel risus intermiscendo, sed sive soli, sive associati diurnum, nocturnumq; officium reverenter verbisq; distinctè peragant.* Conc. Basil.

811. Privilegium recitandi mentaliter, quæ sunt secretò dicenda.

Hæc est regula melior & Deo gratior seclusò privilegio legendi mentaliter, de quo suprà fecimus mentionem; & habetur apud Rodriguez inter vivæ vocis Oracula Leonis X. nu. 12. sub his verbis. *Et similiter placeat Sanctitati vestræ, ut ne Fratres mutuo se impediant in Officio divino aut alijs sint fastidiosi, quòd illa quæ in Ordinario iubentur dici secretè sub silentio, tam in Horis Canonicis, quàm etiam in Missa, non teneantur proferre vocaliter; sed satisfaciant dicendo mentaliter, aut legendo intrà se per librum; quia aliqui devotiùs sic dicunt, & absque impedimento, & fastidio aliorum, & eodem modo possit facere, qui dicit Officium per se solus, cùm prolatio verbalis sit præcipuè, ut ab alijs intelligatur.* Et infrà nu. 23. *Omnia præinserta modo præfato, ut fuerunt petita, à præfato Sanctissimo Domino nostro vobis concessa fuerunt.* Circa quod privilegium

812. Ly *mentaliter* sonat recitationem merè internam.

Nota I. ly *Mentaliter*, quod, ut sonat, intelligendum existimo; sonat autem recitationem merè internam sine quacumque prolatione externâ alicujus vocis. Alioquin si accipiatur pro submissa recitatione, ut vult Scortia apud Tamburinum suprà §. 3. n. 2. frustraneum posset videri privilegium, immo ridiculum; quandoquidem illa quæ jubentur secretò dici, non solùm possint, sed etiam debeant quodammodò submissè recitari. Nonne petitio continet ut non teneantur proferre vocaliter? Submissè autem dicere, est proferre vocaliter. Et verò nonne satìs distinguitur hìc recitatio mentalis à submissa, quando dicitur: *Mentaliter, aut legendo intrà se per librum?*

Scortia.

Respondetur ad rationem in contrarium.

Ad rationem Scortiæ, quia aliàs, inquit, posset consecrari mentaliter; Respondeo Negando Consequentiam: cùm enim verba consecrationis sint verba Sacramentalia; Sacramentũ autem essentialiter sit signum externum, planum efficitur, de illis concessionem Pontificis nequaquam posse intelligi, juxta Regulam Juris 81. de Reg. Juris in 6. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter in specie concessurus.* Maximè si in potestate concedentis non est concedere, prout impræsentiarùm non est in potestate Pontificis mutare formam Sacramenti Eucharistiæ, quam Christus instituit in verbis propriè dictis, sive realibus & externis, non autem tantùm mentalibus. Reg. 81. de Reg. Juris in 6.

Nota II. privilegium istud esse concessum pro omnibus etiam non scrupulosis, cùm scrupulosorum nulla fiat mentio, & rationes, quæ allegantur in petitione sint, quòd aliqui devotiùs sic recitent & absque impedimento & fastidio aliorum. 813. Prædictum privilegium est etiam non scrupulosis concessum;

Quamquam & illi qui minùs devotè sic recitarent, adhuc tamen non essent excipiendi, sicut nec isti qui altè possent dicere absque ullo impedimento & fastidio aliorum. Nam veluti cessante fine legis in casu particulari solùm negativè, non cessat ipsa lex; sic nec cessante ratione motiva in casu particulari solùm negativè, cessat privilegium. utì & minùs devotè sic orantibus;

Dices: in primo casu ratio privilegii cessat contrariè; nam ex usu privilegii, ut supponitur, sequitur minor devotio, cùm tamen ratio privilegii sit major devotio. 814. Objectio;

Respondeo, tunc solummodò finis legis cessat contrariè, quando observatio legis esset peccaminosa vel nimiùm difficilis, secùs quando esset minùs bona. Ergo consimiliter tunc tantummodò cessat ratio privilegii contrariè, quando de per se loquendo observatio privilegii foret peccaminosa; secùs quando per accidens meliùs esset privilegium non observare. Jam autem minor devotio non est peccaminosa, cùm ad majorem devotionem non sit obligatio. Responsio;

Nota III. privilegium præfatum intelligendum esse de toto Officio divino, quod privatim recitari solet, quoniam totum dicitur secretò, & ratio privilegii militat in omnibus partibus. Aliud est de Officio, quod recitatur in Choro à Communitate: in illo enim aliqua jubentur dici secretò, alia autem clarâ voce, ut ab omnibus intelligi possint. Patet ex Rubricis Breviarii cap. 13. ubi sic statuunt: *Ad Matutinum hæc per ordinem regulariter dicuntur secundùm diversitatem Officij, nisi aliter in quibusdam diebus annotetur:* Pater noster, Ave Maria, Credo, *omnia secretè, deinde clarâ voce Hebdomadarius dicit, Domine labia mea aperies &c.* 815. Est etiam intelligendum de toto officio quod privatim recitatur. Rubr. Breviarii.

Et verò nimis manifestum est, ea quæ jubentur recitari clarâ voce, nullatenus dici posse dumtaxat mentaliter; est enim implicantia in terminis: & si Pontifex in eo voluisset dispensare, jam dispensasset in Officio publico; etenim tota distinctio Officii publici à privato desumitur à recitatione aliquarum partium clarâ voce, ut à Communitate audiri possint.

816. Tamburinus illud intelligit etiam de partibus Missæ cantatæ, quæ sunt secretò legendæ;

Simili ratione Tamburinus suprà n. 3. intelligit hoc privilegium de illis partibus Missæ cantatæ, quas Sacerdos submissâ voce legere per Rubricas debet. Verba enim generaliter sonant, & nulla est ratio privilegium Principis strictè intelligendi, cùm ergo sit duplex Missa, alia privata, alia publica, & in singulis aliqua jubeantur dici secretò, alia verò clarâ voce, cur non de utraque Missa Pontifex possit, & debeat intelligi?

quod tamen non placet Auctori.

Respondeo; quia indè sequeretur, quòd in Missa solemni Sacerdos mentaliter posset dicere *Antiphonam* & *Psalmum* ad *Introitum*, *Confessionem*, & quæ sequuntur usque ad Orationem *Aufer à nobis* &c. nam illa in Missa privata clarâ voce dicuntur, ut patet ex Rubricis Tit. Rubricæ Generales cap. 16. in principio; omnia autem quæ dicuntur in Missa privata clarâ voce, in Missa solemni dicuntur submissâ voce, exceptis, *Gloria in excelsis*, quando intonatur, *Credo*, *Dominus vobiscum*, *Oremus* ante Orationes, & ante Offertorium, *Præfatio*, *Pater noster*, *Pax Domini*, & *Orationes post communionem*. Ita Rubricæ ibidem nu. 3. Non est autem verisimile, vel Fratres Minores hoc voluisse petere, aut Pontificem hoc voluisse concedere, cùm sic absque ministro omnia illa possent dicere.

817. An Frater Minor qui in Missa uteretur hoc privilegio, uteretur privilegio dispensativo præcepti Regulæ? Probatur sententia negativa primò,

Hæc sufficiant de isto privilegio, quo fortè nullus, saltem in his partibus, utitur. Interim si Frater Minor uteretur in Missa, non propterea uteretur privilegio dispensativo alicujus præcepti Regulæ. Nam quod ponitur cap. 3. in principio: *Clerici faciant divinum Officium secundùm Ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, id est, secundùm Rubricas; illud, inquam, præceptum intelligitur dumtaxat de Horis Canonicis, ut liquidò probatur primò ex differentia, quam ponit inter divinum Officium Clericorum & Laicorum, quod ultimum dividit in septem Horas juxta formam & nomen illarum Horarum Canonicarum. *Laici*, inquit, *dicant viginti quatuor Pater noster pro Matutino; pro Laudibus quinque; pro Prima, Tertia, Sexta & Nona, pro qualibet istarum Horarum septem, pro Vesperis autem duodecim, pro Completorio septem.* Ergo loquitur tantùm de Horis Canonicis.

Secundo.

Secundò colligitur ex illis verbis appositis post præceptum divini Officii, *Excepto Psalterio, ex quo habere poterunt Breviaria.* Ex quibus perspicuum est loqui de illo divino Officio, quod solummodò Horas Canonicas comprehendit, non verò Missas, cùm respectu illarum non dentur Psalterium & Breviaria, sicut dantur respectu Horarum Canonicarum.

818. Objectio.

Si dixeris; Officium divinum æquè propriè stat pro Missis, quàm pro Horis, ut patet ex cap. *Alma mater* 24. de Sententia excommunicationis in 6. ibi: *Sanè à nostris diebus fuit prædecessoribus constitutum, ut in terris seu locis Ecclesiastico suppositis interdicto, nulla (certis casibus & Sacramentis exceptis) divina celebrentur Officia vel ministrentur Ecclesiastica Sacramenta.* Et ex cap. *Dolentes* 9. de Celebratione Miss. ibi: *Districtè præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantùm ex Deo dederit, studiosè celebrent pariter & devotè.* Si, inquam, id dixeris;

cap. 24. in fine, Extravag. in 6. 69. 40 lib. Mis.

Respondeo, in utroque textu allegato apertam fieri mentionem Missæ; in primo quidem ibi: *Adiicimus præterea, quòd singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis Missa celebrentur, & alia dicantur divina Officia.* In secundo autem, ibi: *Sunt & alij qui Missarum solemnia vix celebrant quatuor in anno.* Quid ergo mirum si in illis juribus per ly *Divina Officia*, vel *Divinum Officium*, æquè intelligantur Missæ, quàm Horæ?

Respondeo.

Porrò in Regula nostra non tantùm non fit mentio Missæ, quin etiam ex adjunctis satis determinatur divinum Officium (quod fortè simpliciter positum ex communi apprehensione modoque loquendi comprehenderet tam Missas, quàm Horas) satis, dico, determinatur per adjuncta, ut jam jam ostendimus, ad solas Horas Canonicas.

Instas, ratio Sancti Patris æquè, si non potiùs, in Missis militat. Respondeo, quæ fuerit ratio Sancti Patris nostri, non satis liquet ex isto capite Regulæ. Et quamvis eadem esset ratio, immo potior de Missa, in positivis non valet argumentum à paritate rationis, nisi ad evitandum absurdum. Neque multiplicandæ sunt obligationes Regulæ sine solido fundamento, quod hìc non apparet.

819. Instantia solvitur.

Et sanè si Sanctus Pater per divinum Officium intellexisset Missam, ut volunt quatuor Magistri & Hugo de Dina, qui ubi dicitur: *Ex quo habere poterunt Breviaria*; Breviaria in plurali dividunt in diurnum, quod est Missale, & nocturnum, quod est Horarum; cur utitur solo nomine Clericorum, & ne verbo quidem meminit Missæ, aut Sacerdotum, quorum proprium est Missam celebrare?

Sententia quarta Mag. Sent. quæ communis & certa videtur.

820. Auctor contra Marchantium adducit rationis gravis.

Dico ergo cum nostro Marchantio Expos. in cap. 3. Regulæ tit. 1. q. 3. concluf. 1. & alijs Expositoribus Regulæ: Minores non tenentur ex vi Regulæ ad Missale Romanum. Et ad rationem dubitandi statim propositam Respondeo cum eodem Marchantio, Breviaria in plurali supponere pro pluralitate exemplariorum; neque enim unum Breviarium multitudini sufficere posset, unde & ex eo colligunt passim Doctores, Fratres posse habere usum Breviarii in speciali, ut etiam notavit

Nicolaus III. tavit Nicolaus III. in declaratione sua : *Exijt qui seminat* 3. de Verb. signif. in 6. ibi : *Dicit namque in Regula, quòd Clerici faciant divinum Officium, ex quo habere poterunt Breviaria : ex hoc patenter insinuans quòd Fratres sui habituri essent usum Breviarij*, scilicet in speciali, sicuti in speciali obligantur ad Horas Canonicas recitandas.

FF. Minores obligantur ex vi Regulæ ad Horas Canonicas. Obligantur, inquam, ex vi Regulæ, non tantùm ad ordinem Romanum in Officio divino, ex hypothesi quòd Officium divinum faciant ; sed etiam ad ipsum Officium divinum faciendum. Putas autem quòd Sacerdotes Ordinis FF. Minorum ex vi istorum verborum Regulæ obligentur simpliciter ad celebrandam Missam ? Nemo quòd sciam id hactenus docuit.

821. An FF. Minores ex privilegio Alexandri IV. Quæ cùm ita sint, sine scrupulo alicujus peccati contra Regulam, vel saltem materialis, uti possent Fratres Minores concessione Alexandri IV. quâ, ut refertur in Compend. Privil. verb. *Missa quoad modum* §. 4. *concessit Fratribus Minoribus, ut in Missis votivis Spiritûs Sancti, & Virginis Mariæ*, Gloria in excelsis Deo, *nec non* Sequentias *competentes, tam in solemnibus cantare, quàm dicere possint in privatis, non obstante statuto generali.*

Quæris quod sit illud statùtum ? Respondeo, Innocentii III. cap. *Consilium* 4. de Celeb. Miss. ibi : *Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd apud nos in diebus profestis cùm Missarum solemnia in honorem Beatæ Virginis celebrantur, neque Hymnus Angelicus, neque Symbolum decantatur, licèt in Missa, propria præfatio decantetur, ut inter commemorationem & solemnitatem differentia ostendatur.* Ita Pontifex Archiepiscopo Bracharensi.

822. & Sixti IV. possint dicere *Gloria in excelsis* in Missis votivis? Similem concessionem, & ampliorem Sixti IV. refert Rodriguez qq. Regul. Tom. 1. q. 43. art. 15. sub hac forma verborum : *Concessit Fratribus Minoribus de Observantia, ut possint dicere in omnibus Missis votivis Gloria in excelsis Deo.*

Negat Rodriguez. At modò, inquit Rodriguez, cantantes & dicentes Missam juxta ritum Ecclesiæ Romanæ reformatum juxta Constitutionem Pii V. ut sunt Fratres Minores, jam non possunt uti dictis privilegiis, sed debent dicere Missas juxta supradictum ritum, in quo scriptum invenies, *Gloria in excelsis dicitur, quandocumque in Matutino dictus est Hymnus* Te Deum, *præterquam in Missa Feriæ 5. in Cœna Domini, & Sabbati Sancti, in quibus* Gloria in excelsis *dicitur, quamvis in Officio non sit dictum, Te Deum.* Tit. Rubricæ Generales cap. 8. n. 3.

Rub. Gener. Et ibidem n. 4. *In Missis votivis non dicitur, etiam tempore Paschali vel infrà Octavas, nisi in Missa Beatæ Mariæ in Sabbato, & Angelorum, & nisi Missa votiva solemniter dicenda sit pro re gravi, vel pro publica Ecclesiæ causa.* Hæc digna sunt maturâ consideratione, ne dum utimur privilegiis, tamquam transgressores Rubricarum ab aliis judicemur.

823. Affirmat Auctor, & probat ex Bulla Gregor. XIII. Interim tamen existimo Fratres Minores per se uti posse dictis privilegiis, estò revocata fuissent per Constitutionem Pii V. Moveor, quia Gregorius XIII. Bullâ : *Ex benigna. I.* apud Rodriguez, omnia & singula privilegia Fratrum Minorum ex certa scientia ; & non obstantibus quibuscumque litteris Apostolicis suorum prædecessorum confirmavit, ibi : *Nos igitur &c. præmissa ac omnia & singula alia privilegia, immunitates, exemptiones, libertates, prærogativas, favores, conservatorias, declarationes, facultates, dispensationes, gratias, concessiones, indulgentias, & indulta, spiritualia, & temporalia, etiam per modum communicationis & extensionis inter se & cum alijs Ordinibus Mendicantibus, & non Mendicantibus, eisdem Fratrum Minorum Regularis Observantiæ, ac Sanctæ Claræ & de Pœnitentia tertio Ordinibus &c. in genere, & in specie, etiam per solam signaturam, etiam vivæ vocis oraculo &c. sub quacumque formâ & expressione verborum concessa &c. dictâ auctoritate Apostolicâ tenore præsentium ex certa nostra scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, quatenus sunt in usu & sacris Canonibus & Decretis sacri Concilij Tridentini non adversentur, approbamus, confirmamus & innovamus, perpetuamq; roboris firmitatem obtinere, & firmiter observari &c. decernimus.*

Et infrà : *Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus :* Super Cathedram, *Bonifacij*, & Dudum, *Viennensis Concilij &c. privilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis etiam in forma Brevis per Leonem X. Clementem VII. Paulum III. Julium etiam III. Paulum IV. Pium etiam IV. prædictos, ac etiam Pium V. & quoscumque alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos & Sedem eandem &c. hâc vice dumtaxat specialiter & expressè derogamus.*

Consimili formâ verborum eadem privilegia confirmavit Clemens VIII. Bullâ : *Ratio Pastoralis Officii* 1. apud Rodriguez, omissâ (quod bene notandum est) illâ particulâ : *Quatenus sunt in usu.* Quidni ergo Fratres Minores possint uti dictis privilegiis non obstante Constitutione Pii V. ? Vix dubito quin possint, secluso semper scandalo. & Clementis VIII.

824. An qui utitur prædictis privilegiis celebret secundùm ordinem S. Rom. Ecclesiæ? Rogas ; an qui utitur dictis privilegiis celebret Missam secundùm ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ? Respondeo, & quæro ; an qui facit Officium Sancti Francisci sub Duplici primæ Classis cum Octava, an, inquam, faciat divinum Officium secundùm ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ?

Planè, inquis ; quia id facit Pontificiâ auctoritate, cujus jam est ordinem illum immutare, sicut priùs fuit instituere. Censetur autem immutasse pro Fratribus Minoribus, dum eis concessit privilegium celebrandi

Festum Sancti Francisci sub Duplici primæ Classis cum Octava, quod secundùm communes Rubricas aliis prohibetur.

Responsio optima! Ex qua infero: ergo similiter Frater Minor, qui ex privilegio Pontificio celebrat Missam votivam cum *Gloria in excelsis*, adhuc celebrat secundùm ordinem S. Romanæ Ecclesiæ, quia id facit ex auctoritate Pontificia, cujus jam est Rubricas Missalis immutare, sicut anteà fuit eas instituere; censetur autem immutasse pro Fratribus Minoribus dum eis concessit legere Missam votivam quamcumque cum *Gloria in excelsis*, quod secundùm communes Rubricas aliis prohibetur. Atque hæc sufficiant de istis duobus privilegiis, puta Alexandri IV. & Sixti IV.

825. An peccet mortaliter qui die festivo de præcepto ita submissè recitat Missam ut circumstantes difficulter audiant? Sententia Navarri.

Finem præsentis Sectionis imponet resolutio hujus quæstionis: Utrùm si quis ita voce depressâ recitet, quæ præscribuntur altâ voce in Missa recitanda, ut circumstantes difficulter audiant, præsertim die Festivo de præcepto, peccet mortaliter?

Peccatum esse docet Navarrus de Oratione cap. 16. nu. 54. hisce verbis: Vigesimum sextum corollarium, peccare eos, qui Missam submissam tam submissè recitant, ut circumstantes non possint audire, *Gloria in excelsis*, *Orationem*, *Epistolam*, *Euangelium*, & reliqua, quæ non sunt secretò dicenda. Nam præterquam quod est abusus, utì declaravit statutum Ecclesiæ Gallicanæ, dant occasionem murmurandi, vel saltem imaginandi multa audientibus superflua, ut sæpiùs mihi dederunt, consequenter sunt causa distractionis attentioni contrariæ. Hæc Navarrus.

826. Quæ intelligi possit de peccato veniali, & debet.

Quæ utique commodè intelligi possunt, imò debent de peccato veniali; quoniam materia exigua est. Et sanè de tali peccato dubitari non potest, si omnes Rubricæ ad aliquod peccatum obligant, nisi dicatur consuetudo contrarium præscripsisse: videmus enim passim, etiam à timoratis, voce omnino depressâ (ita ut vix minister ipse possit intelligere, minùs alii remotiùs adstantes) sine scrupulo illa recitari. Neque propterea adstantium quispiam murmurat, potiùs aliqui murmurarent, si Sacerdos altiùs clamaret, quia impedirentur in recitatione privata aliquarum precum, quas solent audiendo Missam sive ex obligatione, sive liberè Deo persolvere.

Consuetudo videtur hodie contrarium præscripsisse.

Quòd autem sit dies Festivus de præcepto, quid refert? Non enim obligantur fideles audire Missam, id est, aure corporis percipere, quæ in Missâ leguntur; sed sufficit devotè interesse, ut diffusiùs edisserò Sectione sequenti, quæ erit ultima præsentis Disputationis.

SECTIO FINALIS

De Præcepto audiendi Missam.

1. *Scotus.*

Rationabile est (inquit Doctor Subtilis 3. dist. 9. q. unicâ n. 4.) *creaturam intellectualem obligari ad aliquando recognoscendum, & reverendum summum Dominum suum. Hoc autem præceptum, sicut alia præcepta affirmativa, obligat semper, sed non ad semper.*

Ad quod præceptum Decalogi pertineat obligatio colendi Deum.

Et si quæritur ad quod præceptum Decalogi pertineat obligatio ad istum actum? Respondet Scotus ibidem: *Potest poni quòd..... ad primum præceptum primæ tabulæ*: Non habebis Deos alienos &c. *Quod præceptum non est tantum negativum de prohibendo adorationem exhiberi alicui, cui non convenit; sed affirmativum, ut habeatur Deus verus, & ut tamquam Dominus adoretur. Quod bene exprimit illud Deuteronomii 6. quod allegat Salvator Matth. 4.* Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies. *ubi ponitur præceptum affirmativum de adoratione, & cum exclusione adorationis seu servitutis exhibendæ alii.*

2. Hoc præceptum non potest impediri pro perpetuo.

Sed numquid potest hoc præceptum affirmativum perpetuò impediri ab executione actûs, quasi numquam occurrat opportunitas exequendi actum hujus præcepti? Negat Doctor suprà n. 5. *Et ideo*, inquit, *simpliciter ad actum hujus præcepti affirmativi aliquando eliciendum, tenetur quilibet adultus.*

Quando obligent.

Rogas iterum, quando? Respondet Scotus: *Pro tempore Legis Moysaicæ videtur determinatio fuisse facta ad actum hujus præcepti per illud tertium præceptum*: Sabbatum sanctifica. *Quod etiam fuit præceptum tempore legis naturæ, ut scilicet aliquo determinato tempore vacaret homo ab operibus servilibus. Et in hac sola negatione non esset observatio præcepti, sed in actu positivo, in sanctificando, id est, magnificando Deum.*

Pro tempore verò Legis Euangelicæ, cultus ille exhibendus Deo in sanctificatione Sabbati determinatur exhibendus die Dominico, & etiam determinatur quantùm ad actum illum secundum, qui debet exhiberi, puta in oblatione illius summi Sacrificij, scilicet Eucharistiæ, quam debet Sacerdos offerre pro se, & pro populo: & in illa oblatione populus etiam offert spiritualiter, scilicet qui tenetur audire Missam totam die Dominico, secundum illud de Consecratione dist. 1. *Missas*. Erit itaque

CON-

CONCLUSIO I.

Ex præcepto Ecclesiæ obligantur omnes, & soli fideles, id est, baptizati, ratione utentes, singulis diebus Dominicis, & Festivis assistere integro Sacrificio.

3. Obligatio audiendi Missam probatur ex communi sensu & traditione Ecclesiæ.

OBligatio audiendi Missam diebus Dominicis & Festivis, optimè probatur ex communi consensu & antiqua consuetudine sive traditione Ecclesiæ. Colligiturque ex Can. 10. Apostolorum, quem refert Gratianus in suo Decreto de Consecrat. dist. 1. c. 62. hisce verbis: *Omnes fideles, qui conveniunt in solemnitatibus sacris ad Ecclesiam, & Scripturas Apostolorum, & Evangelium audiant. Qui autem non perseverant in Oratione usque dùm Missa peragatur, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ commoventes, convenit communione privari.*

Colligitur ex can. 10. Apost.

Item ex Concilio Agathensi.

Clariùs loquitur Concilium Agathense cap. 47. & ponitur eâdem distinctione cap. 64. *Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat. Quòd si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur.*

Meminit autem solius diei Dominicæ, quia illa est quasi generale Festum, in quo fit prima determinatio temporis deputati ad divinum cultum secundùm se: porrò eadem est ratio de alijs Festis. Nam Ecclesia instituens aliquod Festum, intendit præcipere illo die eundem istum cultum, qui præcipitur diebus Dominicis; in hoc enim consistit festivitas illius diei, ut patet.

& Tribu-rienſi.

Hinc appositè Concilium Triburiense cap. 35. *Diebus*, inquit, *Dominicis, & Sanctorum Festis, vigilijs & orationibus insistendum, & ad Missas cuilibet Christiano cum oblationibus est currendum, & tantùm Deo vacandum.*

4. Concernit tam Ecclesiasticos quàm sæculares.

Cuilibet, inquit, *Christiano*; ergo non tantùm hominibus sæcularibus, sed etiam Ecclesiasticis. Nec mireris Concilium Agathense solos sæculares expressisse; hoc namque fecit, non ad limitandum, sed ad augendum, quasi diceret: *Etiam sæculares.* Et ratio clara est; quia si sæculares debent audire, multò magis Ecclesiastici, qui majorem habent obligationem colendi Deum.

Quod non ita intelligas velim, quasi præceptum illud sit naturale, vel divinum; hoc enim sine fundamento dicitur, cùm multis alijs modis Deus possit coli (& quamvis Sacrificium foret necessarium, non tamen propterea singulis diebus Dominicis & Festivis) sed quoniam obligatio colendi Deum est ratio motiva illius præcepti Ecclesiastici, & nulla fuit ratio Clericos excipiendi.

Nisi etiam illo capite, per *Sæculares* intelligantur omnes, qui non sunt Sacerdotes, seu qui non celebrant: Sacerdotes enim celebrantes, eò perfectiùs adimplent hoc præceptum, dicendo Missam, nec tenentur aliam quoque audire.

Verbo ut absoluam, consuetudo est optima legum interpres, quę generaliter leges illas tam quoad personas, quàm quoad loca intellexit, cùm alioquin sint Concilij Provincialis, quod per se universam Ecclesiam nequit obligare.

5. Excipiuntur non baptizati.

Generaliter, dico, *quoad personas*, quæ scilicet præcepti Ecclesiastici capaces sunt. Hinc excipiuntur non baptizati, quoniam de ijs qui foris sunt, Ecclesia non judicat, teste Apostolo 1. Cor. 5. v. 12. & 13. *Quid mihi*, inquit, *de ijs, qui foris sunt judicare? Nonne de ijs, qui intus sunt, vos judicatis? Nam eos qui foris sunt, Deus judicabit.* Quin olim finito Euangelio ante primam oblationem dimittebantur Catechumeni (unde dicta Missa Catechumenorum) vel si qui aderant Gentiles, quibus mysterijs interesse, aut ea videre minimè permittebatur, ut constat ex Clement. lib 8. Constit. cap. 15. quod inscribitur: *Apparatus ad mysticum Sacrificium*, ubi in medio sic legitur: *Dico ego Iacobus Frater Ioannis Zebedæi, ut statim Diaconus dicat: Nullus Catechumenus, nullus Auditor, nullus Infidelis, nullus Hæreticus; Qui primam orationem perfeciſtis, discedite.*

1. Cor. 5.

Clem. Rom.

Excipiuntur secundò parvuli nondum ratione utentes, & eadem est ratio de amentibus. Quomodo enim obligarentur ad humanam assistentiam (quæ sola præcipitur, ut infrà videbimus) qui illius sunt incapaces? *Nemo potest ad impossibile obligari.* Regula 6. de Reg. juris in 6.

Item parvuli & amentes.

6. An quilibet usus rationis sufficiat?

Unica difficultas est, an sufficiat ad hanc obligationem quilibet usus rationis? Communis sententia requirit perfectum usum rationis; id est, talem usum rationis, qualis necessarius ad peccandum mortaliter, illumque docet sufficere. Primæ partis ratio est; quia hoc præceptum, ut inferiùs suo loco ostendo, obligat sub peccato mortali: ergo tantùm illos obligat, qui possunt mortaliter peccare.

Quemadmodum enim nulla imponitur obligatio his, qui nullius obligationis sunt capaces; ita quoque non imponitur gravis obligatio ijs, qui vel defectu ætatis, vel propter amentiam, gravis obligationis sunt incapaces. Oportet ergo quòd puer possit discernere inter peccatum mortale & veniale, ut hoc, & alijs præceptis similibus obligetur.

Porrò cùm pueri ad illos annos discretionis pervenerint, nescio quo solido fundamento excusari possint, nisi fortè specialiter per Ecclesiæ indulgentiam excipiantur, prout exci-

piuntur à lege jejunii, quantùm ad abstinentiam à secunda refectione usque ad completum annum vigesimum primum. Atque hæc sit ratio secundæ partis; quoniam Ecclesia potuit pueros pro illo tempore obligare, & nullum est fundamentum ipsos à lege generali excipiendi.

7. Opinio Marchantii, pueros non statim post septennium obligari sub mortali.

Non desinam tamen hìc apponere opinionem Jacobi Marchantij in Candel. Sacram. qq. Pastor. Tract. 4. cap. 6. q. 2. ubi sic asserit: Quæro secundò, quâ ætate obliget præceptum Missæ? Respondent Doctores obligare post septennium, quia tunc incipit discretio. Sed licèt verum sit, quòd ex tunc, ac etiam anteà pueri assuefaciendi sunt ad audiendam Missam, illos tamen statim ac usus discretionis incipit, dicere obliga tos sub peccato mortali, videtur mihi rigidum.

Ejus probatio,

Tum quia Ecclesia pia Mater non videtur velle obligare tam rigidè statim ac potest, tum quòd practicè videamus, majorem partem puerorum, etiam decimum annum attingentium, in Ecclesia stare tempore Missæ huc illuc circumspiciendo sine attentione requisita, aut etiam sociis corridere, colloqui, nugari, nec vim præcepti talis apprehendere. Quis verò eos statim peccati mortalis velit condemnare?

Non quòd velim dicere, eos non esse capaces peccati mortalis ob ætatem; nam si hoc sit verum, non est difficultas: sed quòd licèt in rigore loquendo sufficientem ætatem & discretionem haberent ad aliquod peccatum mortale committendum, non videatur tamen Ecclesia tanta sub obligatione, seu vinculo tam arcto eos velle statim obstringere, donec perfectiorem usum rationis assequantur, quâ divina mysteria plenìùs apprehendant, & obligationem ac attentionem, quâ illis interesse oportet, plenìùs intelligant.

Quò tempore incipiat gravis obligatio.

Quòd ferè ordinariè circa tempus idoneum, quo idoneitatem incipiunt habere ad Eucharistiæ Sacramentum, putarim contingere, quod ipsum Confessarii prudenti judicio venit expendendum; aliàs anteà solùm venialiter existimarim peccare ob apprehensionem imperfectam tum mysteriorum, tum præcepti ex imperfecto adhuc rationis usu provenientem, per quam fit ut facilè negligant attentionem requisitam, & magis præsentes ibi sint corpore, quàm mente. Hucusque Marchantius.

8. Probatio rejicitur.

Satìs debili, ut apparet, innixus fundamento, scilicet benignâ voluntate Ecclesiæ, nullo signo externo manifestatâ, ac proinde irrationabiliter præsumptâ; præsertim cùm videamus parentes, magistros &c. valde esse sollicitos, ut pueri illi cum debita reverentia Missæ assistant. Quòd autem stent, rideant, fabulentur; quid mirum, cùm etiam viri multi inveniantur, qui à similibus parùm abhorreant & proh dolor sæpè cum scandalo aliorum faciant? Nùm ideo hi minùs apprehendunt suam obligationem & excusandi sunt à peccato mortali?

cùm tale mysterium non facilè cognoscit.

Neque in auditione Missæ tantùm latet mysterium, ut non facilè possit apprehendi ab illis, qui norunt discernere inter peccatum mortale & veniale. Certè longè minus, quàm in sumptione Sanctissimi Sacramenti. Non quòd velim negare pueros sæpiùs excusari in his initijs à peccato mortali ratione ignorantiæ, aut inadvertentiæ; sed dico, suppositâ cognitione præcepti, & ejus gravitatis, quam possunt habere, peccare mortaliter quoties Missam non audiunt cum perfecta advertentia malitiæ. Potuit quidem Ecclesia eos excipere, sicut excepit à præcepto jejunii; sed hoc fecisse, nullo unquam, vel minimo signo ostendit: ergo gratìs illa exceptio præsumitur.

tenus tribuit Ecclesia vim excipiendi.

Atque ut vera esset, sicuti nequidem venialiter peccant non jejunando, ita nec venialiter peccarent non audiendo Sacrum, nisi rursus fingas unum præceptum obligans per se sub mortali, & alterum obligans per se sub veniali.

Unde etiam non placet sententia, quam probabilissimam judicat Dicastillo tract. 5. disp. 5. n. 6. videlicet pueros ante perfectum usum rationis, id est, sufficientem ad peccandum mortaliter, teneri ad audiendam Missam sub peccato veniali. Non placet, inquam, hæc sententia, quia gratis præsumitur voluntas Ecclesiæ priùs obligandi sub veniali, quàm mortali.

9. Sententia affirmans pueros prius obligari ad venialia, quàm gravia, Dicastillo.

Minimè, inquis; nam pro illa præsumptione facit, quòd sufficiat imperfectus usus rationis ad venialiter peccandum, & ut pueri teneantur præceptis naturalibus, non occidendi, non jurandi &c. Cùmque præcepta positiva generaliter lata sint pro omnibus capacibus illorum, & hi pueri capaces sint, saltem ad obligationem sub veniali, nec ipsis constet de tali exceptione, quin potiùs (ut supponimus) jam aliqualem notitiam habeant obligationis Christianorum, quâ tenentur Missæ interesse, eo ipso quòd aliquâ ratione pungat illorum animos obligatio, videntur saltem sub veniali teneri. Ita Dicastillo.

obligationem non sufficientem ad mortale.

10. Oppositio probatur.

Sed (salvo meliori) hæc solùm probant puerum, alioquin capacem peccati mortalis, ob inadvertentiam, vel ignorantiam sæpè excusari à peccato mortali, quod superiùs admisimus.

Dico, *Alioquin capacem peccati mortalis*: existimo enim usum rationis, qui sufficit ad peccandum venialiter, ex perfecta deliberatione, per se quoque sufficere ad peccandum mortaliter. Cur enim nequeat apprehendere gravem malitiam debitè propositam, qui potest apprehendere malitiam levem, vel malitiam in genere? Et verò quid aliud requiritur ad peccandum mortaliter, quàm apprehensio gravis malitiæ?

Dices;

11. Objectio solvitur.

Dices; perfecta apprehensio sive cognitio. Admitto; sed quæro, qui potest perfectè apprehendere sive cognoscere malitiam venialem, cur non etiam mortalem? Vel si puer talis est, ut numquam habuerit perfectam cognitionem alicujus malitiæ vel habere potuerit, dico ipsum nequidem peccare venialiter, non solùm contra præcepta positiva, sed fortè etiam naturalia; non est enim verisimile vel Deum, vel Ecclesiam velle obligare aliquem sub peccato, in cujus potestate nondum est perfectè obligationem cognoscere.

Differentia inter præcepta naturalia & humana.

Et licèt id concederemus in præceptis naturalibus, utpote à Deo & natura cordibus hominum inscriptis, multoque arctiùs obligantibus; equidem si conjecturæ locus est, multò probabiliùs præsumimus Ecclesiam non velle tales homines suis præceptis obligare sub veniali, quàm contrarium præsumant Adversarii.

12. Sotus videtur pueros excusare à legibus humanis usque ad annum duodecimum. *Sotus.*

Cæterùm, an semper pueri statim post septennium habeant perfectum usum rationis, quo discernere possint inter peccatum mortale & veniale, non ausim asserere. Non ergo facilè damnandi sunt peccati mortalis.

Interea illos excusare ab omni obligatione legis humanæ usque ad annum duodecimum, ut videtur facere Sotus 4. dist. 12. q. 1. art. 11. circa finem ante solutionem argumentorum, ubi loquens de præcepto Communionis annuæ, Respondetur, inquit, primùm, quòd pueri non obligantur usque ad duodecimum annum, quando aliis tenentur Ecclesiæ legibus: illud, inquam, multis non videtur probabile, quia sine fundamento contra torrentem Doctorum, & communem praxim Ecclesiæ.

Contrarium docet lex annuæ Confessionis, *Lateranense.*

Sanè lex annuæ Confessionis nihil aliud requirit, ut suo loco vidimus, & verba ipsa legis attestantur, quàm annos discretionis c. 12. de Pœnit. & remiss. in principio: *Omnis*, inquit, *utriusque sexûs fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata* &c.

& lex non ingredienti intra septa Monasterii Monialium. *Trident.*

Præterea Tridentinum sess. 25. de Regularibus cap. 5. statuit: *Ingredi intrà septa Monasterii* (Monialium) *nemini liceat cujuscumque generis aut conditionis, sexûs vel ætatis fuerit sine Episcopi, vel Superioris licentia, in scriptis obtentâ, sub excommunicationis pœna.*

Putas autem quòd puer ante annum duodecimum possit sine peccato ingredi septa Monasterii? Certè consuetudo est manifestè in contrarium, & communis Doctorum sententia. Quamvis fortè non incurreret pœnam excommunicationis, argumento cap. 1. & 2. de Delictis puerorum, ubi pueri infra decimum quartum annum à pœnis saltem gravioribus eximuntur.

13. An pueri eximantur à pœnis.

Dico, *saltem gravioribus*, quòd enim non simpliciter eximantur ab omnibus pœnis, patet ex fine cap. 1. ubi habentur hæc verba clarissima: *At his* (peccatis furti, mendacii, perjurii) *plena est puerilis ætas, quamvis in eis non ita, ut in majoribus punienda videantur*, id est, non æqualibus pœnis.

cap. 1. de delictis puerorum.

Et cap. 2. verb. *Inultum*, notat Glossa puerum decennem, qui alium occiderat, irregularem fuisse effectum, & pœnâ spirituali debere puniri. Colligit, quia in fine capitis dicitur: *Nec ab ipso pro temporali pœna requirat.* Ergo poterat ab ipso requirere pro spirituali pœna; quoniam exceptio firmat regulam in contrarium; *Mitiùs tamen agitur cum eo propter ætatem*, inquit Glossa ibidem.

Quod ergo in eodem textu dicitur: *Unde quoniam in puerîs relinqui solet inultum, quod in aliis provectioris ætatis humanæ leges dicunt severius corrigendum.* Expone cum Glossa, *Inultum*, id est, *non perfectè ultum.*

14. Pueri non incurrunt pœnam ordinariam. *cap. 1. de Sent. excom.*

Saltem ex his juribus colligitur puerum non incurrere pœnam ordinariam. Quod confirmatur ex cap. 1. de Sententia Excommunicationis, ibi: *Si Clerici infra puberes annos se ad invicem aut unus alterum percusserit, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, quia eos ætas excusat.*

cap. 58. eod.

Idem statuitur cap. *Quamvis* 58. ibi: *Nisi imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitiâ, aut inopiâ, puerili, aut senili ætate &c. retrahatur quò minùs Romanum Pontificem possit adire.* Et infrà: *Cæterum quibusdam prædictorum, videlicet qui temporali impedimento laborant, exceptis pueris, sub debito juramento* (*quod secundùm Ecclesiæ formam præstare tenentur*) *consuevit imungi, ut impedimento cessante, ad Apostolicam Sedem accedant.*

15. An pueri propter peræcussionem Clerici incurrant excommunicationem? *Tamburr.*

Ex quo infert Thomas Tamburinus Opusc. de Exped. Comm. cap. 4. §. 2. n. 16. & 17. Ergo pueri illi nullam excommunicationem incurrunt; quia, inquit, nulla alia nisi Papalis in hac re fulminata est.

Sed quis nesciat reservationem posse tolli, manente excommunicatione? Et sicut Pontifex dat potestatem Regularibus absolvendi à plerisque excommunicationibus Papalibus, ità potuisse dare potestatem Episcopo absolvendi pueros ab illa excommunicatione, ratione minoris ætatis?

Sententia affirmativa probatur ex cap. 60. de Sent. Ex. com.

Quin id disertis verbis significat cap. *Pueris* 60. eodem Tit. ubi sic lego: *Pueris, qui in Canonem inciderunt sententiæ promulgatæ* (propter percussionem Clerici, secundùm Glossam ibi) *sive ante sive post pubertatem, postulent se absolvi, potest Diœcesanus Episcopus absolutionis beneficium impartiri, cum propter defectum ætatis, in quæ sunt commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus.*

Tamburinus.

Nota (inquit Tamburinus suprà n. 18.) dicitur ab Episcopo ejusmodi pueros absolvi posse: at posse etiam ab aliis legitimis Confessariis, qui Episcoporum sunt adjutores, non negatur. Meritò igitur colligi potest, eos ab excommunicatione, licèt non à culpa liberos esse. Hæc ille.

Sed

16. in quo dicuntur ab Episcopis absolvendi.

Sed trutinemus singula: *Dicitur ab Episcopo eiusmodi pueros absolvi posse.* Sed numquid à culpa tantùm? Quidni, inquis, cùm excommunicationis nulla fiat mentio, non enim dicit Pontifex: *Pueris, qui in excommunicationem inciderunt*, sed: *Qui in Canonem inciderunt sententiæ promulgatæ*; id est, in Canonem, in quo sententia excommunicationis pro adultis promulgata est

Acutè! Quasi verò Canon sententiæ promulgatæ aliud sit, quàm sententia promulgata. Hæc sunt verba Canonis: *Si quis suadente Diabolo huius sacrilegii reatum incurrerit, quòd in Clericum vel Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo subiaceat.* Si puer non subjacet vinculo excommunicationis, quomodo percutiendo Clericum incidit in Canonem illius sententiæ promulgatæ?

Neque enim ibi specialiter prohibetur illa percussio, sed supponitur jure divino prohibita. Vel si prohibetur, quoniam Ecclesia non solet infligere censuram, nisi propter contumacem inobedientiam contra suum præceptum, certè, ut patet, non prohibetur nisi illis, qui excommunicationem incurrere possunt, & de facto incurrunt, si legem Ecclesiæ non observant. Ergo falsum est illud consequens Tamburini: *Meritò colligi potest eos ab excommunicatione, licèt non à culpa* (scilicet contra legem humanam) *liberos esse.*

17. Percussio Clerici non est culpa reservata si non incurratur excommunicatio.

Atque gratis admisso quòd liberi non essent à culpa, nonne hujusmodi culpa aliquo jure reservata? Cur ergo solius Episcopi fit mentio specialis, & non simpliciter dicitur, à quolibet Confessario posse absolvi? Nam quod dicit Tamburinus, hoc non negari, verum est de explicitâ negatione; at verò implicitè satis negatur, eo ipso, quo solus Episcopus exprimitur juxta illud commune Theologorum axioma: *Exceptio firmat regulam in contrarium.*

Profectò si nullam incurrant censuram hi pueri, ut Tamburinus vult, non solùm rigor legis, id est, pœna legis temperatur, sed omnino tollitur. Tunc autem verè temperatur, quando quidem subjacent excommunicationi, equidem absolvi possunt ab Episcopo; non obstante secundâ parte Canonis: *Si quis suadente*, quæ talis est: *Et nullus Episcoporum illum præsumat absolvere* (*nisi mortis urgente periculo*) *donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandatum susciperit.*

18. Auctores sententiæ affirmativæ immeritò censurantur à Tambur. *Thomas Sanchez, Ioan. Sanchez. Castro Palao.*

Atque ita intellexerunt cap. *Pueris*, suprà citatum, Thomas Sanchez in Decal. l. 1. cap. 12. n. 8. Ioannes Sanchez in Sel. disp. 26. n. 18. & Castro Palaus de Leg. disp. 1. punct. 24. §. 2. n. 9. Quos proinde immeritò dicit Tamburinus suprà n. 15. cursim loca illa legisse, & ideo germanam textûs interpretationem non attigisse. Expendamus, inquit ille, prædictos textûs; inveniemus enim germanam textûs interpretationem, vel à Doctissimis ipsis viris, quando cursim loca leguntur, interdum effugere. Bene dixisti Thoma, sed de teipso; quia verè cursim textum illum legisti.

Sed revertamur ad auditionem Missæ, cujus utique obligatio, atque subjectum obligationis, cùm ex jam dictis satis constent, quæro ulteriùs quanta sit hæc obligatio? Respondeo:

CONCLUSIO II.

Peccant mortaliter, etiam illi, qui notabili parti Missæ non interfuerunt. Talis pars est vel sola consecratio vel saltem consecratio, & communio: quamquam qui illis interfuisset, reliqua autem omisisset, non ausim à peccato mortali excusare.

PEccari mortaliter ab illis, qui omittunt totam Missam, etiam sine contemptu, aut consuetudine, nemo dubitat, præter paucos Doctores, qui sine fundamento existimant nullam legem humanam graviter obligare seclusa contemptu, & consuetudine. Contra illos autem disputare non est hujus loci: sufficere debet cuilibet prudenti commune judicium aliorum Doctorum, & sensus omnium fidelium, à quibus sine urgenti ratione non est recedendum; præsertim cùm nuperrimè ab Alex. VII. damnata & prohibita sit hæc propositio ut minimùm tamquam scandalosa: *Frangens ieiunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subiicere præcepto.*

19. Omissio totius Missæ est mortalis seclusis eius contemptu

20. sicuti & omissio notabilis partis.

Porrò quemadmodum est peccatum mortale omittere, non solùm omnes Horas Canonicas, ad quas aliquis obligatur, sed etiam notabilem eorum partem; sic itidem communi calculo Doctorum, & aliorum fidelium, peccatum est mortale omittere notabilem partem Missæ, ad quam integrè audiendam, ut manifestum est ex juribus Conclusione præcedenti citatis, obligamur.

Solùm hic addo Canonem: *Cùm ad celebrandas* 65. de Consecr. dist. 1. qui desumptus est ex Concil. Aurel. I. cap. 28. *Cùm ad celebrandas Missas in Dei nomine convenitur, populus non antè discedat, quàm Missæ solemnitas compleatur, & ubi Episcopus non fuerit, benedictionem Sacerdotis accipiat.* Quo tacitè innuit solemnitatem non esse completam usque ad benedictionem Sacerdotis, & per illam compleri, cùm tunc nondum legeretur Euangelium Sancti Joannis; hodie verò & hoc Euangelium ad integritatem, & solemnitatem Missæ, quamvis solùm accidentalem, & ut ita dicam, extrinsecam, pertinet.

Auctiuntur

Quod ergo hìc controvertitur, est, quænam sit

Quæ sit pars notabilis ?

sit pars notabilis ? Notandum autem partem Missæ aliam esse notabilem quantitate, quæ videlicet continet magnam partem totius illius actionis Missæ secundùm quantitatem verborum, & cæremoniarum ; aliam verò notabilem dignitate, quæ continet actiones & verba, licèt non multa, comparatione tamen Sacrificii maximi momenti. Hoc prænotato

Alia est notabilis quantitate, alia dignitate.

21. An sola consecratio sit pars notabilis ?

Probatur secunda pars Conclusionis : quia in sola consecratione, saltem in consecratione & communione consistit tota essentia Sacrificii. Quamvis ergo illæ partes, si materialiter & secundùm quantitatem considerentur, parvæ sint, formaliter tamen, & secundùm dignitatem sunt omnium gravissimæ. Cùmque præcipiatur auditio Missæ eo fine ut audiens simul cum Sacerdote Sacrificium offerat ; videtur quòd ille, qui non interest consecrationi, simpliciter & absolutè juxta mentem Ecclesiæ non audiat Missam, hic enim nullo modo consacrificat, cùm essentia Sacrificii probabiliùs consistat in sola consecratione.

Sententia negativa est probabilis.

Equidem, quia finis legis non cadit sub legè, præsertim finis extrinsecus sive legislatoris, & aliunde secundùm probabilem multorum opinionem substantia Sacrificii partialiter consistit in sumptione ; hinc probabile existimat Cardinalis Lugo disp. 22. n. 4 (quem sequitur Diana part. 5. tract. 13. resol. 61.) omittere solam consecrationem non esse peccatum mortale : probabile, inquam, saltem ab extrinseco, propter auctoritatem eorum, qui docent, ut jam jam diximus, substantiam Sacrificii partialiter consistere in sumptione Sacramenti. Unde in praxi poteris amplecti unam vel alteram sententiam.

Lugo. Diana.

22. Consecratio & communio est pars notabilis.

Si tamen abesset, inquit Cardinalis ibidem, consecrationis, & communionis tempore, non satisfeciisset præcepto ; imò si soli consecrationi, vel soli communioni desit, non debet judicari de illa absentia juxta mensuram temporis, quod illi correspondet ; sicut si tanto tempore defuisset, quando legitur Epistola, vel dicuntur v. g. Orationes ; non sunt enim homogeneæ partes Missæ, sed multùm heterogeneæ, & ideo illud breve tempus consecrationis æquivalet longiori tempori aliarum partium : sicuti ipse Sacerdos magis obligatur ad non omittendam unam Orationem ex Canone, quàm quatuor ex Collectis ordinariis.

23. An sufficiat illi interesse ?

Neque ex his rectè infertur contrarium tertiæ partis Conclusionis : quippe consecratio & communio tametsi sint partes magis principales quoad significationem, secùs tamen quoad quantitatem, ut planum est. Interim si quis per integram horam (contra præscriptum Rubricarum Titulo Ritus servandus &c. cap. 8. nu. 3. ibi : *Cùm dicit*, Memento Domine, *elevans & jungens manus usque ad faciem, vel pectus, sic junctis manibus stat pauliſper in quiete*) vellet servare *Memento*, non teneor illi tamdiu assistere, sed possum ad alia negotia divertere, exactâque horâ rédire, & reliquo Sacrificio usque ad finem interesse.

Ratio in promptu est, quia mora illa impertinens est ad Sacrificium ; & sine illa Missa jam integra remanebat ; sicuti si aliquis per horam ex justa causa interrumperet Sacrificium, quis dubitare potest me satisfacere, si utrique parti interruptæ assistam, etsi tempore interruptionis ad alia negotia peragenda discedam ?

24. Quæ sit pars notabilis quoad quantitatem ?

Porrò si à me quæritur, quæ præcisè notabilis pars quoad quantitatem ? Similiter quæ sit levis pars ? Respondeo ; pendet à prudenti judicio, unde nequit certa regula assignari, sed unusquisque judicat secundùm id quod sibi videtur.

A principio usque ad Euangelium exclusivè, non est pars notabilis.

Recepta satìs sententia est, quòd à principio usque ad Euangelium exclusivè ; non sit pars notabilis. Aliqui etiam Euangelium includunt, si audiatur Euangelium Sancti Joannis in fine Missæ. Nam hoc Euangelium jam est aliquo modo pars Missæ ; ut suprà dicebam, & aliunde probabile est non teneri Fideles ad audienda duo Euangelia, neque ad assistendum nisi usque ad dimissionem seu benedictionem ; & ideo audiendo postremum Euangelium Sancti Joannis, videtur posse compensari aliud Euangelium in principio omissum, & ita satisfieri præcepto.

25. An sufficiat quod omissum postea legatur ?

Sed numquid etiam satisfacio præcepto, si veniens post lectum primum Euangelium, postea in Sacristia lego, vel audio à legente, quæ non audivi ? Affirmat Sa verb. *Auditio Missæ* n. 2. Citatur etiam Navarrus cap. 21. Man. n. 2. ibi : Et quòd legendo per se post Missam partem omissam, saltem quæ non esset notabilis, vel audiendo lectam ab alio, satisfaceret juxta Auctorem Margar. Confess.

Emm. Sa.

Verùm hæc sententia aliis communiter non placet, & meritò ; nam ut notat Suarez disp. 88. sect. 2. §. *Addit verò Navarrus* : lectio Euangelii extra Missam, neque est pars Missæ, nec facit unum cum illa ; nec cadit sub hoc præceptum ; unde impertinens est ad implendum illud : nam si quis absque culpa ob impotentiam initium Missæ omittat usque ad Euangelium inclusivè, non tenetur postea ex vi hujus præcepti ad legendum Euangelium ; non enim est unde hæc obligatio oriatur, nec consuetudo id habet.

Suarez.

26. Si omittantur post communionem dicendas, non graviter peccatur.

Docet ibidem Suarez §. *Secundo sequitur*, & consequenter ad ea, quæ jam dicta sunt, non esse peccatum mortale, si omittantur illa tantùm, quæ sunt post communionem usque ad finem : immo quamvis aliquid ex principio, & fine omitteretur ; v. g. si à principio Epistolæ usque ad communionem inclusivè, quia Epistola æquivalere censetur Orationibus, quæ post communionem sequuntur.

27. Ministri necessariis obsequiis intenti, non censentur partes non auditas omittere,

Illud etiam adverterim ex eodem Auctore §. *Ex hac certa Conclusione*; eos, qui Missæ inserviunt, quamvis aliquas ejus partes non videantur percipere vel audire, dum per Ecclesiam discurrunt, vel ad Sacristiam accedunt, ut vinum, thus & similia ad Missam necessaria adferant, non tamen propterea esse censendos partem ullam Missæ omittere, sed potiùs toti assistere, cùm toti inserviant, & ad hoc semper intendant.

dummodò id bonâ fide faciant.

Quod intelligendum est, dummodò bonâ fide procedant, & mediocrem diligentiam adhibeant, ne plùs justo & sine necessitate absint, aut in Sacristia vel aliis locis immorentur. Nam si Acolythus v.g. dum quærit ignem in culina, velit ibi sumere jentaculum, quis dubitet ipsum tali tempore non assistere iis, quæ leguntur vel cantantur in Choro?

Debent etiam non reservare in illud tempus earum rerum præparationem, quæ ante Missam præveniri possunt & solent, si tamen contingat hujusmodi ex oblivione vel incuria fuisse omissa, tunc licitum erit ob eam causam abesse, quia omnino expedit ut ad integram Missæ solemnitatem nihil desit: quamquam si oporteret magnam partem Missæ omittere ex accidentali occasione, v.g. si deesset vinum & extra Ecclesiam quærendum esset, tunc teneretur aliam Missam audire, si posset, si autem non posset, excusaretur ratione justi & debiti ministerii.

28. Omissio etiam minimæ partis sine causa est culpabilis;

Cæterùm quamcumque partem, etiam minimam, non omittes sine legitima causa, & sine peccato. Qui enim præcipit integram Missam audire, prohibet aliquid omittere, quod spectat ad ejus integritatem; sicuti qui præcipit recitare totum Officium divinum, consequenter prohibet vel minimam partem omittere.

ex causa excusatur à culpa.

Dixi, *Sine legitima causa*; quia ut bene Suarez suprà §. *Sed quæres*; si quis accedat ad Ecclesiam animo audiendi integram Missam, & casu inveniat aliquam inchoatam in Orationibus, vel Epistola, & illam audiat. Vel si à principio eam audivit, & postea justâ aliquâ ortâ occasione cogitur discedere statim post communionem Sacerdotis, non peccat etiam venialiter, quia illa partialis omissio tunc, non solùm est levis, sed etiam est involuntaria & casualis, vel habet sufficientem excusationem: secùs esset, si quis sciens & videns nolit ingredi Ecclesiam, donec Epistola dicta sit, animo adimplendi præceptum, reliquum Missæ audiendo: tunc enim semper venialiter peccatur.

29. Quidam putant dari partem tam parvam, ut sine peccato posset haberi omitti,

Nihilominus existimant aliqui partem tam parvam posse esse, ut nullum omnino sit peccatum, etiam voluntariè omittere; quod licèt Suario ibidem non placeat, videtur tamen conforme communi dicto Theologorum, *In moralibus quod parùm est, pro nihilo reputatur*; adeòque impræsentiarùm per illam omissionem non violaretur in morali æstimatione & reputatione integritas Missæ. Quis enim dixerit non integrè persolvere divinum Officium, qui semel voluntariè omisit ly *Amen*, aut aliquod aliud verbum? Quid si ergo quispiam nolit ingredi Ecclesiam, donec Sacerdos dixerit: *In nomine Patris & Filij & Spiritûs Sancti*; *Introibo ad Altare Dei*? Certè videtur posse excusari ab omni peccato, nisi fieret ex contemptu. nil id fieret ex contemptu,

Immo inveniuntur, qui excipiunt Confessionem Sacerdotis, quia putant non esse partem Missæ. Sed falluntur: nam pro tali agnoscitur à Rubricis Titulo Rubricæ Generales cap. 16. in principio, ubi sic habetur: *In Missa privata clarâ voce dicuntur, Antiphona & Psalmus ad Introitum, Confessio, & quæ sequuntur* &c. Ergo est vera pars Missæ, sicuti aliæ quæ ibidem enumerantur, puta *Introitus*, *Kyrie eleison* &c. Nullibi enim Rubricæ contrarium insinuant, nec est major ratio pro uno, quàm pro alio. Confessio Sacerdotis est pars Missæ,

30. Partes minimæ omissæ non sunt post sapientiorum sententiam,

Rogas, an illa minima, quæ omissa sunt, sive culpabiliter, sive inculpabiliter suppleri debeant in alia Missa? Negat Suarez suprà, etiamsi fieri posset; quia jam præceptum est substantialiter impletum, illeque modus supplendi istum defectum est valde imperfectus, & non multùm conducens ad Missæ integritatem; neque res morales sunt adeò rigorosè expendendæ, præsertim quando leviores sunt.

Communis negativa

Sed contrà: quæro primò; an qui omisisset partem non notabilem Horarum Canonicarum, teneatur eam supplere, si commodè possit? Præterea inquiro; an modus supplendi defectum notabilem, sit magis perfectus & multùm conducens ad Missæ integritatem? Tertiò rogo; quis sit ille modus supplendi, quem Suarez suprà negat necessarium, quando omissa fuit pars non notabilis; affirmat autem §. sequenti necessarium, quando omissa fuit pars notabilis?

31. ex necessitate supplendi partem notabilem,

Sanè si intelligat auditionem alterius Missæ, consentio illam non esse necessariam, quando omissio non fuit notabilis, quis enim audeat dicere eum, qui omisit unum vel alterum Psalmum ex Matutino, postea debere repetere totum Matutinum? Sin autem intelligat auditionem partis dumtaxat alterius Missæ, quæ in priori omissi fuit, res non caret difficultate. Nam si tali modo potest suppleri defectus substantialis, multò magis accidentalis, ut fatetur ibi Suarez §. *Sed tunc inquiri potest.* Et si potest, cur non debet?

Si facilè fieri potest,

Nonne in divino Officio tali modo suppletur defectus? Planè, etiam quando involuntariè contigisset, v. g. si quis omisisset ex Matutino duos aut tres Psalmos, vel ex oblivione,

vione, vel quia seriùs venit ad divinum Officium. Aut certè si res illæ morales, quia leviores, non debent suppleri, quando commodè possunt, cur primò debeant poni, & non sufficit in illis moralibus ponere substantiam rei?

Videndum ergo an tali modo possit suppleri substantia præcepti, in quo Auctores non conveniunt, aliquibus negantibus, aliis verò affirmantibus. Hæc est nostra sententia:

CONCLUSIO III.

Non satisfacit præcepto audiendi Missam, qui simul audit plures partes diversarum Missarum, fortè nec qui successivè.

32. An possit suppleri defectus substantialis in alia Missa? *Suarez.*

DIco signanter, *Fortè*, quia communiter Auctores, inquit Suarez disp. 88. sect. 2. §. *Sed tunc inquiri potest*, docent satis esse audire in altera Missa partem omissam in alia, adeò ut licèt ex directa intentione id fiat, censeant sufficere ad substantiam præcepti implendam; quamvis si absque causa fiat, peccatum veniale sit propter nonnullam irreverentiam. Ita tenet Major 4. dist. 12. & dist. 45. qu. 2. Soto dist. 13. qu. 2. art. 1. Navarrus in Summa cap. 21. n. 2. & cap. *Quando* de Consecratione dist. 1. not. 10 n. 18. & sequentibus, & Recentiores communiter hoc sequuntur. Hucusque Suarez.

Major. *Soto.* *Navarrus.*

Diana. Vide Diana part. 2. Tract. 17. Resol. 18. & 5. part. Tract. 14. Resol. 52. qui ultimo loco sic ait: Non est dubium quòd satisfacit, si priorem partem Missæ priùs audiat, & posteriorem posteriùs. Difficultas est in casu proposito quando priùs ab uno Sacerdote audio posteriorem partem, & deinde ab alio priorem, & neminem inveni hoc dubium pertractare, nisi Turrianum in Selectis disp. part. 2. disp. 16. dub. 7.

Turrianus. Mirum profectò virum alioquin copiosissimum in citandis Auctoribus, apud neminem præter Turrianum hoc dubium inveniisse, cùm omnes qui de hac re tractant illud dubium supponant; loquuntur enim de casu non metaphysico, sive qui rarò evenit; v. g. ut quis auditâ priori parte Missæ ab Ecclesia recedat, & postea audiat posteriorem; sed de casu communissimo, v. g. dum ex negligentia vel inadvertentia, aut certè justa aliqua causa seriùs venio ad Ecclesiam, & invenio Missam perveniisse ad Offertorium, aut Consecrationem, & in illo casu docent plurimi, quos citat & sequitur Dicastillo disp. 5. n. 39. sufficere ad substantiam præcepti implendam, audire in Missa sequenti, partem omissam in præcedenti.

33. Fundamentum sententiæ affirmativæ.

Fundamentum illorum Auctorum est: quia præceptum solùm obligat ad audiendam totam Missam, non verò quòd ab uno Sacerdote continenter audiatur; hoc enim non habetur in verbis Legis, ut patet in citatis juribus; sed qui ab uno Sacerdote audit Missam unam ab Offertorio v. g. vel Consecratione; ab alio verò audit aliam à principio usque ad Offertorium vel Consecrationem, reverà audit totam Missam, licèt non ab uno Sacerdote: ergo implet præceptum. Ita Suarius. Et prosequitur:

34. Objectio.

Dices, illum non audire Missam debito ordine, cùm priùs posteriorem partem, postea priorem audiat (ecce casum, quem Diana non invenit pertractare nisi Turrianum) at verò in dicto capite *Missas* (quod vide concluſ. 1.) signatim præcipitur, ut *speciali ordine* audiat. Quòd si dicas, saltem posse è contrario fieri, ut priùs pars prior Missæ, & deinde posterior audiatur: contra hoc est; quia saltem jam illa sententia non erit in universum vera: & deinde etiam in prædicto casu, non videtur servari debitus ordo Missæ, quandoquidem non continuè, nec per modum unius integri Officii Sacri auditur.

Responsio.

Sed ad hoc facilè respondent Adversarii; ordinem partium non spectare ad substantiam præcepti, adeòque inversionem ordinis præcisè non sufficere ad inducendum peccatum mortale. Probant à simili in Horis Canonicis; nam qui privatim recitaret priùs Laudes, quàm Matutinum, priùs Vesperas, quàm Primam, & sic consequenter non peccaret mortaliter propter præcisam inversionem ordinis; quia adhuc legeret totum & integrum Officium. Neque magnam vim habent illa verba textûs: *Missas audire speciali ordine præcipimus*, quia illud verbum, *speciali ordine*, non videtur construendum cum verbo, *Audire*; sed cum verbo, *Præcipimus*, ut sensus sit: *Speciali ordinatione seu lege præcipimus Missas audire.*

35. Probatur sententia negativa *Suarez. Lugo.*

Ideo Suarius suprà fundat contrariam sententiam (quàm ipse amplectitur cum aliis, quos citat, & sequitur Cardinalis Lugo disput. 22. nu. 8.) in alio verbo ejusdem textûs, scilicet, *Missas totas*, adjunctâ & morali & physicâ ratione: quia totum, inquit, propriè non significat partes disjunctas & quovis modo aggregatas, sed unitas & debito ordine conjunctas, maximè si totum artificiale sit; sed illæ duæ partes Missæ sunt disjunctæ & diviſæ, nec debito ordine & modo conjunguntur ad unam Missam componendam: ergo audire illas duas partes non est audire Missam, vel totam Missam.

& confirmatur.

Et confirmatur; nam hâc ratione, si unus Sacerdos nunc consecraret Corpus, & post horam consecraret Sanguinem, factâ interruptione morali; v. g. exuendo se vestibus sacris,

& aliquid aliud interim agendo, non efficeret unum Sacrificium, neque unam Missam diceret; quia licèt in re efficeret utramque partem, non tamen illas efficeret conjunctas & unitas, prout necesse est ad hoc Sacrificium: ergo idem est de audiendo.

36. Alia probatio ex absurdo quod sequitur ex sententia affirmativa.

Et augetur præterea difficultas; quia aliàs sequitur posse aliquem implere Missæ præceptum audiendo simul duas partes Missæ, ut si v. g. in uno Altari una inchoetur, & in alio alia continuetur (& idem argumentum fieri potest de tribus Altaribus &c.) consequens autem est valde absurdum, quod nemo hactenus concessit, quem ego viderim. Sequela verò patet; quia etiam ille audit totam Missam; potest enim utrique esse sufficienter præsens, & sufficientem attentionem adhibere.

Quòd verò simul id fiat non refert; quia etiam potest quis simul duo præcepta implere, scilicet recitare Horas Canonicas, & audire Missam in die Festo. Neque etiam refert brevitas temporis, quia hæc est per accidens, ut patet in dicto exemplo, nam qui tempore Missæ recitat Horas, breviùs tempus in divinis rebus consumit, quàm si singula suis temporibus faceret.

37. Præfertur sententia negativa affirmativæ, *Suarez*,

Propter hæc (pergit prædictus Auctor) suspecta mihi semper fuit illa doctrina, quam nonnullis etiam modernis Theologis & Jurisperitis displicere video, quia reverà est parùm consentanea intentioni Ecclesiastici præcepti, ac religioni & reverentiæ debitæ huic Sacrificio.

Et saltem censeo valde pertinere ad substantiam hujus præcepti, ut tota Missa Fidelium ab oblatione usque ad consumptionem, continuè & per modum unius Sacrificii audiatur, ut debito modo possit audiens suas partes exhibere ad integrè offerendum Sacrificium per Sacerdotem, eo modo, quo sibi possibile est; quoad accidentalia verò faciliùs admitterem, posse prædicto modo suppleri maximè ob aliquam probabilem causam vel necessitatem; nam sine illa res est reprehensione digna.

38. qui tamen sequeretur affirmativè non peccaret mortaliter,

Nihilominus propter auctoritatem dictorum Auctorum, non potest practicè condemnari contraria sententia, & ideo qui ex illa fuerit operatus, non peccabit mortaliter. Et ad rationes in contrarium dici potest cum Glossa in cap. *Quorumdam* dist. 23. in Missa, quia ejus unitas est cujusdam solemnitatis, posse ex duobus imperfectis unum aliquo modo constitui, ita ut saltem sufficiat ad implendum præceptum: nam si quid deest ad perfectionem, non censetur sufficiens ad culpam mortalem, & talis posset intercedere causa, ut excuset etiam à veniali. Hucusque Suarius, ut vides probabiliter pro utraque sententia, quamvis inclinet in negativam videlicet non satisfieri præcepto quoad substantiam per auditionem plurium partium diversarum Missarum, & ideo communiter pro illa citetur.

39. immo est veniale, quia est absolutè probabile.

Ex his liquidò constat veritas posterioris partis Conclusionis, nimirùm præcepto audiendi Missam fortè non satisfacere, qui successivè audit plures partes diversarum Missarum; nam opinio affirmans satisfacere, probabilis est, saltem per principia extrinseca. Quod me maximè movet est taciturnitas Ecclesiæ, quæ scit legem suam ita explicari à Doctoribus tum antiquis, tum recentioribus, & tamen cùm commodè possit, non contradicit.

Disparitas inter Horas Canonicas & Missam.

Nam quantùm ad simile Horarum Canonicarum, illud parvi æstimo, certum enim est celebrationem Missæ majorem requirere connexionem & ordinem partium, quàm recitationem Horarum. Quis namque ignorat indebitè celebrare Missam, imò absolutè non celebrare Missam, qui horâ 6. matutinâ consecrat solùm Corpus, & nulla existente rationabili causâ interruptionis, horâ sextâ vespertinâ consecrat sanguinem? Et tamen qui horâ sextâ matutinâ legeret primum nocturnum & merè voluntariè horâ sextâ vespertinâ adjungeret secundum, & tertium, adhuc diceretur verè & integrè recitasse Matutinum.

Licèt ergo recitare integras Horas non sit aliud, quàm recitare omnes partes, hoc, sive illo tempore, isto, sive illo ordine, equidem celebrare totam sive integram Missam, ut mox ostendimus, insuper importat certum quemdam ordinem & connexionem partium: ergo similiter audire totam & integram Missam, nisi alia fuerit mens Ecclesiæ.

40. Alia disparitas ex Lugone.

Aliter respondet ad illud simile Cardinalis Lugo suprà n. 11. ex Laudibus & Matutino recitatis ordine præpostero posse bene constitui unum Officium integrum, quia ad unitatem orationis sufficit unitas orantis, & petentis illa omnia: sic etiam ad unitatem Sacrificii requiritur unitas Sacrificantis, qui non est idem in casu nostro, sed duo Sacerdotes diversi. Sed etsi esset idem Sacerdos, ut posset esse, quando idem celebrat duas vel tres Missas; adhuc non esset idem Sacrificium ex partibus diversarum Missarum, quia res oblata non esset omnino eadem: sicut si quis jugularet unam ovem, & combureret alteram, non fieret holocaustum ex illa jugulatione & combustione: sic ex consecratione sub his speciebus & consumptione sub aliis, non fit holocaustum; quia debet per holocaustum consummari victima secundùm statum, quem habuit in prima parte ejusdem holocausti, ut constat in exemplo de Sacerdote, consecrante unam hostiam, & sumente aliam, qui non dicitur celebrasse Missam integram, quia non consummavit, idem, quod incepit sacrificare. Hæc ille.

Sed

41. Physica unitas sacrificantis non est necessaria ad unitatem Sacrificii,

Sed reverà (ut præteream unitatem audientis, sive assistentis Sacrificio, quam Adversarii putant sufficere ad auditionem unius Missæ, de qua hîc tantùm agitur) unitas Sacrificantis, saltem physica, non apparet necessaria ad unitatem & integritatem Sacrificii; ut patet quando Sacerdos post consecrationem moritur, & ab alio succedente perficitur Sacrificium inceptum. Quocirca minimè dubitandum, quin per auditionem hujusmodi Sacrificii perfectissimè satisfiat præcepto Ecclesiæ.

Dixi, *Saltem physica*; quia justa causa interruptionis, & successio in locum defuncti faciunt, ut moraliter reputetur idem Sacerdos.

neque unitas orantis sufficit ad unitatem orationis.

Deinde non puto unitatem orantis sufficere ad unitatem orationis, nisi velis Officium feriale, quod hodie recito esse unum Officium integrum, cum Officio de Sancto, quod crastinâ die recitabo; quæ tamen Officia sunt omnino distincta, & nemo hactenus appellavit unum partem alterius.

42. Ex quo desumenda unitas & integritas Horarum Canonicarum?

Rogas; ex quo ergo desumatur unitas & integritas Horarum Canonicarum, quando præpostero ordine, & interruptim leguntur? Respondeo, ex voluntate Ecclesiæ, quâ voluit omnes illas orationes esse partes unius & ejusdem Officii, quocumque ordine recitarentur, vel tempore intrà eundem diem, ex voluntate, inquam, Ecclesiæ, quâ vult ut omnes illæ orationes habeant idem principale argumentum, & dum ab illis cessatur, reliquantur incompletæ.

Quid si enim Prima cantetur in Choro ab his, qui non interfuerunt Matutinis præcibus, nùm ideo illæ partes non constituent unum & integrum Officium? Liquet profectò quòd constituent. Quid si aliquis declamationem inchoaret ante prandium, & post prandium perficeret, nonne diceretur habuisse unam declamationem, si habuerit idem argumentum, & dum cessaret, incompletam reliquerit? Planè.

43. Ex confessionis interruptim factæ?

Sic etiam ex multis confessionibus fit una, dum in ultima impenditur absolutio, non præcisè propter unitatem confitentis (nam si manè acciperet unam absolutionem, & post prandium aliam, verè dicerentur & essent duæ confessiones) sed propter unitatem absolutionis, quâ omnes illæ confessiones fuerunt completæ & perfectæ.

Similiter declamatio illa non est una propter unitatem declamantis, nam etsi alii fuissent declamatores post prandium, equidem una censeretur, & licèt iidem fuissent, censerentur duæ, si declamatio pomeridiana aliud habuisset argumentum, & antemeridiana fuisset completa & perfecta.

Cæterùm ut ita ratiocinemur de pluribus partibus diversarum Missarum, quando successivè audiuntur, me maximè movet, ut suprà dixi, taciturnitas Ecclesiæ.

44. An satisfaciat qui audit plures partes simul?

Si inferas; ergo etiam satisfacit præcepto audiendi Missam, qui simul audit plures partes diversarum Missarum. Respondeo Negando Consequentiam. Quamvis enim aliqui sint, qui id doceant tamquam probabile, quos citat Diana suprà, & sequitur Dicastillo n. 40. equidem contra communem Doctorum & fidelium sensum sine solido fundamento. Nam simile, quod adferunt, videlicet quia potest aliquis eodem tempore tres Missas audire & satisfacere pœnitentiæ injunctæ de audiendis tribus Missis, æquè incertum est, & puto nullum hactenus Confessarium injunxisse tres Missas audiendas, quin intellexerit Missas successivas, & indubiè sic semper intelligendus venit, nisi aliud expressè significet.

Diana. Dicastillo.

Communis sententia negat.

Porrò quòd eodem tempore possim satisfacere pluribus præceptis, v. g. recitare Horas, ad quas obligor, & audire Missam in die Festo, verissimum judico: Ergo etiam satisfacere præcepto audiendi Missam, simul audiendo plures partes diversarum Missarum, Nego Consequentiam.

45. Non valet argumentum à satisfactione simultanea plurium præceptorum.

Ratio discriminis; quia legere Horas, & audire Missam, sunt actiones planè distinctæ, quæ se mutuò compatiuntur in eodem tempore, sicuti audire Missam & legere alias preces non obligatorias, ut patet ex usu totius Ecclesiæ; at verò plures partes Missæ, quemadmodum in dicendo requirunt tractum temporis, ita & in audiendo. Sicuti enim celebratio Missæ est actio successiva, habens veras partes sibi mutuò succedentes, ita quoque auditio Missæ; siquidem præcipit Ecclesia interesse actioni celebrationis.

46. Partes simul auditæ nullatenus sunt partes ejusdem Missæ.

Herculè Ecclesiam cogitasse de hujusmodi modo audiendi Missam, quasi instantaneo, non est credibile. Quippe omnes illæ partes sic auditæ non sunt plures partes ejusdem Missæ, vel saltem moraliter, sicuti quando audiuntur diversis temporibus, sed reputantur tamquam unica pars, & sic nullo modo dici potest, quòd ille audiat integram Missam.

Nonne si aliquis homo haberet intellectum Angelicum, ita ut posset attendere ad primum versum Horæ Canonicæ recitando illum, & simul ad plures alios, qui eodem tempore à sociis recitantur, tali recitatione satisfaceret suæ obligationi? Minime, estò satisfaciat, si ipse recitet unum versum, & audiat successivè alium à socio recitari.

47. Objectio.

Dices; Ecclesia scit illam sententiam à multis doceri, & tamen non contradicit: ergo similiter & ipsa tuta est in praxi, veluti de priori dictum fuit.

Respondeo; Ecclesiam satis contradicere, quando plerique Doctores & sanior pars contradicit, & repugnat communis sensus fidelium, qui persuasum sibi habent præcipi, ut

fideles interſint actionibus integræ Miſſæ ſucceſſivè & cum tractu temporis faciendis, ne fortè ſex, aut octo Sacerdotibus ſimul diverſas Miſſæ partes celebrantibus, poſſit quis voluntati Eccleſiæ ſatisfacere ſpatio duorum circiter minutorum, quod meritò Suarius ſuprà vocavit valde abſurdum. Nec ſcitur unquam ab aliquo practicatum.

Suarez.

Sed neque practicandum unquam eſſe, declaravit Facultas Theologica Lovanienſis a. 1657. 4. Maii perſtringens hanc propoſitionem *Satisfacit præcepto Eccleſiæ de audiendo ſacro qui duas eius partes, immo quatuor ſimul à diverſis celebrantibus audit* perſtringens, inquam, ſequenti cenſurâ: *Falſa eſt, & præceptorum Eccleſiæ eluſiva, nec maiorem habet apparentiam de quatuor Sacri partibus, quàm de viginti.*

Atque ex his ſatis probata manet prima pars Concluſionis, eſtò ſatisfieri poſſet præcepto per auditionem plurium partium diverſarum Miſſarum ſucceſſivè, quod ſcimus ab aliquibus practicari, qui exiſtimant Eccleſiam non velle obligare ad amplius, quàm ut certâ temporis protractione fideles interſint actionibus integræ Miſſæ, etſi propriè & in omni rigore non ſpectent ad unam Miſſam, nec ſint unius Sacrificii.

Sed numquid perinde eſt quam Miſſam audiant, privatam, an ſolemnem? In propria Parochia, an in Eccleſiis Regularium, aut certè in privato Oratorio? A Sacerdote bono, vel malo, excommunicato &c. ſtando, vel ſedendo, aut flectendo? Reſponſio erit

CONCLUSIO IV.

Ut adimpleas præceptum audiendi Miſſam, perinde eſt privata ſit, an ſolemnis, ubicumque celebretur (niſi obſtet ſpecialis prohibitio) à quocumque celebretur Sacerdote, Ritu Græco, an Latino, de die, ſive Votiva, aut pro defunctis, quocumque ſitu audiatur.

48. Satisfit præcepto quocumque ſitu audiatur Miſſa.

INcipio ab ultimo, quod non indiget longâ probatione; ipſa enim experientia docet quoſdam ſtando, alios ſedendo, ægrotos etiam in lecto jacendo audire Miſſam diebus Dominicis & Feſtivis, & nemo arguit eos de tranſgreſſione præcepti, ſalvâ ſemper debitâ reverentiâ, & ſecluſo ſcandalo.

Unde quòd aliqui corripiantur, qui tempore elevationis Auguſtiſſimi Sacramenti Corporis & Sanguinis Chriſti impudenter manent ſtantes, vel ſedentes, aut uno genu flectunt, non eſt ideo, quia tali ſitu corporis nequeunt ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam; nullo enim jure poſitivo certus ſitus præſcribitur; ſed quoniam non exhibent debitam jure naturali reverentiam Corpori, & Sanguini Chriſti, ſive ipſi Chriſto & Deo, quem credunt, aut ſaltem credere debent ſub ſpeciebus realiter contineri.

Certus enim ſitus nullo jure præſcribitur.

Prima quoque pars Concluſionis, utì & ſecunda per ſe notæ ſunt ex communi ſenſu Doctorum & Fidelium; quorum major pars audit Miſſam privatam abſque vel minimo Scrupulo leviſſimi peccati. Nec magis timent de peccato, etſi Miſſam non audiant in propria Parochia; ſed in Eccleſiis Regularium, aut in aliena Parochia; eſtò aliqua jura contrarium ſignificare videantur, nimirum Fideles teneri ad audiendam Miſſam ſolemnem in ſua Parochia.

49. An poſſit celebrari Miſſa ſolemnis aut privata in propria Parochia.

Audiamus Sixtum IV. Extravag. De Treuga & pace, c. 2. ibi: *Quòdque Fratres Mendicantes non prædicent, populos Parochianos non teneri audire Miſſam in eorum Parochiis Diebus Feſtivis & Dominicis, cum iure ſit cautum illis diebus Parochianos teneri audire Miſſam in eorum Parochiali Eccleſia: niſi forſan ex honeſta cauſa ab ipſa Eccleſia ſe abſentarent.*

Videatur quod dic. Extravag. de Treuga & pace c. 2.

Quæris quod ſit illud jus, quod Pontifex hìc citat? Reſpondeo cap. 2. de Parochiis, ubi ſic dicitur: *Ut Dominicis vel Feſtivis diebus Presbyteri, antequam Miſſam celebrent, Plebem interrogent, ſi alterius Parochianus in Eccleſia ſit, qui proprio contempto (nota bene) Presbytero, ibi velit Miſſam audire, quem ſi invenerint, ſtatim ab Eccleſia abiciant.*

& cap. 2. de Parochiis.

Et quamvis hæc jura non loquantur expreſsè de Miſſa ſolemni, & majori; tamen reverà videtur de illa eſſe ſermo, nam tunc temporis ſic moris erat. Et de illa planè loquitur Can. *Omnes fideles*, Can. *Miſſas*, & Can. *Cum ad celebrandas* de Conſecratione diſt. 1. quos ſuperiùs allegavimus, Concluſione 1. Unde in Can. *Et hoc attendendum eſt* 52. eâdem diſt. decernitur, *ut Miſſæ peculiares, quæ per dies ſolemnes à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut propter eos populus à publicis Miſſarum ſolemnibus, quæ horâ tertiâ Canonicè fiunt, abſtrahatur*: & ut *Sacerdotes, qui in circuitu urbis, aut in eadem urbe ſunt, & populus in unum ad Miſſarum publicam celebrationem conveniant.*

50. ac aliis multis Can. de Conſecr. diſt. 1.

Verùm hæc & ſimilia jura, in quantum contraria videri poſſent noſtræ Concluſioni, conſuetudine generali penitus abolita non dubitamus, ita ut nulla prorſus ſit obligatio per ſe loquendo audiendi Miſſam ſolemnem, vel audiendi Miſſam privatam in propria Parochia quocumque Feſto totius anni; ſed perfectiſſimè huic præcepto ſatisfiat per auditionem Miſſæ privatæ in omni Eccleſia, etiam interdicta,

51. Sed hæc jura generali conſuetudine abolita eſſe.

dicta, aut violata, si bonâ, vel malâ fide contingat in illis celebrari; immo in quocumque loco, excepto fortassis Oratorio privato, de quo infrà.

ex Tridentino ostenditur

Quæ probè intelligens Concilium Tridentinum licèt sess. 24. de Refor. cap. 4. dicat, *Teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei:* equidem de audienda Missa nullam facit mentionem; quin imò universalis consuetudo hodiernæ Ecclesiæ satis ostendit non esse receptam illam obligationem, etiam quoad Conciones, fortassis, quia attentis his, quæ communiter accidunt, commodè id fieri non potest.

& ex eodem confirmatur.

Unde in eodem Concilio sess. 22. in Decreto de Obser. & evitand. in Celeb. Missæ solùm dicitur: *Moneat*, Episcopus, *eundem populum, ut frequenter ad suas Parochias saltem diebus*

Declar. Card. *Dominicis, & majoribus Festis accedant.* Et Congregatio Sacra Concilii Tridentini declaravit, *Non posse Ordinarium multis, & pœnis, etiam in causa notabilis negligentiæ aut contumaciæ cogere populum ad audiendam Missam & sacram Concionem in Ecclesia Parochiali.* Ita refert Azorius Tom. 1.

Azorius. lib. 7. cap. 8. q. 6.

52. Mendicantium Privilegia circa hanc materiam.

Omitto privilegia Mendicantium, quorum primum concessit Leo X. Bullâ quæ incipit: *Intelleximus quosdam in dubium revocare.* 25. apud Cherubinum, quam lubens hìc adscribo: *Intelleximus quosdam in dubium revocare, & perinde timoratis conscientiis scrupulum injicere, si Christi Fideles, qui Dominicis & Festis Diebus extra Ecclesias suas Parochiales, Missas audiunt in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Ecclesiæ præcepto de Missa audienda satisfaciant.*

Primum Leonis X.

Nos autem ambiguitatem hujusmodi penitùs tollere volentes, ut cum sinceriori conscientia Fideles quique Deo creatori suo serviant, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium notum facimus, omnes Christi Fideles utriusque sexus (qui non contempto proprio Sacerdote Parochiali) in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium, Dominicis & Festis Diebus Missas audiant, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquam labem mortalis peccati, pœnamvè incurrere.

Alterum Pii V.

Idem concessit Pius V. Bullâ: *Etsi Mendicantium*, apud Cherubinum 41. §. 8. in fine his verbis: *Ipsi Christi Fideles ullatenus desuper molestari aut impedri per locorum Ordinarios, seu Rectores parochialium Ecclesiarum, aut alios quoscumque ullo pacto, causâ vel occasione non valeant seu debeant, sed præfati Christi Fideles audiendo Missam, & alia divina Officia in Ecclesia Fratrum hujusmodi diebus Dominicis aut Festivis, præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfeciisse censeantur.*

53. Respondet Theophilus Parochialis hæc privilegia Greg. XIII. tedu-

Respondet Theophilus parte 4. art. 7. Gregorium XIII. Bullâ quæ incipit: *In tanta rerum & negotiorum mole* (apud Cherubinum 9. apud Rodrig. 38.) illam Pianâ constitutionem reduxisse ad terminos juris communis, & ad Decreta Concilii Tridentini: & cùm privilegium Leonis X. sit ejusdem argumenti, per consequens illi derogatum esse. xisse ad terminos juri communis

Deinde in confirmatione privilegiorum Ordinum Mendicantium factâ ab eodem Gregorio per Bullam: *Ex benigna*, & à Clemente VIII. per Bullam: *Ratio Pastoralis*, & ab aliis Pontificibus semper apponitur clausula: *Dummodo sacris Canonibus, & Decretis Concilii Tridentini non sint contraria.* Per quam clausulam omnium Mendicantium privilegia ad eosdem juris antiqui & novi terminos reduxerunt uno ore prædicti Pontifices.

Et hujus reductionis effectus hic est, ut quidquid privilegij & gratiæ est, quod deprehenditur vel in usu non esse, vel contrariari juri communi, Sacris Canonibus & Decretis Concilij Tridentini ipso facto vim non habeat, sit cassum, derogatum, sit nullum, non subsistat. Ita Theophilus art. 7. & 8. ut refert Bassæus verb. *Missa* 8. n. 9. Bassæus.

54. Sed ejus rationes dissolvuntur.

Sed, pace vestrâ ô Theophile, non videris inspexisse Bullas Pontificias, aut certè si inspexeris, non perspexisse. Fateor, Gregorius in confirmatione privilegiorum Fratrum Minorum addit clausulam: *Quatenus sunt in usu & sacris Canonibus, & Decretis sacri Concilii Tridentini non adversantur:* at verò Clemens VIII. usus non meminit, & sola excipit Decreta Concilii Tridentini ac alia quædam particularia à se edita, dicens: *Auctoritate Apostolicâ tenore præsentium, ex certa scientia in his omnibus, in quibus Decretis Concilii Tridentini non adversentur, salvis etiam Decretis à nobis in favorem Fratrum Reformatorum concessis, approbamus & confirmamus, ac innovamus, perpetuamq; roboris firmitatem obtinere & firmiter observari &c. decernimus.*

55. & tenor Gregorianæ constitutionis declaratur;

Quantùm autem ad priorem constitutionem Gregorianam, si eam, ut oportet, propriis oculis legisses, & perlegisses, proculdubio vidisses hæc verba: *Nos hac tantâ varietate cognitâ, quæ etiam ex multiplici litterarum & constitutionum editione procedit, præsentibus & futuris discriminibus occurrere volentes, de nobis attributæ potestatis plenitudine statuimus & ordinamus, de prædictis & aliis omnibus litteris, & constitutionibus, quæ ab eodem Prædecessore eisdem de rebus pro quarumcumque Regularium, etiam Mendicantium Ordinibus, & Congregationibus quomodolibet emanarunt, ac omnibus quibuscumque in eis contentis, eam deinceps dispositionem, atque decisionem pro subjecta materia futuram esse, quæ sive ex jure veteri, sive ex sacris dicti Concilii Decretis, sive aliàs legitimè (nota bene) ante dictarum litterarum & constitutionum editionem erat, & si ipsæ non emanassent, futura fuisset, ad quam dispositionem & decisionem, suumq; pristinum & integrum statum, ac terminum illa omnia reducimus.*

& ostenditur per eam non esse revocatam constitutionem Pianam,

Subsumo: atqui ex privilegio Leonino & universali consuetudine Fideles satisfeciissent præcepto, audiendo Missam in Ecclesijs Men-

Mendicantium, etsi Constitutio Piana non emanasset: ergo quoad hoc punctum manet Constitutio Piana & Leonina.

56. neque Leoninam. Atque ut revocata esset Piana, quis dedit Theophilo auctoritatem extendendi Gregorianam ad Leoninam? Nesci vit in positivis non valere argumentum à paritate rationis? Et verò qui revocat vel reducit Bullam aliquam ad terminos juris communis, propter multitudinem privilegiorum, ideo convincitur revocare vel reducere Bullam, quæ tantùm continet unicum privilegium?

Putas quòd Eugenius IV. quia in Bulla: *Ordinis tui* 31. apud Rodriguez judicavit nimis durum & periculosum, Moniales Sanctæ Claræ obligari sub peccato mortali ad centum & triginta præcepta Regularia, ideo judicaverit nimis durum & periculosum obligari ad unicum; v. g. lectionem Horarum Canonicarum? Non puto, quidquid dicat noster Marchantius in suis resolutionibus casu 30. in fine. *Marchantius.*

57. An Gregoriana Constitutio fuerit recepta aut promulgata? Non tango hìc, quod lego apud Dianam parte 3. Tract. 2. resol. 107. videlicet: Constitutionem Gregorii XIII. non fuisse promulgatam, nec in praxi receptam testatur Peirinus in privilegiis Minimorum Tom. 2. Constit. 7. Pii V. §. 1. n. 2. Henriquez lib. 7. de Indulgentiis cap. 24 n. 8. Thomas à Jesu de procur. omn. gent. salvan. l. 12. cap. 8 Hieronymus Llamas in Method. p. 1. cap. 7. §. 6. Navarrus in Manuali c. 27. in fine, ubi testatur, quòd licèt Gregorius XIII. voluerit dictam Bullam promulgari, tamen postea non publicavit. Hucusque Diana. *Diana.*

Sententia Navarri. Subjicio verba Navarri: Quoniam verò promisimus inferere hìc tenorem cujusdam Bullæ felicis recordationis Pii V. & moderationis eorum, de quibus in subjecta Gregorii XIII. Bullâ, si exiret interea, quæ, quia non exivit, solam hanc subjicimus, prout suprà etiam promisimus: *Gregorius Episcopus servus* &c. *Ad perpetuam rei memoriam. In tanta negotiorum mole* &c.

quam explicat Bassæus. In quibus verbis, inquit Bassæus suprà, clarè innuit prædictam Bullam Gregorii XIII. fuisse quidem propositam in mente, & proposito Papæ, vel etiam scriptam, sed non exivit, id est, non fuit promulgata.

58. Sed malè, ut constat ex ipsius Sed quid dicam? Et hic Auctor atque alii cum ipso videntur cursìm ac subsultìm legisse Navarrum, haud maturè expendentes, de qua Bulla loquatur, quando ait: *Si interea exiret*; certè non de Bulla Gregorii XIII. nam illam distinctis verbis inserit pro fine istius capitis 27. & totius libri, sed de Bulla Pii V. cum moderatione, quam ipsemet dicitur concepisse; sic enim ait præfatus Auctor cap. 21. Manualis n. 5. in fine:

Obstat fortiter (loquitur de auditione Missæ diebus Dominicis & Festis in Ecclesiis Mendicantium) id quod ibi (sess. 22. Concilii Tridentini in Decreto de Obser.) subditur, posse scilicet Episcopum auctoritate Apostolicâ jubere circa hoc opportuna, nisi respondeatur, non videri debere opportunum, ut cum scandalo tot Laicorum & Monachorum; tam generalis consuetudo, quàm etiam in Urbe servari videmus, tollatur; præsertim quòd felicis recordationis Pius V. in Bulla motûs proprii latâ mense Julio 1567. declaravit, audientes Missas Festis diebus in Monasteriis Mendicantium satisfacere huic præcepto. Cujus Bullæ tenor cum moderatione, quam ipsemet dicitur concepisse, si publicetur interea, ponetur in fine capitis 27. Nuncupatio.

59. Gregorianam Romæ fuisse publicatam; patet ex Chirographo. Profectò Bullam Gregorianam Romæ publicatam fuisse, testantur qui eam publicarunt, apud Cherubinum suprà, hisce verbis: *Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi 1573. indictione 1. die vero 23. mensis Martij Pontificatûs S. D. N. Gregorii divinâ providentiâ Papæ XIII. anno 1. retroscriptæ litteræ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicarum Principis Apostolorum, & Sanctæ Ioannis Lateranensis de Vrbe & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ per nos Ioannem de Soya, & Marcum Antonium Brutum, eiusdem S. D. N. Papæ Cursi.*

Antonius Ludovicus Magister Cursi.

De publicatione ita que non est dubitandùm quamquam existimem per illam Bullam non esse revocatum privilegium Leoninum, quod neque est contra jus commune, neque contra Decreta Concilii Tridentini; quoniam, ut ostendimus, nuspiam Tridentinum obligat Fideles ad audiendum Sacrum in propriis Parochiis, neque jus commune secluso contemptu proprii Presbyteri.

Quis autem dixerit Parochianum contemnere proprium Parochum, si Missam audiat in Monasteriis, eò quòd ibi quietius ac devotius audiat & facilius habeat Missam, ob multitudinem celebrantium Religiosorum, & primo mane, vel ob aliam causam?

60. Confutando generalis aequivalere juri communi, Azorius. Adde consuetudinem generalem æquivalere juri communi; ex quo infert Azorius tom. 1. lib. 7. cap. 6. non posse Episcopum constituere generale præceptum, ut unusquisque Parochianus audiat Missam in sola sua Parochia, nisi fortè tota aut maxima pars Parochianorum, Parochiam desereret, vel contemneret, aut si res divina audiretur extra ullam causam, justam scilicet & legitimam in privatis Sacellis & Oratoriis, nullo ad id Pontificio privilegio munitis.

61. Objectio ex Concilio Tridentino. Dices; hoc videtur repugnare Concilio Tridentino suprà à Navarro citato, quod sic ait: *Hæc igitur omnia, quæ summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur, ut non solùm ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint; ipsi pro data sibi à Sacrosancta Synodo potestate, ac etiam ut delegati Sedis Apostolicæ,*

licæ, prohibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolatè servanda, censuris Ecclesiasticis, aliisq; pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque.

Responsio ex declaratione Cardinalium.

Respondeo; constat ex Declaratione Cardinalium superiùs commemoratâ, quòd non fuerit mens Concilii sub illis verbis: *Quæcumque alia huc pertinere visa fuerint*, comprehendere auditionem Missæ in propria Parochia; alioquin Cardinales Interpretes Concilii edidissent Declarationem in terminis Concilio contrariam, quod non est facilè præsumendum. Præsertim cùm auditio Missæ in propria Parochia per se non pertineat ad cultum & venerationem debitam tam Sancto ac tremendo Sacrificio; qui tamen cultus ac veneratio potissimùm, immo solùm attenditur in illo Decreto; sic quippe incipit:

62. & ipso Concilii Decreto.

Quanta cura adhibenda sit, ut sacrosanctum Missæ Sacrificium omni Religionis cultu, ac veneratione celebretur, quivis facilè existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris Literis eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quòd si necessariò fatemur, nullum aliud opus adeò sanctum ac divinum à Christi Fidelibus tractari posse, quàm hoc ipsum tremendum Mysterium, quo vivifica illa hostia, quâ Deo Patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, ut quantâ maximâ fieri potest interiori cordis munditiâ & puritate, atque exteriori devotionis, ac pietatis specie peragatur.

Cùm igitur multa iam sive temporum vitio, sive hominum incuriâ & improbitate irrepsisse videantur, quæ à tanti Sacrificii dignitate aliena sunt, ut ei debitus honor & cultus ad Dei gloriam, & fidelis populi ædificationem restituatur, decernit Sancta Synodus, ut Ordinarii locorum Episcopi, ea omnia prohibere, atque è medio tollere sedulo curent ac teneantur, quæ vel avaritia idolorum servitus, vel irreverentia, quæ ab impietate vix seiunctæ esse potest, vel superstitio veræ pietatis falsa imitatrix induxit. Hactenus Concilium.

Putas autem quia huc pertinet auditio Missæ in propria Parochia? Certè non dubito, quin sæpissimè in Ecclesiis Mendicantium quietiùs, devotiùs, & cum majori reverentia audiatur Missa, quàm in propria Parochia. Nihilominus moneant Episcopi populum, ut frequenter ad suas Parochias accedant, si non ex obligatione audiendi inibi Missam, saltem ex obligatione sciendi præcepta Ecclesiæ, puta jejuniorum ac Festorum (quæ solent à Parochis declarari) nisi aliunde sufficienter sint instructi.

63. An possit satisfieri præcepto audiendo Missam in privato Oratorio?

Cæterùm si reverà Pontifex statuit non satisfieri præcepto, nisi per auditionem Missæ in propria Parochia, dico, tunc apud Mendicantes, vel in alia Ecclesia, quantumcumque audiatur Missa, per illam minimè impleri præceptũ.

Et ideo addidi in Conclusione: *Nisi obstet specialis constitutio*, qualis fortè invenitur in Brevi Pontificio, quo conceditur Oratorium privatum, ut patet ex formula, quam subjicio: *Clemens Papa IX. Tibi Diœcesis Mechliniensis, qui ut asseris de nobili genere procreatus existis, ut in privato domûs tuæ solutæ habitationis Oratorio ad hoc decenter muro exstructo & ornato, seu exstruendo & ornando, ab omnibus domesticis usibus libero, per Ordinarium loci prius visitando & approbando, ac de ipsius Ordinarij licentia, & eius arbitrio duraturo, unam Missam pro unoquoque die, dummodò in eadem domo celebrandi licentiâ, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario approbatum secularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem, sine tamen quorumcumque iurium Parochialium præiudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, nec non aliis solemnioribus anni Festis diebus exceptis, in tua & familiæ tuæ, nec non hospitum tuorum nobilium præsentiâ celebrari facere liberè & licitè possis & valeas indulgemus. Non obstantibus &c. Volumus autem quòd familiares servitijs tuis non necessarij, ibidem Missæ interessentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia diebus Festis de præcepto minimè liberi censeantur. Datum Romæ &c.*

Breve Pontificium quo conceditur privatum Oratorium.

Hic est tenor ordinarius teste Tamburino de Sacrificio l. 1. c. 4 § 4. n. 1. cujus singulas clausulas breviter explicat n 2. & sequentibus: & ad propositum nostrum n. 34. ultimam clausulam: *Volumus autem* &c. sic interpretatur, ut familiares non necessarii neutiquam satisfaciant suæ obligationi per auditionem Missæ in tali Oratorio; quia clarè, inquit, excluduntur à Pontifice.

64. cujus ultima particula explicatur à Tamburino.

Contrarium docet Homobonus de Exam. Eccl. q. 14. t. 8. c. 5. p. 2. & Pellizzarius to. 2. Man. Reg. tract. 8. c. 2. sect. 2 subsect. 2. q. 14. tum quia jam est consuetudo audiendi Missam extra Parochiam; tum quòd clausula illa solùm apponatur ex stylo Curiæ, quia fortasse alicubi nondum est abrogatus ille ritus, adeòque ubi abrogatus est, perinde se habeat, ac si non fuisset apposita.

contra Homobonum & Pellizzarium.

Respondet Tambur. numquam introductam fuisse consuetudinem audiendi Missam in loco à Summo Pontifice prohibito, qui hoc ipso, quo excludit Oratorium privatum à loco apto ad satisfaciendum præcepto, consequenter inducit præceptum audiendi Missam, non quidem in Parochia, cùm id sit abrogatum, sed inducit præceptum audiendi in loco publico, qui non sit Oratoriũ illud, quod ipse exclusũ omnino vult.

65. Ad quorum fundamenta respondet.

Confirmatur à simili: fac esse usum jejunare die Dominico, incidente eo die Vigiliâ de præcepto; velle tamen nunc Summum Pontificem eum usum de medio tollere, & præcipere, ut in eo casu jejunetur in Sabbato. Si sic præciperet: *Volumus ut per ieiunium die Dominico factum non satisfiat præcepto ieiunij, sed sit obligatio ieiunandi in Sabbato*: inquiro,

& confirmat suam explicationem à simili.

qui jejunaret die Dominico, satisfaceretnè præcepto ? Enimverò non satisfaceret, quia eo ipso quòd Pontifex excludit illum diem, reddit illum ineptum ad satisfactionem præcepti, addicit enim præceptum ad alterum diem. Pari igitur modo, dum actu excludit Oratorium, reddit illud ineptum pro satisfactione præcepti de audienda Missa, addicit enim illud ad alterum locum, & consequenter remanet in Fideli obligatio alibi audiendi. Ita Tamburinus.

66. Alia confirmatio.

Et sanè si Pontifex sic præcepisset auditionem Missæ : *Volumus ut omnes Fideles singulis diebus Dominicis & Festis audiant Missam in Ecclesia Parochiali, nec possint satisfacere audiendo in aliena Ecclesia*; qui audiret apud Mendicantes, procul dubio non satisfaceret voluntati Pontificis : ergo neque de facto satisfacit, quando sine privilegio audit in Oratorio privato ; quandoquidem velit Pontifex ut audiat in Ecclesia sive loco publico, nec possit satisfacere audiendo in tali Oratorio. Quid enim refert, sive à principio lex ita fuerit lata, sive postmodum à Legislatore sic modificata ?

Nam quòd aliqui dicunt, sufficere ut ponatur substantia præcepti, verum est, quando modus expressè non præcipitur ; alioquin tam modum (quando non est merus internus, & non superat communiter humanam fragilitatem) quàm ipsam substantiam posse præcipi, à nemine potest negari ; vel dic, substantiam hujus præcepti esse, audire Missam tali loco, & tempore.

67. An in die Paschatis possit satisfieri præcepto Ecclesiæ in privata Oratorio?

Unde consequenter loquendo, videri posset alicui, quòd in diebus exceptis in concessione Oratorii, nequeat satisfieri præcepto Ecclesiæ audiendo inibi Missam.

Sed contrà facit, quòd aliud sit prohibere Missam in aliquo loco, v. g. in Ecclesia violata, & aliud velle ut per ejus auditionem non satisfiat præcepto ; argumento cap. *Ad Apostolicam* 16. de Reg. ibi: *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* Cur igitur audiens Sacrum in Ecclesia violata, quamvis illicitè id faciat, haud equidem per talem auditionem satisfaciet præcepto Ecclesiæ ? Non video quid possit obstare præter voluntatem Ecclesiæ.

cap. 16. de Regul.

68. Potest satisfieri præcepto per auditionem Missæ prohibitæ.

Dico itaque, sive Ecclesia sit violata, sive interdicta, sive celebretur illicitè in privato Oratorio, vel sub dio, vel alio quocumque loco, audientem talem Missam, quamvis aliquando peccet, semper tamen satisfacere præcepto Ecclesiæ, nisi Pontifex expressè significet se velle, ut tali auditione non satisfiat. Ratio patet, quia ponitur substantia præcepti, scilicet auditio Missæ, estò vitiata per circumstantiam extrinsecam.

Concil. Agathense.

Atque ita intelligo Constitutionem Concilii Agathensis cap. 21. & refertur de Consecr. dist. 1. cap. 35. *Si quis etiam extra Parochiæ, in quibus legitimus est, ordinariusq; conventus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis festivitatibus, ut ibi Missas audiat, propter fatigationem familiæ, iustâ ordinatione permittimus. Pascha verò, Natali Domini, Epiphaniâ Domini, Ascensione Domini, Pentecoste, & Natali Sancti Ioannis Baptistæ, & si qui maximi dies in Festivitatibus habentur, non nisi in Civitatibus, aut in Parochijs audiant.* Hanc, inquam, Constitutionem intelligo de simplici prohibitione auditionis ; non autem irritatione, ut sic loquar, quasi per istam auditionem reverà non satisfaceret præcepto Ecclesiæ audiendi Missam in illis diebus.

nisi Pontifex aliud expressè significet.

Aliud omnino est dicendum, quando Pontifex expressis verbis significat se non velle, ut satisfiat præcepto per auditionem Missæ in tali loco ; tunc enim locus ille non est circumstantia aliqua extrinseca, sed quasi pars substantialis, ut antèà probavimus.

69. ut videtur significare in Brevi in præallegato.

Sed neque sic plenè est exhausta difficultas ; nam videtur licentia ista celebrandi in Oratorio privato, peti in ordine ad satisfaciendum præcepto : ergo quando Pontifex concedit, ut possis licitè, & valeas celebrari facere omnibus diebus, exceptis Paschate Resurrectionis &c. implicitè satis significat, quòd nec licitè possis facere celebrari prædictis diebus, nec valeas, id est, validè possis quantùm ad impletionem præcepti. Concessio siquidem intelligitur juxta formam petitionis.

Et quidem si talis forma foret, de quo mihi non constat, consequenter dicerem, neque illis diebus in tali loco satisfieri præcepto. Sin autem ex eo intuleris ; ergo etiam non satisfiet in loco interdicto, violato &c. Respondeo Negando Consequentiam ; quia de tali voluntate Pontificis non habemus nequidem probabile aliquod indicium.

facit quando prohibet audire Missam excommunicati.

Utì etiam, ut veniamus ad tertiam partem Conclusionis, estò Pontifex prohibeat audire Missam Sacerdotis excommunicati non tolerati ; equidem quòd nolit me per illam auditionem satisfacere præcepto, nec explicitè, nec implicitè uspiam significavit.

70. Objectio.

Dices ; Ecclesia non vult audire Missam illius : ergo hæc non est præcepta.

Solutio.

Per auditionem talis Missæ ponitur substantia actûs.

Respondeo distinguendo Consequens : non est præcepta, id est, non est præceptum audire Missam excommunicati, ita quòd excusaretur à transgressione, si non audiret, concedo totum ; ergo non est præcepta, id est, non est præceptum audire Missam excommunicati, ita quòd possit satisfieri per talem Missam, nego Consequentiam. Siquidem ponitur substantia actûs, quantumvis vitiata per circumstantiam extrinsecam ; sicuti quando audio Missam ex vana gloria, vel alio fine etiam mortaliter peccaminoso, nemo dubitat etiam per talem auditionem satisfieri præcepto. Itaque Ecclesia non prohibet audire talem Missam, quà Missa est ; sed quà dicitur à tali Sacerdote, quod extrinsecum est Sacrificio.

Confir-

71. confirmatur à simili.

Confirmatur à simili; quia secundùm plerosque Theologos satisfit præcepto Communionis per Communionem sacrilegam; tametsi illa quà sacrilega, non præcipiatur; immo jure divino prohibeatur, vel etiam Ecclesiastico, si v. g. communicans sit excommunicatus. Cujus ratio alia esse non potest, quàm communis doctrina in Tractatu de Legibus, videlicet nequidem legem naturalem per se obligare ad modum virtutis.

Ex quo infertur, etiam illum, qui excommunicatus audit Missam in die Festo, quantumvis peccet sic audiendo, propter prohibitionem Ecclesiæ; attamen satisfecisse præcepto, adeòque licèt tempore opportuno eodem die absolveretur ab excommunicatione, non teneri iterum Missam audire.

Perinde est quo ritu celebretur Missa.

Perinde quoque est quo ritu Missa celebretur, Latino sive Græco, & quâcumque linguâ, Latinâ sive aliâ, semper enim ponitur substantia præcepti.

72. Sufficit auditio unius Missæ etiam in Natali Domini.

Non disputo hìc de numero Missarum; nam ex consuetudine generali palam est omnibus, perfectissimè satisfacere huic præcepto, qui unicam audit Missam, etiam in die Nativitatis, quamvis multi ex devotione, sicut Sacerdos tres Missas celebrat, ita & ipsi tres audiant.

cap. Missas de Consecr. dist. 1.

Unde quod dicitur in cap. *Missas* de Consecrat. dist. 1. *Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus*; quamquam distributione commodâ sufficienter intelligatur, ut unusquisque Missam integram audiat; tamen si etiam ad singulos velimus *Missas* in plurali referre, & sic rectè intelligi poterit debere unumquemque Fidelium audire integras Missas, scilicet Missam Catechumenorum, quæ terminatur ad Oblationem exclusivè, & Missam Fidelium ab Oblatione utique usque ad finem; hâc enim consideratione totum Missæ Officium dici sæpè solet Missarum solemnitas seu celebratio, juxta illud Soteris Papæ & refertur de Consecratione dist. 1. cap. 61. *Hoc quoque statutum est ut nullus Presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat &c.*

Soter.

73. Quibus diebus obliget hoc præceptum?

Similiter quantùm ad dies, in quibus Missa est audienda, consuetudo satìs manifestè declarat, præter dies Dominicos non teneri Fideles ad assistendum Missæ, nisi illis diebus, qui tamquam Festi proponuntur colendi à toto populo cum approbatione Ordinarii, sive proponantur ex voto, sive ex consuetudine, sive ex præcepto generali totius Ecclesiæ, sive ex præcepto speciali loci.

Quid sentiendum de diebus festivis abrogatis per Bullam Urbani VIII.

Proinde si à me quæritur, an in Episcopatu Mechlinienſi sit adhuc obligatio audiendi Sacrum in die Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, & similibus, qui ex generali præcepto, vel consuetudine ante Bullam Urbani VIII. quæ incipit: *Universa per orbem* (editâ anno 1642. idibus Septembris inter Urbanianas 164. apud Cherubinum) tamquam Festivi colebantur; per hanc autem Bullam non Festivi declarati sunt §. 3. sub his verbis: *Ad reliquorum verò dierum observantiam, quos hactenus sive in universa Ecclesia, sive in quavis Natione, aut Regno, Provincia, Diœcesi, aut loco quomodocumque sive ex præcepto, sive ex consuetudine, sive ex devotione Christi Fideles tamquam Festivos celebrarunt, nequaquam ex præcepto ipsos teneri dictâ auctoritate tenore præsentium perpetuò etiam decernimus & declaramus.*

Si, inquam, quæritur, an adhuc illi dies obligent; Responsionem relinquo Archiepiscopo Mechlinienſi, qui hactenus illam Bullam noluit in sua Diœcesi promulgari. Si consuetudo decennalis aut vicenaria vim aliquam habet, liquet profectò antiquam obligationem necdum cessasse, neque novam aliquorum dierum, quæ in eadem Bulla specificantur, esse introductam.

74. Apud quos resideat potestas instituendi Festa?

Dixi signanter: *Cum approbatione Ordinarij*; nam potestas relicta à Christo in Ecclesia instituendi Festa, absolutè & universaliter residet in Summo Pontifice; in Episcopo respectu suæ Diœcesis, dependenter (quantùm ad jus commune spectat) à consensu Cleri & populi, nullo autem modo in Principe sæculari. Sed hæc ad alium Tractatum spectant.

Interim non abs re erit (quoniam Principes laici subinde plus sibi putant licere, quàm reverà liceat) hìc inserere Constitutionem Innocentii X. editam anno 1653. die 6. Octobris; in qua Pontifex sic decernit: *Nos quibus universalis Ecclesiæ regimen à Domino commissum est, considerantes quàm pernicioſum auctoritati Ecclesiasticæ id esse posſit, cùm Principes laici, quos in rebus Ecclesiæ obsequendi potiùs manet necessitas, quàm auctoritas imperandi, non habeant facultatem indicendi dies Festos in honorem Sanctorum. De Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium sacris Ritibus præpositorum, quibus hoc negotium discutiendum commisimus, consilio, prædictas litteras (Senatus Mediolani) ac edictum (Gubernatoris status Mediolanensis) emanatâ auctoritate laicali super observatione prædictæ festivitatis Sancti Dominici fuisse & esse omnino nulla, nullius q; roboris & momenti, nec aliquo modo servanda, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium declaramus.* Habetur apud Cherubinum tom. 3. fol. 300. & incipit Constitutio: *Cum nuper ad notitiam nostram.*

Innoc. X.

Non residet in Principe laico.

75. Non necessariò auditur Missa illo die occurrens.

Restat quæstio, an præcipiatur Missa de die, sive de Festo, an verò satìs sit audire Missam votivam; aut pro defunctis? Sed ex iisdem principiis non difficulter resolvitur, quamquam congruum sit audire Missam de die, seu Festo occurrente, sicuti conveniens est, quòd Sacerdos talem Missam celebret;

equidem quâcumque auditâ satisfieri præcepto. Sic declarat consuetudo, maximè cùm in jure nulla fiat mentio hujus vel illius Missæ. Et verò quoniam vulgus neque in hoc facit differentiam, neque moraliter potest, non fuisset congruum aliter illud præceptum imponi.

76. Objectio solvitur. Prima expositio c. 2. de Celebr. Miss. Suarez.

Nec obstat cap. 2. de Celeb. Miss. ubi videtur prohiberi Laicis, ut Missas non audiant, nisi de eodem die, quippe non est sermo de hac re; sed, ut putat Suarez disp. 83. sect. 2. §. *Atque ex his*, de superstitione quorumdam, qui non videbantur sibi Missam audire nisi principium Euangelii Sancti Joannis, & Missas peculiares de Sancta Trinitate, aut de Sancto Michaële audirent.

Hæc sunt verba textûs: *Quidam Laicorum habent in consuetudine, ut per singulos dies audiant Euangelium*: In principio erat Verbum: *& Missas peculiares, hoc est, de Sancta Trinitate, & de Sancto Michaële, & ideo sancitum est in eodem Concilio, ut ulteriùs hoc non fiat, nisi suo tempore.*

Additur præterea alia exceptio: *Et nisi aliquis velit propter reverentiam Sanctæ Trinitatis, non pro alia devotione audire.* Ergo licet audire Missam votivam legitimâ intentione & reverentiâ, & non pro alia devotione, id est, pro aliqua divinatione, ut legitur in Concilio Salegunstadiensi cap. 10. ubi textus ille habetur. Igitur superstitio est, quæ ibi prohibetur, & non aliud.

77. Secunda expositio.

Deinde cùm legis: *Vt per singulos dies audiant*, cogita in hoc capite non esse sermonem de Missis tantùm, quæ audiuntur ad implendum præceptum, ut aliqui videntur velle; nam liquidò constat non esse obligationem audiendi Missam per singulos dies.

Tertia.

Tertia expositio sit, quam habes Conclusione 29. puta jus illud loqui de Missa solemni, ut colligi videtur ex his verbis subsequentibus: *Sed si voluerint, ut sibi Missæ cantentur, de eodem die Missas audiant pro salute vivorum, & etiam defunctorum.*

Et hactenus quidem de obligatione hujus præcepti, qualitate Missæ, quantitate, loco, situ &c. Unum video deesse, de quo potissimùm controvertitur inter Doctores, quâ nimirum attentione & intentione debeat quis assistere Sacrificio ex vi hujus præcepti. Pro resolutione pono tres sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO V.

Ad debitam auditionem Missæ requiritur præsentia moralis.

28. Audiens Missam sit præsens moraliter.

Est communis, & probatur; quia præcipitur actus humanus: ergo præsentia aliqua humana, sive moralis. Consequentia est evidens. Antecedens ab omnibus conceditur in Tractatu de Legibus, ubi de materia legis humanæ; & breviter ostenditur, quia lex est regula actuum humanorum, sive moralium: quod vel indè satis patet; quoniam lex est actus rationis & voluntatis: ergo etiam præcipit actum rationis & voluntatis. Deinde potestas legislativa propria est creaturæ rationali: igitur illam dirigit quà rationalis est.

Enimverò sicuti creatura irrationalis certas habet sibi regulas præfixas ab Auctore naturæ, per quas determinatur & inclinatur ad certas operationes, ita pariter natura rationalis quà talis, sive quà libera, oportet ut habeat certas quasdam regulas, secundùm quas, actiones sibi proprias sive liberas possit, & debeat dirigere: illæ autem regulæ sunt leges divinæ, & humanæ.

29. Corollarium.

Ex quo sequitur hoc Corollarium: Si aliquis incipiat Missam audire, & postea etiam involuntariè dormiat per notabilem ejus partem, non satisfacit præcepto. Similiter, si aliquis dum Missam audit, raptum seu ecstasim patiatur, quâ ab omnium sensuum usu alienatus sit; quia neque illa est præsentia humana. Etenim tum per somnium, tum per ecstasim, & eadem est ratio ebrietatis & amentiæ, homo quasi privatur statu humano, ut sic loquar, id est, in tali statu ponitur, in quo non possit proximè exercere actus humanos: ergo licèt physicè præsens, moraliter tamen absens censetur, quia incapax debitæ intentionis & attentionis, ut patebit ex dicendis.

30. Non sanè satisfacit audire videndo cæcum Tamburinum.

Sed numquid requiritur, ut corporaliter audiat, vel videat Sacerdotem? Perspicuè manifestum est quòd non: nam cæcus & surdus (inquit Tamburinus lib. 4. in Decal. cap. 2. §. 1. n. 11.) satis præceptum adimplent.

Respondetur quia alio sensu externo percipere ea, quæ in Missa fiunt, quod sufficit; ut docet idem assisten-

Sed quid mirum, reponit quispiam, cùm surdus possit videre, & cæcus audire? Si autem surdus juxta ac cæcus, unde constat ipsum adimplere præceptum? Respondetur; quia alio sensu externo potest percipere ea, quæ in Missa fiunt, quod sufficit ut docet idem Auctor nu. 12. dicens; satis esse ejusmodi assisten-

Auctor n. 12.

assistentiam exhiberi humano modo, vel audiendo, vel videndo celebrantem, vel saltem ita sociando alios videntes aut audientes (quamvis sit quis extra Ecclesiam, omnes præsentes non capientem) ut ex signis & gestis Missæ aliqua colligere possit, & ut ad multitudinem assistentium censeatur moraliter pertinere. Hæc ille, cum aliis quos citat.

Audiunt itaque Missam, qui in parvo Sacello propter populi frequentiam post aliquam columnam flectunt, quâ impediuntur à videndo altari. Similiter Religiosi, vel Clerici in Choro post altare cantantes.

81. An audiat Missam qui ex fenestra domûs suæ videt Sacerdotem? *Fillucius. Diana. Portel.*

Numquid etiam illi, qui ex fenestra domûs suæ vident Sacerdotem in Ecclesia ex adverso celebrantem? Negat Filliucius tom. 1. Tract 5. c. 7. n. 209. quem sequitur Diana part. 4. Tract. 4. resol. 154. Et hanc sententiam, inquit, à fortiori docet Laurentius de Portel in addit. ad Dubia Regularia verbo *Indulgentia*. n. 8.

Sententia Lugonis,

Sed melius Cardinalis Lugo disp. 22. n. 21. quod quidem, ait hic Auctor, verum judicarem, quando inter fenestram, & Ecclesiam intercedit platea aut via nimis lata, quæ altare multùm remotum reddat à fenestra: non placet tamen in universum; quia potest contingere esse adeò vicinam fenestram altari, ut moralem præsentiam non impediat, prout de facto in hoc nostro Collegio Romano habemus sacellum privatum, cujus altare à fenestris domûs adversæ non plusquam triginta passus distat, ac perinde ab illa fenestra audiri potest vel percipi Missa, licèt via publica intercedat, ac si intrà Ecclesiam parvam audiretur ab aliquo ibi existente. Videtur autem favere huic doctrinæ Pater Jacobus Gordonus tom. 2. Theol. Moral. lib. 6. q. 7. cap. 2. §. 3. n. 12. Hucusque Eminentissimus.

Jacobus Gordonus.

82. quam sequitur Dicastillo,

Quem sequitur Dicastillo disp. 5. nu. 59. dicens: Nec video cur v. g. aliquis ex fenestra suæ domûs vergente ad forum, etiam interpositâ satis amplâ platea, censeatur præsens moraliter, & spectator Tauriludii Hispanici, & incurrat censuram Sacerdos sæcularis, sive Regularis, quando vigebat ea lex & pœna, & non censeatur eadem, aut longè propinquior distantia sufficiens, ut censeatur præsens celebrationi Missæ.

80. Non nemo tenetur audire videri Sanchez. Henriquez. & confirmat.

Quod ampliùs confirmo & declaro. Nam ea præsentia in Missa censeri debet juxta communem hominum æstimationem, ut patet; talis autem censetur etiam longinquior: ergo etiam illa. Subsumptum probo multis centenis, immo millibus hominum ita censentibus. Veniebam ego olim in classe triremium in comitatu Augustissimæ Imperatricis Mariæ tunc Reginæ Hungariæ: celebrabatur in littore maximè diebus præcepti; nemo timoratus ibi non assistebat ex sua triremi, quando valde procul celebrabatur, duplo magis procul aut sextuplo, quàm sit distantia, de qua agimus in nostro casu, & omnes censebant se præsentes Missæ, eo ipso quòd in tali loco essent, unde aliquâ ratione possent cognoscere quid ageretur. Hæc ille.

83. Ad confirmationem respondetur.

Equidem responderi posset ad illam confirmationem, non ideo omnes illos fuisse moraliter præsentes præcisè, quia poterant cognoscere aliqualiter quid ageretur; sed maximè quia omnes spectabant ad unam & eandem classem, quæ ratione priorum triremium tota censebatur moraliter præsens. Et ita si tota platea, etiam satis ampla, esset repleta hominibus audientibus Missam, quæ in Ecclesia celebratur, & ego starem in domo mea ex adverso Ecclesiæ, indubiè censerer moraliter præsens ratione multitudinis, cujus sum pars.

Lugo.

Quod Cardinalis suprà n. 20. explicat hoc simili: Censetur aliqua materia præsens, ut possit consecrari, quando licèt ipsa non videatur, conjungitur tamen aliis partibus, quæ videntur, & non repugnat ratione distantiæ, quòd demonstretur illo pronomine, *Hoc*. Sic ergo in præsenti poterit aliquis dici præsens Missæ, quando est pars multitudinis quæ dicitur præsens, & conjungitur moraliter cum aliis, qui sunt in conspectu altaris, dum tamen distantia etiam tanta non sit, ut jam extrahat illum ab humana præsentia.

84. Non sufficit semper existentia intrà Ecclesiam ad moralem præsentiam.

Unde non sufficit aliquem esse intrà eandem Ecclesiam v. g. si in aliquo altari fiat Missa privata in Basilica Romana Sancti Petri, non sufficit si aliquis intrà eandem Ecclesiam habeat intentionem audiendi illam Missam, quam scit tunc dici in aliquo loco ejusdem templi; non sufficit, inquam, propter nimiam amplitudinem illius templi, & per consequens distantiam, quæ potest esse inter celebrantem, & illum, qui intendit Missam audire.

Interim si totus locus intermedius esset repletus hominibus, nescio quare non satisfaceret; quia scilicet tunc moraliter faceret unam cum ea multitudine præsentiam, ut docet Tamburinus suprà. Quanta autem distantia requiratur, ut qui solus adest non censeatur moraliter præsens, prudentis judicio committendum est.

85. An audiens Missam ex fenestra domûs suæ lucretur Indulgentiam?

Cæterùm an audiens Sacrum ex fenestra domûs suæ, lucraretur Indulgentiam fortè concessam visitantibus, & orantibus in illa Ecclesia, dubium est, & resolutio pendet ex voluntate ejus, qui Indulgentiam concessit, potuit enim pro conditione exigere physicum ingressum talis loci, & tunc proculdubio non lucraretur. Potuit etiam esse contentus ingressu sive præsentiâ morali, & tunc quidni lucraretur?

Sententia Tambur.

Ita novissimè docet Tamburinus suprà n. 13. existimans Moniales à loco post altare, quem in suis claustris habent, qui locus non videtur pertinere ad Ecclesiam, cùm sit solùm ad com-

commoditatem ipsarum, ut inibi aliquibus diebus Officium cantent, posse visitare Altare, & Indulgentiam illud visitantibus concessam lucrari, cùm indè Horis Canonicis satisfaciant, & Missam audire soleant: nam utrobique eadem præsentia moralis in Ecclesia requiritur & sufficit.

86. Sententia Portel.

Atque de hoc casu, id est, de lucratione Indulgentiæ tractat Portel suprà, quem Diana citat à fortiori pro sua sententia; quod valde miror. Enimverò posset quispiam cogitare & mordicùs sustinere ad lucrationem quarumdam Indulgentiarum requiri physicum ingressum Ecclesiæ, estò ad auditionem Sacri sufficiat præsentia moralis. Siquidem in præcepto audiendi Missam nulla fit mentio ingressûs Ecclesiæ; adeò ut plenissimè adimpleatur tametsi audiatur in platea, vel alio loco, juxta dicta Conclusione præcedenti; porrò in forma concessionis Indulgentiarum expresè ponitur: *Si quis visitaverit talem vel talem Ecclesiam, & inibi oraverit* &c. Hæc autem non immeritò posset quis interpretari de physica præsentia, saltem posset dubitare de mente concedentis, quæ talis potuit esse; sicuti dubitavit Portel, allegans quod vidit in Ecclesia Portiunculæ Assisii, ubi conceditur Indulgentia intranti illam secundâ die Augusti.

Ad lucrandam Indulgentiam Portiunculæ requiritur physicus ingressus.

Hæc enim Ecclesia, inquit ille Auctor, cùm parva sit quasi Sacellum, cùm unam tantùm portam haberet tempore Patris nostri Franciſci, postea crescente populi multitudine pro ea lucrandâ altera porta in latere Sacelli aperta est, ut populus intraret, & statim exiret, ne ob defectum ingressûs privaretur quis tali Indulgentiâ. Igitur argumentum deductum ab Indulgentia ad auditionem Missæ, liquet profectò non convincere.

87. An sacramentaliter confitens sit moraliter præsens?

Major difficultas est, an moraliter sit præsens Missæ, & præcepto satisfaciat, qui, dum Missa celebratur, sacramentaliter confitetur? Sententiam affirmantem tamquam probabilem priùs docuerat Bonacina, tum quia hic dici potest Missam audire, cùm intersit corporaliter, ut supponitur, & mentaliter, quatenus mentem applicat ad aliquid in honorem Dei; tum quia sicut Beneficiarius recitans Horas Canonicas tempore Missæ satisfacit præcepto divini Officii, & Missæ, ita qui tempore Missæ confitetur peccata sua, satisfacit præcepto Confessionis, & præcepto Missæ, cùm attentio ad Confessionem non videatur obstare attentioni requisitæ ad Missam; tum quia sic usu receptum videtur in aliquibus Collegiis, in quibus viget probitas & disciplina. Hujus sententiæ est Reginaldus lib. 19. n. 14. in fine. Nec omnino dissentit Molfesius tract. 3. c. 17. nu. 45.

Bonacina.

Fundamenta sententiæ affirmativæ.

Reginaldus, Molfesius.

Hoc tamen limitabam, modò qui confitetur, habeat intentionem audiendi Missam, quâ intentione cùm plurimi careant, nec credant se Missæ præcepto satisfacere, sequitur plurimos non satisfacere præcepto Missæ, cui interſunt, dum peccata sua confitentur. Hactenus Bonacina de Sacramento Eucharistiæ disp. 4. q. ultimâ punct. 11. n. 26. *Bonacina.*

Qui re attentiùs consideratâ (ut ibidem ait) sententiam suam mutavit, ductus hâc potissimùm ratione, quia Ecclesia præcepit assistere Missæ per modum orationis; qui autem peccata sua confitetur, aut examen suæ conscientiæ facit tempore Missæ, non videtur assistere per modum orationis. 88. Fundamentum sententiæ oppositæ.

Unde ad primam rationem in contrarium Respondet, ad satisfaciendum præcepto Missæ, non sufficere assistentiam mentalem & corporalem, nisi fiat per modum orationis.

Ad secundam (inquit) negatur Consequentia: ratio disparitatis est; quia in primo casu adest assistentia per modum orationis, non verò in secundo.

Ad tertiam respondetur, talem usum corrigendum esse, nisi aliter suadeat necessitas. Quamobrem adolescentes, quos in Collegiis novimus sua peccata tempore Missæ fateri, excusamus ob necessitatem communicandi tempore Missæ, vel propter intentionem audiendi eodem die aliud Missæ Sacrum, aut propter bonam fidem sibi persuadentes hoc licere. Hæc ille.

Ecce fundamenta utriusque sententiæ, de quibus antequam fero judicium, edissero, quâ intentione & attentione debeam assistere Sacrificio ex vi præcepti Ecclesiastici.

CONCLUSIO VI.

Ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ requiritur intentio, saltem virtualis, audiendi Missam, id est, offerendi Sacrificium cum Sacerdote eo modo quo potest.

89. Ut satisfiat huic præcepto, requiritur audiendi intentio.

PRæcipitur namque actus humanus, ut Conclusione præcedenti diximus, & talis qui sit cultus Dei, saltem externus, ut autem actio externa habeat rationem cultûs, necessaria est intentio colendi; alioquin omnes genuflexiones & similes actus externi forent religiosi, tametsi fierent animo alterum irridendi, vel ex causa aliqua naturali, quod nullus Theologus dixerit.

Hinc consectarium est, haudquaquam satisfacere præcepto, qui sine animo offerendi cum Sacerdote ambulat, vel sedet tempore Missæ in Ecclesia expectans suum amicum.

Dico, *Sine animo offerendi*; quia posset expectare amicum, & simul habere animum suo modo

eum qui fiat intentio expectandi amicum, immo intentio pravi finis.

modo sacrificandi; adeoque reverà præceptum adimplere: neque enim illæ intentiones repugnant. Quin etiam compatiuntur sese mutuò intentio audiendi Missam, & intentio pravi finis, estò mortalis. Nam si Sacerdos possit celebrare ex fine mortaliter peccaminoso, & nihilominus satisfacere suæ obligationi, sive naturali ex stipendio accepto, sive positivæ ex præcepto Ecclesiæ, quantò magis solùm assistens, quantumvis peccet contra aliud præceptum, v. g. castitatis? Sanè communis sententia est, tum divino, tum Ecclesiastico præcepto satisfieri per sacrilegam Communionem, quidquid aliqui contradicant. Vide dicta Disputatione præcedenti sect. 9. concl. 4.

90. Probatur primò.

Breviter, quamvis finis legis, maximè Ecclesiasticæ, sit honestas virtutis, & salus animarum; tamen non nisi procuranda per opus externum, illi fini proportionatum; atque adeò solum opus externum ita proportionatum præcipit: jam autem opus ex fine, aut circumstantiâ extrinsecâ peccaminosum, ex se & objecto suo potest esse proportionatum ad talem finem.

Probatur secundò.

Deinde finis legis, præsertim extrinsecus, non cadit sub legem, quia solùm id præcipitur, quod in lege exprimitur per modum imperii: porrò lex humana non imperat fieri hoc propter illud, sed, ut fiat hoc. Quòd si aliquando finis legis exprimatur, non est per modum objecti, sed per modum rationis & motivi. Patet in jejunio, cujus finis est vel honestas temperantiæ, vel satisfactio pro peccatis, vel maceratio corporis &c. certum autem est aliquem implere præceptum jejunii, quantumvis hoc non faciat propter illos fines.

Licèt ergo lex præcipiat actum bonum, seu qui bene potest fieri, non tamen præcipit omnes modos necessarios ut bene fiat: immo multi putant non posse præcipere intentionem finis extrinseci; quia sic præciperet actum merè internum.

91. Objectio solvitur.

Nec obstat, quòd lex constituat actum in certa specie virtutis; nam sensus non est, quòd lex præcipiat illam virtutis speciem esse per se intentam ab operante, verùm quòd præcipiendo imponat obligationem, non tantùm obedientiæ, sed etiam illius virtutis, in cujus materia præcipit, v. g. temperantiæ, justitiæ &c. adeò ut transgrediens præceptum peccet non solùm contra obedientiam, sed etiam contra temperantiam, justitiam &c. Verbo ut absolvam; qui audit Missam ex malo fine, implet substantiam actûs præcepti, & ideo satisfacit.

92. Satisfacit qui ex metu audit Missam,

Et par ratio est de illo, qui audit Missam ex metu, aliàs non auditurus. Nam ponit reipsâ totum quod præcipitur, si jam in Ecclesia positus velit audire Missam. Alioquin si interiùs omnino repugnaret, & nollet consentire auditioni Missæ, jam illa non esset actio humana, nec vellet etiam implicitè offerre illud Sacrificium. Ita Cardinalis de Lugo disp. 22. n. 23. & meritò, quidquid in contrarium doceat Dicastillo disp. 5. n. 70. ubi sic ait:

nisi interiùs omnino reputet. *Lugo. Dicastillo.*

An illa interna voluntas debeat exteriùs manifestari?

Si tamen exteriùs non manifestatur illa interna voluntas non audiendi, aut non assistendi, etiamsi illam habeat, non obest quò minùs impleat. Quidquid reclamet Lugo n. 23. ubi etiam immeritò negat implere eum, qui manet in templo, ut expectet amicum dum fit Sacrum. Si enim exteriùs in utroque casu non ostenditur ea alienatio voluntatis ab actu, & actus ipse assistentiæ exteriùs fit, non potest Ecclesia aliud judicare aut præcipere, etiamsi reverà non sit assistentia humana & oblatio Sacrificii.

Affirmat Dicastillo contra Lugonem

& probat à simili.

Sicut enim implet præceptum confitendi, quatenus Ecclesiasticum est, qui sine dolore interno confitetur, etiamsi reverà illa non sit Confessio sacramentalis; ita hic, qui exteriùs sine animo assistit Sacrificio, etiamsi non sit in illo sensu humana assistentia, & vera oblatio Sacrificii. Hæc ille.

93. Idem docet de illo qui cogitur audire Missam.

Idemque docet de illo, qui ligatis manibus & pedibus, cogeretur assistere Sacrificio. Qui proinde, etiamsi postea eodem die posset assistere alteri, non tenetur; sicut qui jejunavit semel in hebdomada defectu cibi, alioquin non jejunaturus, non puto, inquit Dicastillo n. 71. illum teneri iterum in hebdomada jejunare, si haberet præceptum jejunandi unum diem, quem volet in hebdomada, id enim jam præstitit.

Interim non negat sententiam Lugonis esse probabilem, quamvis omnino verum existimet nu. 73. non frangere præceptum jejunii, qui ita coactè jejunat; sicuti volens quantùm in se est, percutere Clericum contra præceptum Ecclesiæ, si reverà non percutiat, quia per vim impeditur, non fregit præceptum.

94. Aliud est non frangere præceptum jejunii, aliud illud adimplere.

Sed ut ab ultimo incipiamus, aliud est non frangere præceptum jejunii, aliud verò præceptum jejunii adimplere. Quis enim dixerit pueros & amentes satisfacere præcepto jejunii, si fortè abstineant à carnibus & secunda refectione? Et existimas magis voluntariè abstinere à carnibus, & secunda refectione, qui id facit coactus defectu cibi cum absoluta voluntate comedendi? Non video ego disparitatem; quoniam abstinentia illa nullatenus procedit à voluntate cum cognitione.

Unde non dubito, quin si haberet præceptum jejunandi unum diem, quem volet in hebdomada, iterum teneretur jejunare; quia verè non præstitit id, ad quod erat obligatus, puta, quia non jejunavit voluntariè.

95. Objectio.

Dices: qui sic coactè restitueret bona aliena; quia nimirum ipso resistente, Magistratus ea vero Domino redderet, non teneretur itèrum restituere: ergo &c.

Respon-

Solvitur.

Respondeo Negando Consequentiam. Disparitas plana est, eò quòd materia præcepti in hoc casu sublata sit. Non enim restitui potest nisi alienum; porrò alienum supponitur ampliùs non habere; quocirca tametsi vellet, non posset ampliùs restituere. Quis autem non videat, alium iterum posse jejunare? Neuter ergo implet præceptum, equidem unus excusatur ab iterata restitutione, quia impossibilis; alter verò tenetur rursum jejunare, quoniam potest, & nondum satisfecit præcepto.

96. An lex humana prohibeat internum propositum non faciendi actum præceptum?

Plùs dico; uterque peccavit contra præceptum, non quidem actu exteriori, qui, secundùm multos Theologos, solùm materialiter malus est; sed efficaci affectu interiori, in quo tota malitia formalis, juxta illam sententiam, completur. Nisi dixeris, præcepta humana adeò abhorrere actum internum, ut etiam nequeant prohibere efficax propositum non faciendi actum præceptum; quod nimis absurdum est.

Nam qui præcipit aliquid, prohibet illud, quod est incompossibile impletioni præcepti, sicut est illud propositum. Deinde prohibitâ per legem humanam, v. g. comestione carnium, constituitur hæc in ratione objecti mali; ac proinde eam desiderare in quantum prohibita, malum est, cùm actus internus desumat malitiam ab opere externo tamquam objecto, &, si efficax sit, insuper ab illo tamquam ab effectu.

97. Objectio.

Dices; efficax propositum, v. g. comedendi in die jejunii, si adesset cibus, non est malum, quia prohibitum per legem humanam; sed quia contrarium legi naturali obedientiæ.

Responsio.

Respondeo, & quæro, si lex humana non prohiberet comestionem carnium, nùm foret peccatum contra legem naturalem obedientiæ efficaciter velle illas comedere? Minimè inquis.

Quæro secundò; si Ecclesia sic diceret: *Nolo quòd aliquis comedat carnes, de proposito autem comedendi non curo*, numquid tale propositum esset contrarium legi naturali obedientiæ? Nequaquam. Ergo quòd de facto contrarium sit, provenit formaliter & immediatè ex ipsa lege humana, quæ censetur prohibere seu præcipere non solùm actum externum, sed actum externum voluntarium; adeoque simul prohibere vel præcipere actum internum, sine quo non potest actus externus esse voluntarius.

Alioquin dicam, omnem obligationem legis humanæ, etiam ad actum externum, esse obligationem legis naturalis, vel præcepti divini; quoniam radicata in illo principio: *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.* Heb. 13. v. 17. Et isto Rom. 13. v. 1. & 2. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Quod est tollere omnem potestatem legislativam humanam. Vel si nihilominus adhuc manet potestas respectu actûs exterioris, quia formaliter & immediatè illa obligatio resultat ex lege humana; etiam manet potestas respectu propositi interni efficacis, sine quo actus externus non est humanus.

Heb. 13. Rom. 13.

Ex his patet quid sit dicendum de illo, qui habet quantùm in se est efficax propositum internum percutiendi Clericum, etsi non percutiat, quia per vim impeditur: videlicet non magis implere illud præceptum Ecclesiæ, quàm stultus qui vult percutere & impeditur, quin etiam peccare contra illud præceptum, non quidem actu exteriori (& ideo excusatur ab excommunicatione, quam aliàs incurreret) sed reverà actu interiori, in quo, ut dictum est, tota formalis malitia, secundùm aliquam sententiam, completur. 98. Quid dicendum de habente propositum internum percutiendi Clericum?

Quæ cùm ita sint, dico rursum cum Lugone, non satisfacere præcepto audiendi Missam, qui, quantùm in se est, non vult audire Sacrum, estò vel voluntariè, vel omnino coactè corpore sit præsens, & illam internam resistentiam nullo signo externo ostendat. Ratio principalis; quia talis non aliter audit Sacrum, quàm puer, vel amens, aut ebrius, qui ita exteriùs assistit Sacrificio, ut omnes putent ipsum uti pleno & perfecto usu rationis.

Dices; disparitas est, quòd puer, vel amens nequidem corpore voluntariè sit præsens. 99. Objectio.

Sed contrà: nonne qui ligatis manibus & pedibus cogitur, renitente omnino voluntate, manere in Ecclesia, voluntariè præsens est corpore? Et tamen ille satisfacit secundùm Dicastillonem suprà. Solvitur.

Quin imò illam voluntariam præsentiam non requiri, probatur eodem exemplo; nam secundùm omnes ita ligatus satisfaceret, si ex necessitate faceret virtutem, id est, si videns se non posse exire, velit simul cum Sacerdote Sacrificium offerre, eo modo quo alii, qui voluntariè sunt præsentes.

Igitur Ecclesia non tantùm præcipit corporalem præsentiam audè & præcisè secundùm se consideratam; sed ut conjunctam actui interno, ratione cujus actus externus potest specialiter prodesse bono communi. 100. Materia hujus præcepti est externa præsentia conjuncta interno voluntati concelebrandi.

Rogas quis sit ille actus internus? Respondeo, voluntas concelebrandi saltem implicita, per quam exterior præsentia, quæ de se est indifferens, constituitur verus actus Religionis; ac proinde specialiter conducens ad bonum tum privatum assistentis, tum commune ipsius Ecclesiæ.

Porrò quòd Ecclesia possit hujusmodi actum inter-

internum præcipere, etsi neget Dicastillo cum nonnullis aliis, equidem communiter conceditur; & consequenter negatur satisfieri præcepto Ecclesiæ per Confessionem sacrilegam defectu doloris interni.

101. Hanc voluntatem posse Ecclesiam præcipere, probatur primò ex ratione,

Sanè Ecclesiam posse hujusmodi actus præcipere; Probatur primò: quia non repugnat humano Legislatori esse concessam talem potestatem, & præterea congruum est de facto censeri concessam; igitur ita existimare debemus. Antecedens probatur quoad priorem partem de possibili; tum quia si omnino ex natura rei implicaret, non posset utique potestas humana præcipere, ut actus exterior fieret voluntariè, cùm illa sit conditio interna, nec per se possit satis exteriùs discerni: tum quia de facto Christus concessit Ecclesiæ jurisdictionem fori conscientiæ, quod merè internum est; ergo etiam potuisset concedere jurisdictionem fori externi ad actus internos, licèt non physicè, saltem moraliter connexos cum actibus externis.

Posterior Antecedentis pars, suppositâ priori, est satis clara; quis enim non videt talem potestatem multùm posse facere ad bonum commune? Quæ enim utilitas ex materiali auditione Sacri, ex materiali lectione Horarum &c.? Plurima autem ex formali, id est, ex illa, quæ fit cum intentione colendi Deum; siquidem pertinet ad communem sanctitatem Ecclesiæ, ad impetranda Ecclesiæ à Deo varia beneficia, ejusque iram à populo Christiano propulsandam.

Similiter quæ utilitas in externa tantùm administratione Sacramentorum sine vera intentione conficiendi Sacramenta? Immo maximum damnum spirituale suscipientium; è contra verò maximum emolumentum provenit, si adsit vera interna intentio. Ergo si potuit concedi potestas præcipiendi illos actus internos, congruum est existimare esse de facto concessam: planè siquidem congruit, quòd Legislator habeat adæquatam potestatem in suo ordine requisitam pro boni communis defensione.

102. Probatur secundò variis exemplis.

Secundò probatur hæc doctrina variis exemplis, in quibus videtur Ecclesia de facto uti hâc potestate & admodùm utiliter pro bono communi. Atque in primis pœnam statuit in Monachum Benedictinum, qui sine licentia Superioris confert se ad Curiam Regiam intentione Monasteriis vel Prælatis damnum inferendi Clement. I. de statu Monach. §. *Quia verò*, ibi: *Nos eorum in hac parte reprobis ausibus obviare volentes, hoc edicto perpetuo prohibemus, ne Monachi aut Regulares Canonici administrationem aliquam non habentes ad Curias Principum absque speciali Prælatorum suorum licentiâ se conferre præsumant. Quòd si ut suis Prælatis aut Monasteriis damnum aliquod inferant ad dictas Curias se conferre præsumpserint, excommunicationis sententiam eos incurrere volumus ipso facto.* Quæ tamen intentio occulta est, internaque, cùm possent alio fine ad Curiam pergere.

Primum ex Clement. I. de statu Monach.

Deinde in Clement I. de Hæreticis §. *Verùm quia est grave*, excommunicantur Inquisitores hæreticæ pravitatis, qui non fuerint Episcopi vel Superiores (nam his imponitur pœna suspensionis ab officio per triennium) *Si odio, gratiæ, vel amoris, lucri aut commodi temporalis obtentu, contra iustitiam, aut conscientiam suam omiserint contra quemquam procedere, ubi fuerit procedendum super huiusmodi pravitate.* Ubi similiter ille malus affectus est internus, nec satis manifestatur per omissionem procedendi; quia posset talis omissio ex negligentia procedere.

Secundum ex Clementina I. de Hæreticis.

103. Prima responsio Adversariorum rejicitur.

Scio aliquos dicere, illam excommunicationem minimè incurri, nisi pravus animus aut affectus aliquo signo exteriùs declaretur. Sed si dicere est probare, negare est reprobare. Dicunt ergo, sed non probant, nisi petendo principium; tota enim probatio est, quia Ecclesia non potest actus hujusmodi internos præcipere, de quo quæritur. Et sanè nullum verbum in illis textibus inveniri potest, quod vel umbram ingerat signi alicujus externi.

Secunda responsio.

Respondent alii; ibi non puniri pravam intentionem internam, sed actiones externas, quæ in se malæ & punibiles sunt, ut patet ex textu; quamquam eas Pontifex non puniat, nisi cum quodam favore & restrictione, scilicet, nisi talis prava intentio sit conjuncta.

Approbatur.

Optima responsio! Nos enim non intendimus probare ex illis Clementinis, Ecclesiam de facto punire actum merè internum; sed actum internum, qui licèt physicè neutiquam conjunctus sit cum actu exteriori, equidem habet moralem aliquam connexionem, ob quam actus exterior specialiter obest bono communi. Sic etiam sæpè excommunicantur, qui aliquid scienter fecerint, non quòd puniatur scientia merè interna; sed quia actus externus de se punibilis, etsi ex ignorantia vincibili foret factus, non punitur nisi præsente istâ conditione, ratione cujus specialiter obest bono communi.

Nùm fortè Adversarii responderent, etiam illam scientiam aliquo signo exteriùs debere declarari, ut talis excommunicatio incurratur? Non credo.

104. Aliud exemplum proponitur.

Accedat exemplum Ecclesiæ præcipientis, ut tali die Sacerdotes omnes legant Missam ad certam intentionem. Et eadem est ratio Prælati Regularis respectu subditorum.

Responsio Adversariorum.

Respondent Adversarii, Ecclesiam, neque Prælatum id posse præcipere, præcisè per potestatem jurisdictionis: nam sic præciperet actum merè internum; cùm determinata intentio planè per accidens conjungatur Sacrificio exteriori. Nam quod ait Suarius de

Legibus lib. 3. cap. 29. n. 10. applicationem Missæ esse necessariam ad completam oblationem Sacrificii, & ad conferendum alteri fructum ejus, solùm verum est de applicatione Missæ sive implicitâ, sive explicitâ pro vivis & defunctis in universum. Alioquin si Sacerdos faceret Sacrum pro vivis & defunctis, & non determinaret pro hoc, vel illo specialiter, relinqueret aliquod complementum necessarium Sacrificii, atque adeò peccaret, quod nemo dixit.

Adde, quòd oratio, jejunia, eleëmosynæ ordinata sunt à Deo, ut ipsa offerantur pro vivis & defunctis, & præter meritum ea facientis, applicantur ad satisfaciendum, & impetrandum; & tamen nemo dicit, quòd ad complementum eorum pertineat determinata applicatio pro hoc vel illo particulari. Ita *Tamburinus.* Tamburinus de Sacrificio lib. 2. cap. 11. §. 9. num. 9.

105. Rejicitur. Respondeo, Suarium non velle, quòd applicatio pro hoc determinato sit complementum ex jure divino necessarium sub peccato; sed tantùm quòd sit aliquod complementum Sacrificii, ratione cujus specialiter potest prodesse bono communi, vel privato Ecclesiæ; illud autem videtur sufficere ut illa intentio, licèt interna, indirectè tamen possit præcipi per potestatem jurisdictionis.

Et dato, quòd Ecclesia numquam particularem aliquam intentionem præcepisset, non indè rectè infertur: ergo non potest præcipere; cùm non valeat Consequentia à negatione actûs ad negationem potentiæ. Ideo autem communiter non præcipit; quia non occurrit necessitas boni communis.

Interim si casus contingeret, quòd Deus revelaret Ecclesiæ, illam in multis locis brevi perituram, nisi Sacerdotes particulariter ad hanc vel illam intentionem celebraverint, vix dubito quin Pontifex præciperet Sacerdotibus celebrare ad illam intentionem; & Sacerdotes huic præcepto Pontificis quidni tenerentur obedire?

106. Si aliunde est obligatio ad certam intentionem celebrandi, Superior potest eam præcipere. Nota signanter dictum fuisse, *Per potestatem iurisdictionis*, quia si aliunde est obligatio ad certam intentionem, sive ex justitia naturali, sive ex voto, indubiè tenentur subditi Superiori præcipienti obedire, v. g. Religiosi Prælato Regulari, si votum solemne obedientiæ extendat se ad actus merè internos, sicuti potest se extendere.

Consimiliter, sicuti quilibet Sacerdos accipiens stipem pro applicanda Missa, Petro v. g. ex vi pacti pro eodem applicare tenetur; & sicuti qui vovit dicere Missam pro tali re, utique pro tali re dicere obligatur: sic Superior Religionis obligatus ex justitia titulo eleëmosynarum, aut fundationis ad applicandas Missas, potest præcipere subditis suis, ut tales Missas applicent, & tunc proculdubio subditi tenentur, quia Superior & subditi faciunt unum corpus Religionis, quæ Religio, ut supponimus, se ad illas Missas obligavit; & ex alio capite Religiosi statim atque professi sunt per vota solemnia in tali Religione, implicitè ad hujusmodi onera se obligarunt, & quotidie se obligant, quando Superior nomine Monasterii quotidiana acceptat stipendia.

Sola ergo difficultas est, an Superior possit præcipere certam intentionem præcisè per potestatem jurisdictionis sive legislativam; quod nostra sententia affirmat, quæ est magis communis, quamvis contraria non sit improbabilis.

Cæterùm, quidquid sit de hac re, saltem videtur, quòd Ecclesia possit præcipere, non tantùm simulatum actum Sacrificii, sed verum, ad quem requiritur intentio sacrificandi sive consecrandi, quæ interna est, & exteriùs non satis potest discerni; cùm omnes actiones exteriores possint fieri sine illa. Et eadem est ratio de præcepto Confessionis annuæ, quæ postulat internum dolorem de peccatis commissis, & propositum de cætero non peccandi. 107. Ecclesia potest præcipere verum actum Sacrificii, & verum Confessionem.

Respondent Adversarii; satisfieri præcepto Ecclesiæ per sacrilegam Confessionem, ut suprà vidimus ex Dicastillone, & idem dicerent de simulato Sacrificio; quamquam aliunde, qui simulat, peccet contra præceptum divinum, invalidè suscipiendo, aut conficiendo Sacramentum. 108. Responsio Adversariorum.

Sed contrà; Ecclesia præcipit ut annuè impleatur præceptum divinum Confessionis, ut colligitur ex Tridentino sess. 14. c. 5. in fine, ubi ait: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi Fideles confiterentur, quod iure divino necessarium & institutum esse intellexerat; sed ut præceptum Confessionis*, utique divinum, *saltem semel in anno impleretur.* Statuit igitur Ecclesia annuam Confessionem verè sacramentalem, qualis jure divino erat indeterminatè præcepta. Rejicitur ex Tridento.

Confirmatur ex can. 8. ejusdem sessionis, sequentis tenoris: *Si quis dixerit Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem & traditionem humanam, à piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes & singulos utriusque sexûs Christi Fideles iuxta magni Concilii Lateranensis constitutionem semel in anno &c. anathema sit.*

Respondent planè sic esse, & ideo non satisfieri præcepto Confessionis annuæ per sacrilegam Confessionem, in quantum est præceptum divinum; secùs in quantum est Ecclesiasticum. Neque enim, inquiunt, est præceptum merè Ecclesiasticum, quemadmodum præceptum auditionis Missæ, sed quædam determinatio præcepti divini. 109. Alia responsio. Rejicitur.

Infero: ergo qui non implet præceptum divinum, non implet præceptum Ecclesiasticum. Probo Consequentiam, quia non facit rem deter-

determinatam: ergo non implet determinationem Ecclesiæ; sicuti non implet præceptum purè Ecclesiasticum, qui non facit rem præceptam. Quæ enim disparitas?

Quia, inquis, Ecclesia non potest præcipere actum internum. Sed hoc est quod quæritur. Deinde, arguit aliquis, si satisfacio præcepto Ecclesiæ exteriùs tantùm confitendo, quare pecco id faciendo? Nam materia præcepti ad minus debet esse actus indifferens. An fortè quia invalidè suscipio Sacramentum? Non intendo suscipere, neque debeo præcisè ex vi præcepti divini; dicam ergo Confessario me tantùm velle suscipere Sacramentum exteriùs, ut satisfaciam præcepto Ecclesiæ, & ideo nolle me habere absolutionem.

Numquid sic recedens à sede Confessionis satisfeci præcepto Ecclesiæ? Feci enim omnia exteriùs quæ alii verè pœnitentes solent facere. Quòd autem absolutionem non susceperim, quid indè? Non teneor suscipere, neque ex jure divino præcisè, ut patet; possum enim peccata mea manifestare Sacerdoti sine ordine ad absolutionem; neque ex jure Ecclesiastico, quia illud non potest me obligare ad actum internum, qui necessarius est, ut licitè suscipiam absolutionem, adeoque nec ad ipsam absolutionem externam; utpote peccaminosam sine tali actu interno.

110. Tertia responsio Adversariorum.

Dices; Ecclesia non obligat ad externam tantùm Confessionem & absolutionem, cum exclusione internæ dispositionis, sed præscindendo ab illa. Et quamvis ut sic non sit actus ex objecto suo bonus, equidem indifferens, & supponitur futurus bonus, si conjungatur actui interiori, ad quem obligat præceptum divinum. Hinc si alicui esset impossibilis physicè, vel moraliter debita interna dispositio, nullatenus ex præcepto Ecclesiæ obligaretur ad externam Confessionem.

Eandem responsionem adhibent Adversarii alteri exemplo communis sententiæ, quod desumitur ex cap. *Dolentes*. de Celebr. Miss. ubi in fine præcipitur Clericis in virtute obedientiæ *ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantùm eis Deus dederit studiosè celebrent, pariter & devotè*. Quod quidem communis sententia intelligit de interna devotione; non pauci autem de sola exteriori, honestâ scilicet corporis compositione, causantes hoc ipso, quòd Ecclesia præcipit cultum externum, naturalem legem Veritatis, aut Religionis præcipere ut conjungatur cultus internus, ne committatur mendacium facti, aut ne Deus irreverenter colatur; & hoc sufficere putant, ut actus ab Ecclesia præceptus, reipsâ debeat fieri religiosè, quamvis hoc non requirat præcisè in quantum ab Ecclesia præcipitur.

Cap. Dolentes de Celeb. Miss.

111. Refellitur.

Sed contrà; nullum erit mendacium facti, nec cultus simulatus, quia talis actus non ordinatur ad decipiendum. Quòd si igitur Ecclesia solùm præcipit, ut illud externum opus exhibeatur, nemo poterit ex eo decipi, existimando quòd qui illud facit, internam habeat devotionem (per quam intelligo voluntatem colendi Deum) si enim hæc non debet esse annexa ex præcepto Ecclesiæ; ex nullo alio fundamento debet esse annexa.

Quod probatur; quia nec ex natura rei: potest enim quis legere verba Horarum, aut cantilare, ut ea memoriæ mandet, vel spiritualis recreationis gratiâ; nec etiam ex præcepto aliquo divino, quippe divina lex non præcipit ut Deus in die septies laudetur, imò nec ullo modo præcipit per se, ut Ecclesiastici orent.

Licèt enim aliquæ personæ Ecclesiasticæ ab Ecclesia stipendium accipiant, pro quo teneantur jure divino naturali justitiæ Ecclesiæ aliquod obsequium rependere, non tamen præcisè per officium orandi, sed possunt satisfacere per curam animarum, Sacramenta Fidelibus administrando, serviendo in Sacrificii administratione, Verbi divini prædicatione, & similibus. Itaque ex jure divino Ecclesiasticæ personæ non tenentur amplius ad orandum, quàm alii Christiani; licèt de congruo teneantur, & ideo Ecclesia hoc illis justè præceperit.

112. Objectio.

Dices; Ecclesia habet generaliter obligationem Deum colendi & adorandi vero cultu interno & externo, cui obligationi intendit satisfacere deputando præceptoriè certos ministros, qui ipsius & totius populi nomine per officia à se instituta Deum certis temporibus colant. Deinde Ecclesia ex pacto cum Fundatoribus obligatur, ut procuret divina Officia fieri, secundùm eorum intentionem, quæ sine dubio fuit, ut cum devotione internâ legerentur; illam autem per præceptum suum refundit in Ecclesiasticos, quoniam ipsi specialiter sunt deputati ex statu suo ad Deum colendum, & orandum pro populo, vel etiam quia ipsi fundationum fructus recipiunt, & non alii.

Si quam ergo habent obligationem recitandi Horas cum devotione interna, radicaliter oritur ex lege divina vel naturali, Ecclesiâ exequente & explicante illam obligationem per suam legem. Eo modo, quo Superior Regularis imponit obligationem subditis celebrandi ad hanc vel illam intentionem, ad quam Monasterium ex justitia obligatur.

113. Solutio.

Subtilis speculatio! Sed quæ non favet Adversariis nostris; qui contendunt Beneficiarios satisfacere suæ obligationi recitando Horas cum sola devotione externa; cujus contrarium sequitur ex illâ speculatione, ut patet in simili adducto; nemo enim dixerit Sacerdotem celebrantem ad aliam intentionem, satisfacere suæ obligationi.

Deinde unde constat illa obligatio justitiæ, orta ex voluntate Fundatorum? Estò siquidem intentio eorum fuerit, ut cum devotione interna Horæ Canonicæ persolverentur; non est verisimile voluisse Ecclesiam ad id ex justitia obligare. Ut omittam infinitos Religiosos, & alios Sacerdotes sæculares, qui ad Horas obligantur, sine ullis Ecclesiasticis proventibus.

Quantùm autem ad generalem obligationem Ecclesiæ, eodem modo dicam, illam impositam esse omnibus Fidelibus per præceptum audiendi Sacrum: non enim video ex quo capite Ecclesia ampliùs obligetur ad exhibendum Deo cultum orationis, quàm ad exhibendum cultum Sacrificii; & licèt hic magis propriè conveniat Sacerdotibus, equidem suo modo etiam cæteris Fidelibus.

114. Præceptum audiendi Missam originaliter est de jure naturæ,

Unde putant multi, præceptum audiendi Missam ducere originem à jure naturæ. Nam apud omnes etiam Gentes servatum est, ut omnes qui ad aliquem populum, vel Rempublicam pertinent, aliquo modo & aliquibus diebus congregentur, & conveniant ad colendum Deum, eo ritu sacrificandi, quem unaquæque Respublica profitetur: nam sicut Sacrificium est communis & publicus cultus, qui nomine omnium offertur, ita etiam ratio ipsa postulat, ut omnes aliquando assistant, suumque consensum & cooperationem, quo modo possunt, præbeant.

& consentaneum juri divino.

Et eâdem ratione præceptum audiendi Missam est valde consentaneum juri divino: voluit namque Deus ac præcepit, se coli in Ecclesia Christi hoc genere Sacrificii, juxta illud: *Hoc facite:* ergo valde consentaneum est huic præcepto, ut omnes Fideles obligentur ad colendum Deum aliquando hoc Sacrificio, unusquisque eo modo quo potest: ergo vel offerendo, vel saltem assistendo.

Si igitur dixeris, legem divinam præcepisse Ecclesiasticis orare cum interna devotione; Ecclesiam verò determinasse tempus, & modum: dicam pariter legem divinam præcepisse omnibus Fidelibus verum cultum Religionis, Ecclesiam autem determinasse tempus, & modum. Et habeo intentum, scilicet non satisfieri præcepto audiendi Sacrum per nudam corporalem assistentiam sine animo colendi Deum, sive ille animus requiratur ex præcepto Divino, sive Ecclesiastico.

115. Tota obligatio audiendi Sacrum cum interna intentione oritur ex voluntate Ecclesiæ.

Cæterùm ut ad primum propositum revertamur, planè existimo totam obligationem, quanta quanta est, oriri ex voluntate Ecclesiæ, suppositâ congruentiâ rei præceptæ. Neque apparet aliquid speciale, quod objici possit, nisi commune dictum: Ecclesiam non posse constituere legem, cujus transgressionem non potest punire; non potest autem punire affectum illum internum, cùm eum non cognoscat.

Hæc intentio frequenter se externè prodit.

Sed respondeo, illum actum internum, de quo procedit nostra sententia, esse talem, ut frequenter ex circumstantiis possit colligi, quòd si aliquando non possit, per accidens esse in morali existimatione, quæ attendit id, quod ut plurimùm contingit: nam sic etiam actus externi occulti non possunt cognosci, & tamen nemo dubitat, quin possint humanâ lege puniri, quia frequentiùs produnt se, ita ut possint cognosci.

Adde, quòd humanæ legis potestas debet magis colligi ex usu approbato, quàm præcisè ex naturali ratione: nam sanè ex natura rei non implicat legem humanam etiam directè versari circa actus merè internos, v. g. amoris Dei &c. adeò ut omittentes possent puniri per legem, sicut puniuntur externi peccatores perfectè occulti per legem pœnalem; v.g. excommunicationis latæ sententiæ, sive ipso facto incurrendæ, etsi nequeat delictum probari in foro externo & in foro fori. 116. Ex natura rei non implicat legem humanam directè versari circa actus merè internos.

Et dato, quòd non possent puniri ab hominibus pœnâ aliquâ externâ, cur non sufficiat potestas punitiva Dei? Nonne communiter docetur Legislatorem, etiam supremum, propriis legibus obstringi quoad vim directivam, estò humanâ potestate non possit puniri? Jam autem usus obtinuit, ut quamvis lex humana de his actibus non disponat directè, disponat tamen, eo modo, quo diximus, indirectè, prout exemplis satis probatum est.

Nec audiendi sunt Adversarii, qui plenis buccis clamant: Ecclesia dicit se non habere istam potestatem. Et ubi quæso? Capite, inquiunt, *Tua nos*, 34. de Simonia ibi: *Licèt autem taliter duximus respondendum, quia nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare.* Et in Concilio Tridentino sess. 24. c. 1. de Refor. Matrim. ibi: *Cui malo cùm ab Ecclesia, qua de occultis non iudicat, succurri non possit* &c. 117. Objectio. Cap. 34. de Simonia.

Sed apertè agitur ibi, id est, in Conc. Tridentino, de externis per accidens occultis; loquitur enim de adulteriis occultis, ut patet ex verbis immediatè præcedentibus: *Præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priori uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum aliâ palàm contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio* (utique per accidens occulto) *vivunt.* Solvitur primò. Trident.

Caput *Tua nos* majorem habet difficultatem; videtur quippe agere de per se occultis, sive de actibus merè internis; ut colligitur ex verbis immediatè subsequentibus: *Si tamen is, qui talem donationem facit* (loquitur de Clerico, qui aliqua de bonis suis offert Ecclesiæ, ut in Canonicum admittatur) *eâ intentione ducatur* (utique merè internâ) *ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci: & Clerici qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri: sine dubio tam ille quàm isti apud districtum iudicem* (*qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum*) *culpabiles iudicantur.*

Cur

118. Solvitur secundò.

Cur ergo non sunt audiendi Adversarii? Respondeo, quia Ecclesia tam ibi, quàm alibi intelligenda venit de judicio externo & foro fori, per sententiam scilicet ab homine, argumento cap. *Sicut tuis* 33. de Simonia ibi: *Illos autem qui dederunt pecuniam, vel etiam receperunt, in tantum constat esse culpabiles, quòd si excessus eorum esset Ecclesiæ manifestus (quæ non iudicat de occultis) pœnâ essent canonicâ feriendi.* cap. 33 de Simonia.

Alioquin si Ecclesia nullo prorsus modo judicat de occultis, sibi ipsi manifestè contradicit, quando per sententiam excommunicationis ipso facto incurrendæ punit hæresim externam, quantumvis occultissimam, ut omnes admittunt. Similiter homicidium occultum pœnâ irregularitatis, & sic de aliis.

Quapropter libenter admittimus, legentem Horas suas Canonicas tantùm materialiter sine intentione colendi Deum, sed recreationis ergo, exteriùs tamen reverenter & compositè, à foro externo Ecclesiæ minimè judicari, aut externis pœnis urgeri, imò fortè nec ad restitutionem teneri; quia saltem coram Ecclesia opus & laborem subiit, cui debetur stipendium (& eadem est ratio illius, qui exteriùs audit Missam) nihilominus putamus probabilissimum & hunc & illum in foro conscientiæ judicari, convinci & condemnari peccasse mortaliter.

Ex his facilè erit resolvere qualis attentio requiratur, & sufficiat ad debitam auditionem Missæ. Hæc est autem nostra resolutio;

CONCLUSIO VII.

Non impletur præceptum Ecclesiasticum audiendi Missam sine aliqua attentione interna.

119. Ad Missæ auditionem necessaria est attentio externa.

ATtentionem externam esse necessariam omnes fatentur. Hæc autem consistit in negatione distractionis externæ, id est, alicujus negotii, vel occupationis externæ, quæ ex se nata est distrahere mentem ab auditione Missæ, id est, impedire attentionem internam; v. g. si quis in Missa depingere vellet, vel legere historias profanas aut quæstiones speculativas, confabulari, ludere, & similia. Attentio porrò interna consistit in applicatione interna mentis ad Missam, quæ assignari solet triplex. Prima & infima, ad sonum verborum, & externos ritus. Secunda melior, ad significationem verborum & rituum. Tertia & optima, ad Deum, & ad res divinas.

Quæ sit illa?

Attentio interna quid sit, & quotuplex.

120. Quæ ex illis requiratur.

Rogas, quæ ex istis sufficiat, & requiratur? Respondeo illa quæ sufficit & requiritur, ut sit & maneat voluntas consacrificandi, sive colendi Deum per illam materialem assistentiam, id est, cognitio proportionis, sive aptitudinis illius materialis assistentiæ ad colendum Deum.

Sanè hujusmodi attentionem internam requiri, nemo potest negare, qui admittit necessitatem intentionis internæ: nihil enim volitum nisi cognitum; si ergo debeo velle Deum colere per illam assistentiam, etiam omnino necessarium est, me intelligere saltem implicitè & confusè illam assistentiam esse aptum medium ad Deum colendum.

Dico, *Saltem implicitè*; quia sicuti sufficit voluntas implicita faciendi, quod Ecclesia intendit facere; sic itidem sufficiet implicita cognitio, quâ cognosco rem illam tamquam bonam & honestam ab Ecclesia ad Dei cultum institutam.

121. An consistat cum distractione actuali

An autem hæc attentio possit simul stare cum actuali distractione circa ea, quæ in Missa aguntur, eorumque significationem, & res divinas, pendet ex resolutione hujus quæstionis: an cùm illa distractione possit stare voluntas audiendi Missam, sive offerendi Sacrificium cum Sacerdote.

Et sanè si cum illa distractione possit stare sufficiens voluntas consecrandi, sive sacrificandi, quidni, dicet aliquis, etiam possit stare sufficiens voluntas consacrificandi, sive concelebrandi? Porrò quis dubitat actualiter distractum validè posse consecrare? Nonne omnes docent ad valorem Sacramenti sufficere intentionem virtualem? Proinde & illa sufficiet, ut satisfiat præcepto audiendi Missam.

Transeat totum: Ergo sine omni attentione interna potest satisfieri huic præcepto; distinguo Consequens: sine omni attentione actuali sive reflexiva, Concedo totum; sine omni attentione etiam virtuali seu tenuissima, Nego Consequentiam.

Enimverò nihil volitum nisi cognitum; si ergo manet in homine actualiter distracto virtualis volitio, etiam ex consequenti manet virtualis cognitio. Et si virtualis volitio, ut aliqui volunt, est actus tenuissimus voluntatis, dico consequenter, etiam virtualem cognitionem esse tenuissimum actum intellectûs. Vel si sufficit intentio virtualis, quamvis de facto nulla sit omnino voluntas circa rem, quæ agitur, etiam poterit sufficere virtualis attentio interna, quamvis de facto nihil circa Missam cogites, dummodò volueris attendere, & illa voluntas non sit interrupta per contrariam voluntatem.

122. Objectio.

Dices; stat intentio virtualis conficiendi Sacramentum cum voluntaria planè distractione: ergo etiam intentio virtualis audiendi Sacrum.

Aliquorum solutio.

Respondent aliqui Negando Consequentiam; quia, inquiunt, non præcipitur, ut formæ Sacramentorum pronuntientur per modum cultûs Dei, sed solùm ut pronuntientur illa verba; adeò ut etiam efficiant suum significatum,

ficatum, estò prolata joco, & cum irreverentia, sive distractione etiam externa. Audebit autem quispiam dicere, quòd impleatur præceptum audiendi Missam sine attentione externa?

Igitur voluntaria distractio, tametsi non impediat intentionem virtualem conficiendi Sacramentum, id est, proferendi illa verba, prout à Christo sunt instituta; equidem interrumpit intentionem exhibendi cultum Deo, quandoquidem nec res, nec verba habeant rationem cultûs absque attentione aliqua interna saltem virtuali, quæ, ut patet, destruitur per voluntariam distractionem, sicut destruitur intentio virtualis per expressam nolitionem conficiendi Sacramentum, vel non audiendi Sacrum.

123. Objectio. Infers: ergo si Sacerdos ministrans Sacramentum Extremæ Unctionis admitteret spontè aliquam mentis evagationem, quando profert verba formæ, *Per istam sanctam Unctionem* &c. Sacramentum non esset validum, licèt ipse ab initio habuisset intentionem conferendi Sacramentum, nec eam unquam revocasset. Probatur Consequentia, quia forma illa est deprecatoria.

Solvitur. Respondeo Neg. Consequentiam; quia dici posset, licèt forma communis sit oratio sive deprecatio, equidem ut talis non causat suum significatum; sed ad instar formarum aliorum Sacramentorum.

Colligitur ex forma Ambrosiana: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris* &c. *ut more militis uncti præparatus ad certamen, aërias possis superare potestates*; de qua suo loco. Et verò si Extremæ Unctioni particularis esset forma verè deprecatoria, quod inconveniens, si etiam particularis ipsi foret attentio interna? Interim

124. Responsio secunda ad principalem objectionem. Respondeo secundò ad principalem objectionem Negando Antecedens; videlicet cum voluntaria omnino distractione manere intentionem virtualem conficiendi Sacramentum; adeòque subsistere Sacramentum sic collatum. Voco autem voluntariam distractionem, quando quis non vult absolutè attendere ad illa, quæ agit.

Quare miramur? Nonne Deus potuisset exigere ad omnem confectionem Sacramenti intentionem actualem? Potuisset omnino, & tamen Doctores communiter docent sufficere virtualem. Sed cur hoc? Ut subveniatur imbecillitati intellectûs humani, qui facillimè ad alia cogitanda distrahitur, adeòque ne Sacramenta sæpiùs exponantur nullitati cum maximo damno suscipientium.

Potuit Deus requirere ad confectionem Sacramenti absentiam voluntariæ distractionis. Porrò voluntaria distractio in re tanti momenti rarissima est, & non potest provenire nisi ex mera hominis malitia, quam Deus non debuit attendere in institutione suorum Sacramentorum. Convenientissimè itaque potuit Deus requirere ad confectionem Sacramenti absentiam voluntariæ distractionis, secùs involuntariæ. Et consimiliter, Ecclesia justissimè potuit exigere ad auditionem Missæ absentiam voluntariæ distractionis, etiam internæ; secùs involuntariæ, quia hæc communiter superat humanam fragilitatem.

Unde notanter in capite, *Dolentes* suprà citato addidit Pontifex: *Quantùm ei Deus dederit*, quo significaret non esse suæ intentionis adstringere Clericos ad extraordinariam devotionem in Horis Canonicis persolvendis, id est, ad devotionem actualem, sed ad illam, quam humano modo cum gratia divina habere possunt, id est, devotionem saltem virtualem. 125. Explicatur illa verba cap. Dolentes: Quantum ei Deus dederit.

Perperàm autem quidam interpretantur hæc verba, quasi illis voluisset indicare Pontifex, constitutionem istam solùm esse consilii, & non præcepti: perperàm, inquam, ut liquet, quando à Superioribus præcipitur alicui, ut faciat tale vel tale quid secundùm gratiam sibi dandam, nemo enim dixerit propterea illud opus esse solùm consilii; quamvis non teneatur optimo modo facere quo potest, sed sufficiat absolutè facere opus injunctum. Herculè facillimum est cum attentione externa conjungere attentionem internam, saltem virtualem, qualem illa sententia tantùm requirit.

Dices cum Adversariis; si distractio interna voluntaria obstaret substantiæ orationis & actionis, non minùs obstaret distractio involuntaria; sicut somnus sive voluntarius, sive involuntarius sit, obstat ne satisfiat præcepto audiendi Sacrum; nam etiamsi præcesserit voluntas attendendi, postea tamen non attenditur, vel si potest manere substantia orationis non attendendo actu ad Deum, poterit manere eadem substantia, licèt negatio attentionis sit voluntaria. Ita Lugo suprà n. 36. 126. Objectio. Lugo.

Respondeo, & quæro; an bene sequatur: voluntaria absentia intentionis actualis obstat substantiæ Sacramenti; ergo etiam involuntaria? Ex dictis patet quòd non, saltem de possibili. Quamvis enim Deus non requisiverit actualem continuè intentionem, potuit tamen rationabiliter exigere absentiam voluntatis deliberatæ actualiter non intendendi. Nec habeo rationem negandi sic esse factum. Respondeo.

Breviter, ratio disparitatis est; quòd absentia voluntaria intentionis actualis destruat intentionem virtualem, involuntaria autem non. Et similiter distractio voluntaria destruat attentionem virtualem, secùs distractio involuntaria. Porrò somnus, sive voluntarius sive involuntarius, liquet, quòd cum illo non stet virtualis intentio conficiendi Sacramentum: ergo nec similiter stabit virtualis voluntas orandi, & per consequens nec virtualis voluntas attendendi, quæ ad illam requiritur. 127. Differentia inter voluntariam & involuntariam distractionem.

Neque

Neque enim oratio significat materialem tantùm pronuntiationem verborum, quàm præcessit voluntas aliquid petendi; sed cum qua prior voluntas saltem virtualiter conjungitur. Alioquin cur propriè non oret ebrius; vel amens, vel dormiens? Nam ante ebrietatem, vel amentiam, vel somnum potuit habuisse talem voluntatem, imò eo fine se inebriasse, ut verba illa repræsentativa sui desiderii proferret?

Voluntariè distractus non magis propriè loquitur vel orat, quàm ebrius.

Igitur voluntariè planè distractus, non magis propriè loquitur, vel orat, quàm ebrius vel dormiens, cùm illa prolatio verborum simpliciter sit involuntaria, utpote nullatenus procedens à voluntate cum cognitione. Multò minùs talis prolatio habet rationem veri cultûs religiosi, vel saltem ex suo objecto, cùm sit positiva Dei inhonoratio.

128. Solus actus externus non habet rationem cultûs.

Dices; est cultus externus. Respondeo; solum actum externum non habere rationem cultûs, sed esse indifferentem ut sit cultus, irrisio &c. neque constituitur in ratione cultûs præcisè per voluntatem colendi, nisi ex se habeat proportionem ad colendum Deum: jam autem recitatio aliquorum verborum cum distractione voluntaria, quam quæso habet proportionem, ut Deo offeratur in signum nostræ submissionis, & ipsius excellentiæ? Certè signum potiùs est vilipensionis Majestatis divinæ. Putas quòd Rex terrenus honoraretur per similem orationem, sive petitionem? Non dubium quin graviter offenderetur, & rem illam tamquam indignam suæ Majestati aspernaretur.

Fateor, reponit aliquis, talem orationem haudquaquam esse decentem, sed cur non sit oratio saltem secundùm substantiam? Respondeo; quia in substantia orationis, quæ est cultus Dei, involvitur talis decentia. Non quòd omnis petitio, sive prolatio verborum, quibus repræsentatur desiderium aliquid ab altero obtinendi cum debita attentione, sit vera oratio, seu cultus, constat enim me posse illa verba proferre recreationis ergò, vel ut memoriter ea addiscam; sed quoniam ex se & objecto suo apta sunt, ut obtineant veram rationem orationis seu cultûs divini, si accedat voluntas Deum orandi seu colendi.

129. Objectio.

Sed contrà; satis significo meam submissionem & divinam excellentiam, quando illis verbis profiteor meam indigentiam.

Solvitur.

Respondeo; quando voluntariè id facis, Concedo; quando involuntariè, sicut psittaci, dormientes, ebrii &c. Nego. Et verò quid interest inter illum, qui non vult attendere, & qui non potest, cùm una prolatio non sit magis voluntaria, quàm alia?

Nonne qui ebrius exponeret Regi libellum supplicem, eo ipso testaretur suam indigentiam, & Regis excellentiam? Nonne exaudiretur à Rege (qui nesciret ejus ebrietatem) atque si exposuisset compos rationis? Nùm indè bene sequitur: ergo qui ebrius alloqueretur Regem, proponens verbis, quod alius scripto, verè oraret Regem? Non puto.

130. Disparitas inter orationem & expositionem libelli supplicis.

Sed quæ disparitas? Quia in libello supplici quasi virtualiter manet prior voluntas, quam habuit, quando cum debita attentione libellum scripsit; & ideo parùm curatur; an ille, cujus nomine libellus præsentatur, an, inquam, tempore præsentationis sciat, vel non sciat libellum præsentari, an dormiat, an sit ebrius &c.

Porrò oratio vocalis, cùm jam tunc quando profertur solùm existat, etiam pro tunc exigit attentionem, saltem virtualem. Malè ergo comparaveris orationem vocalem, quæ Deo offertur, libello supplici, qui Regi exponitur, malè, inquam, dixeris: Orare exponendo Deo sua desideria, æquè potest distractus, quàm possit libellum supplicem Regi exponere.

Non sufficit itaque exponere desideria interna, quæ aliquis habuit, sed oportet ut de facto illa habeat, saltem virtualiter, quod falsum est in voluntariè omnino distracto, dum loquitur.

131. Professio est invalida quæ fit cum voluntaria omnino distractione.

Hinc consequenter nego (quidquid dicat Lugo suprà n. 34.) professionem fore validam, quæ fieret cum omnimoda voluntaria distractione, id est, cum voluntate nullatenus attendendi; quia talis professio simpliciter apud me est involuntaria.

& qui ita distractus alloqueretur excommunicatum, non incurreret excommunicationem.

Et similiter respondeo ad aliam objectionem ejusdem Auctoris n. 32. & dico, qui eo modo alloqueretur excommunicatum vitandum, non contraheret excommunicationem ob communicationem prohibitam & locutionem cum illo; quia reverà non est communicatio & locutio humana. Idemque sit judicium de externa genuflexione, vel capitis humiliatione, quæ fieret ab omnino voluntariè distracto per alias internas cogitationes, estò aliquando habuerit voluntatem per illam significandi suam submissionem; idem, inquam, sit judicium, puta hujusmodi actum non esse veram adorationem.

Probationem subjungo paucis verbis; quia ubi nulla manet cognitio, vel saltem virtualis, nulla potest manere voluntas, nequidem virtualis, quia nihil volitum nisi cognitum; atqui per voluntatem non cognoscendi actum, quem facio, tollitur omnis cognitio, etiam virtualis: ergo omnis voluntas etiam virtualis: ergo omnis actus voluntarius, qui essentialiter petit procedere à voluntate cum cognitione.

132. Secundùm Lugonem quoties oratio vocalis continuatur, adest aliqua attentio

Quod citiùs intelligens Lugo, n. 41. fatetur, quoties oratio vocalis continuatur, dari aliqualem attentionem internam; sed hæc (inquit) est aliquando adeò tenuis, ut meritò nolint eam Adversarii aliqui vocare attentionem; quia quando exigunt attentionem ex obliga-

interna, sed valde tenuis.

obligatione, intelligunt de attentione magis formali & explicita, quam tamen nos dicimus non posse voluntariè omitti absque culpa veniali propter irreverentiam, quæ intercedit, si Deum alloquaris exteriùs, mente omnino ad alia distractus; non tamen constare de obligatione sub peccato mortali, cùm adhuc maneat substantialiter oratio; quod à fortiori procedit in auditione Missæ, in qua minus videtur requiri ad assistentiam humanam. Hactenus Eminentissimus.

133. Judicium Auctoris de hac sententia.

Sed nescio quid minus possit requiri, nisi sufficiat assistentia omnino involuntaria. Deinde inquiro primò, an magis possit stare tenuissimus ille actus attentionis cum voluntate expressa non attendendi, quàm tenuissimus actus intentionis cum voluntate expressa non intendendi? Secundò, si ille tenuissimus actus intentionis ab omnibus vocatur intentio virtualis, cur non similiter potest, & debet ille tenuissimus actus attentionis ab omnibus vocari attentio interna virtualis?

Denique si sufficit ille tenuissimus actus attentionis ad evitandum peccatum mortale, & ad ponendam substantiam præcepti, quare non poterit implere præceptum audiendi Missam, qui confitetur, aut colligit eleëmosynam tempore Missæ, vel qui confabulatur, aut legit quæstiones speculativas, vel historias profanas? Numquid similia impediunt illam tenuissimam attentionem? Quæ certè attentio (inquit Lugo suprà) haberi potest ab eo, qui etiam voluntariè cogitaret tunc de quæstione aliqua metaphysica, vel alia re simili.

134. Objectio solvitur.

Si dixeris; impediunt attentionem externam: quæro, attentio externa in quo consistit? In negatione (inquit Cardinalis suprà n. 25) distractionis externæ, id est, alicujus negotii vel occupationis externæ, quæ ex se distrahere debeat mentem ab auditione Missæ. Si ergo interna attentio consistat substantialiter cum illis occupationibus, ex quo capite graviter illæ occupationes sunt prohibitæ? Taliter quippe occupatus videtur audire substantialiter Missam, neque aliquod præceptum distinctum reperio audiendi Missam reverenter; sed simpliciter præcipitur auditio Missæ. Hæc maturè expendantur & veritas seipsam manifestabit.

135. Recitans moras Canonicas tempore Sacri satisfacit præcepto;

Ego omnibus auctor sum, ut non solùm vitent occupationes externas, quæ solent impedire vel totam, vel saltem perfectam attentionem internam; sed ut quantùm Deus ipsis dederit, mentem rebus divinis occupent, vel aliquid legendo, vel meditando, sive de hoc altissimo Mysterio, sive de aliis, juxta particularem unjusquisque devotionem.

Unde omnes admittunt perfectè satisfacere præcepto audiendi Missam, qui toto tempore recitat Horas Canonicas, ad quas aliunde obligatur; quia & exteriùs & interiùs devotè assistit. Nam optimè scinvicem compatiuntur intentio audiendi Missam, & orandi, immo juvant; uti etiam attentiones, cùm utrimque sufficiat attentio ad divina. Et verò cur magis impediat moralem præsentiam vel attentionem recitatio Horarum, quàm recitatio Rosarii? Quin utraque potiùs eam involvit. Quòd enim oratio sit præcepta, vel non, planè impertinens est, ut impediat, vel non impediat attentionem.

Communis autem sententia negat eum satisfacere, qui toto tempore, vel per notabilem partem confitetur, quia (inquit Lugo n. 22.) quòd actio quæ fit ordinetur ad obsequium Dei, non facit illam compatibilem cum auditione Sacri; alioquin posset quis dum audit Missam consulere Patrè spiritualem vel Theologum circa casus suæ conscientiæ, posset inservire ægroto, sternere ei locum, & his similia. Non sufficit ergo pietas actionis, si tamen sit talis, ut impediat cultum externum sacrificandi, seu ostendendi se assistentem Sacrificio & cooffrentem cum Sacerdote. Vide quæ superiùs diximus in fine concluſ. 5. ex Bonacina.

Confessarius tenetur peccata secundum communem sententiam. Lug.

136. Judicium Auctoris pro opposito.

Cæterùm, ut dicam, quod sentio, si verè sufficit illa tenuissima attentio ad substantiam orationis, & à fortiori ad substantiam auditionis Missæ; planè ignoro quare non possit humano modo assistere Sacrificio Missæ & præcepto satisfacere, qui eo tempore facit examen suæ conscientiæ, immo sacramentaliter confitetur.

Etenim quod dicit Bonacina, Ecclesiam præcipere assistentiam Missæ per modum orationis, non satis intelligo, cùm Sacrificium non sit oratio, sed cultus longè excellentior, specie ab oratione distinctus; præcipitur autem assistentia Missæ per modum confacrificii seu confacrificationis.

Atque ut præcepta esset per modum orationis, quid indè? Nam secundùm illam sententiam sufficit tenuissima illa attentio ad substantiam orationis: & aliunde non video quare cum examine conscientiæ, immò sacramentali Confessione non possit stare illa attentio, præsertim si sit compossibilis seu componibilis cum expressa voluntate non attendendi interiùs ad ea, quæ exteriùs geruntur, vel ad alias res divinas.

137. Confirmatur exemplo.

Audi quid doceat Suarius disp. 88. sect. 3. §. *Ex his autem*: Soto in 4. dist. 13. q. 2. art. 1. in fine dicit, quòd licèt indecentia sint colloquia inter audiendam Missam, non tamen propterea fit transgressio præcepti. Hoc autem intelligendum est, vel quando colloquia non sunt continua, vel per parvam Missæ partem, quamvis sæpiùs misceantur nunc colloquendo, nunc attendendo, prout communiter fieri solet, vel certè quando confabulatio non est de re seria, nec nimis attenta, quæ non omnino impedit attentionem ad Missam, sed solùm remittit illam: relinquit tamen sufficientem

indecens imperfectio præcepti audiendi confabulando.

ut actio

ut actio illa humano modo fiat; sicut etiam recitando Horas Canonicas, potest exerceri aliqua actio exterior, quando talis est, ut non omnino divertat animum, neque omnem tollat attentionem. Hæc ille.

Possent hi graviter peccare.

Quæ bene sunt notanda, licèt non practicanda, quia ut minimùm est grave peccatum veniale, inquit ibidem, & facilè potest declinare in mortale, præsertim si confabulatio sit admodùm continua, & maximè si potest generare scandalum, & impedire alios à Missa audienda.

Itaque ut finem imponam huic controversiæ, iterum atque iterum affirmo: Ad debitam auditionem Missæ requiritur, & sufficit intentio interna colendi Deum & attentio interna proportionata. Ex quo sequitur hoc corollarium:

CONCLUSIO VIII.

Satisfacit præcepto audiendi Sacrum, qui assistit nesciens esse diem Festum, vel sciens cum animo non implendi præceptum.

138. Audiens Sacrum & nesciens esse Festum, satisfacit;

PRima pars est communis, & generaliter docetur de omnibus legibus, tam divinis quàm humanis. Ratio est obvia, quia talis implet substantiam præcepti; non enim præcipit lex, ut opus fiat tamquam præceptum, sive ut fiat sub hac vel illa formalitate, sed ut fiat absolutè.

Sic ergo impræsentiarùm lex audiendi Missam, non præcipit, ut illam audiam tamquam præceptam, sed simpliciter ut assistam cum animo Deum colendi, quod possum facere absque aliqua cognitione, tum explicita, tum implicita alicujus præcepti; & per consequens absque ulla voluntate explicita seu implicita satisfaciendi meæ obligationi. Interim moraliter loquendo quilibet homo prudens in suis religiosis & honestis actibus censetur habere implicitam quamdam & confusam intentionem satisfaciendi obligationi, si quæ adsit, quæ non est aliud, quàm habitualis quædam voluntas, quâ vellet satisfacere, si sciret illam obligationem.

139. etsi habeat animum non satisfaciendi.

Sed numquid talis voluntas habitualis est necessaria? Negat secunda pars Conclusionis, quoniam talis voluntas incompossibilis est cum expressa voluntate non adimplendi præceptum cognitum, quam tamen asserit Conclusio compossibilem cum adimpletione ejusdem præcepti: id est, tametsi quis haberet expressam voluntatem non implendi præceptum per hanc auditionem Missæ; sed proponeret alio actu postea implere, adhuc satisfaceret præcepto.

Ratio superiùs est assignata; quia ponit substantiam præcepti, neque in potestate ipsius est non adimplere præceptum, quandò facit quod præceptum est; cùm præceptum non sit in ejus potestate, ut possit materiam præcepti extendere ad alium actum, quem præceptum non requirit. Unde qui sic audivisset Sacrum, non teneretur postea aliud audire, nisi fortè ratione erroneæ conscientiæ, id est, quamdiu putat non satisfeciisse se priori Missæ.

140. Objectio prima. Responsio.

Si dixeris, impletio præcepti est actus obedientiæ; obedientia autem formaliter respicit præceptum. Respondeo, impletionem præcepti non necessariò esse actum obedientiæ; quia non necessariò respicit formale motivum obedientiæ, etiam tunc, quando quis implet præceptum, sciens, & volens implere tamquam præceptum; quia potest sic implere ex timore servili, & non propter honestatem obedientiæ præcisè, quod tamen ad actum virtutis obedientiæ requiritur.

Igitur commune dictum: *Impletio præcepti est obedientia*, intelligendum venit de materiali obedientia, id est, de actu, qui versatur circa materiam virtutis obedientiæ.

141. Objectio secunda.

Difficiliùs objicitur: cùm aliquis ad aliquid faciendum tenetur ex voto, vel contractu, non satisfacit obligationi, si materialiter quidem faciat opus, intendens tamen non nunc, sed aliàs obligationi satisfacere. Ergo idem dicendum est de impletione præcepti.

Antecedens patet; quia qui debet alicui 100. ex contractu, si ex voluntaria liberalitate det ei 100; tenetur postea dare alia 100. ratione contractûs. Similiter qui debet alicui Missam ratione stipendii, si pro illo legat Missam ex liberalitate, manet obligatus ad aliam legendam. Denique qui vovit quotidie audire Missam, si audiat unam ex devotione voluntaria, manet obligatus ad secundam audiendam.

142. Responsio.

Respondeo Negando primam Consequentiam. Ratio discriminis est; quia quod alteri liberaliter donas, non est illud idem, quod ipsi debes ex voto, vel contractu; hoc enim non est ampliùs tuum, ut possis idem liberaliter donare; quare si quid donas, debet esse distinctum à priori, & ideo non solvitur per donationem, quod debetur ex voto, vel contractu. Sicuti qui debet centum ex uno contractu, & iterum centum ex alio contractu, jam debet 200. nec satisfaceret solvendo tantùm 100.

Differentia inter debitum ex voto & debitum ex lege.

At verò quod ex lege debetur, non est aliud quàm quod facit, qui ponit substantiam actûs; de intentione enim lex nihil dicit. Et aliunde, etsi idem actus debeatur ex pluribus legibus, satisfieri potest unico actu, nisi obstet particularis intentio, ut com-

muniter docent Theologi in Tractatu de Legibus.

Quæris rationem disparitatis? Respondeo, tum quia contrahentes videntur plures solutiones sibi injunxisse, non sic Legislator subditis, saltem frequenter; tum quia justitia commutativa respicit æqualitatem rei ad rem, quæ non servatur unicâ solutione in pluribus ac diversis debitis; in debitis autem legalibus attenditur mens Legislatoris: quæ ferri potest in unum idemque opus.

143. Ad satisfaciendum voto, sufficit voluntas implicita.

Hîc tamen adverte pro scrupulosis, cùm dicimus ad implendum votum, vel contractum requiri, ut debitum solvatur intentione solvendi, hanc intentionem non debere necessariò explicitam esse; sed sufficere implicitam, quam censetur aliquis tunc habere, quando vult facere, quod sui est muneris, seu quod solet facere; nam consuetudo ex debiti explicita recognitione est orta, & illius recognitionem explicitè involvit.

144. Alia differentia inter votum & legem.

Præterea alia differentia assignari potest inter votum & contractum ab una parte, & legem ab altera; quod obligatio voti, atque contractûs pendeat à voluntate voventis, ac contrahentis, ideòque per illam possit prorogari sive extendi, sicut priùs liberè fuerat contracta; at verò obligatio legis pendet à sola voluntate Legislatoris, quam proinde subditus, sicuti primò non poterat sibi ipsi imponere, ita impositam non potest ad alium actum prorogare seu extendere, ut supra diximus, id est, eo ipso quò semel posuit actum præceptum, non est in potestate ejus, ex tali lege ampliùs obligari.

145. per quam satisfit cuidam objectioni.

Ex quo citiùs respondetur ad hanc objectionem: Actus non operantur ultra intentionem agentium argumento Leg. *Non omnis* 19. ff. Si certum petatur, ibi: *Non omnis numeratio eum, qui accepit obligat, sed quotiens id ipsum agitur, ut confestim obligaretur.*

Respondetur, inquam, Regulam istam veram esse, quando actus pendent ab intentione agentium, ut patet in lege adducta, in qua agitur de contractibus, qui accipiunt conditiones suas dependenter à voluntate contrahentium, & ideo in his conditionibus non operantur ultra eorum intentionem. At verò, ut dictum est, lex non pendet à voluntate subditi; adeòque nec impletio legis, quando voluntariè ponitur actus legis impletivus; id est, libera & humana executio operis externi.

146. Secundùm Sanchez eadem est ratio voti & legis.

Cæterùm an hoc ipso, quò aliquis per hanc v. g. auditionem Missæ non vult satisfacere voto, censeatur tacitè obligationem voti sui prorogare, seu de novo promittere, aut certè commutare votum suum per novi operis promissionem; ita ut postmodùm teneatur audire aliam, multi dubitant: immo Sanchez lib. 1. Summæ cap. 13. n. 18. existimat probabiliùs eandem esse rationem voti, & legis.

Vovens siquidem non promisit facere opus ex intentione satisfaciendi; sed simpliciter obligare se voluit ad substantiam actûs ponendam liberè & humano modo. Et quamvis (inquit Sanchez) novo voto possit ille se ad id opus iterandum obligare; at verè non intendit novum votum emittere, sed tantùm priori non satisfacere per illud opus. Sicut si impleviſſet votum illud vero implendi animo; quamvis eo impleto proponeret iterum implere, non teneretur; neque id propositum novum esse votum, ab aliquo judicaretur. Hæc ille.

Sed quid mirum, si merum propositum non judicatur votum? Neque hoc quæritur; sed an propositum satisfaciendi voto, novo actu, non sit implicitum votum; hoc ipso enim videtur in se agnoscere obligationem voti, & per consequens novam imponere, si anteà non erat. Refutatur.

Si dixeris; fundatur in errore, quo putatur satisfactio necdum præstita. Respondeo, vel error ille est practicus, vel tantùm speculativus; si primum, id est, si ita habitualiter constitutus sum, ut si scirem me satisfeciſſe: non vellem de novo satisfacere, admitto tunc illud propositum non habere rationem novi voti; sin verò error tantùm est speculativus, quoniam etsi scirem sententiam illam esse probabilem, equidem contrariam vellem sequi, & nollem esse contentus priori opere, sed vellem novum ex obligatione facere, nescio quare tale propositum non sit verum votum; qui enim sciens se non obligatum, proponit aliquid facere ex obligatione, implicitè se ad illud obligat. 147. Objectio solvitur.

Deinde admisso quòd propositum illud non haberet rationem novi voti, nonne votum potiùs sequitur naturam contractûs, quàm legis? Imò verus contractus est, licèt gratuitus, qui sive obliget ex justitia, sive ex fidelitate tantùm, reddendus est ad æqualitatem, uti contractus onerosus. Ergo quod dixeris de contractu oneroso; idem dicendum erit de promissione. Adeòque si non satisfacis debito justitiæ, orto v. g. ex venditione; solvendo pretium liberaliter, nisi fortè creditor donationem, illam acceptet tamquam debiti solutionem intendendo, ut debitor obligatione justitiæ liberetur; consequenter neque satisfacies voto per opus liberaliter præstitum, nisi fortè Deus simili modo illud acceptet. 148. Votum non sic obligat ut contractus quidam.

Si autem velis, Deum sic semper acceptare opus præstitum sine intentione satisfaciendi voto, per me licet. Saltem non videtur necessarium, ut quis reflexè cogitet de voto suo, quando facit opus promissum (etenim talem reflexionem non promisit) dummodò saltem satisfactionem ex voto debitam non excludat.

Aſt numquid quæ contractus, & voti, eadem est ratio Pœnitentiæ sacramentalis? Minimè (inquiunt aliqui) sed magis sequitur naturam & conditionē legis; nemo quippe sibi ipsi 149. Aliquis fingitur animo [illegible]

ipsi imponit pœnitentiam sacramentalem; sed à Confessario accipit impositam per modum præcepti personalis. Quis autem Confessariorum unquam significavit suo pœnitenti, voluntatis suæ esse, ut pœnitentiam impleat cum animo expresso vel implicito implendi? Et quis pœnitenti dedit potestatem, opus, quod spontè assumit, potestatem, inquam, illud elevandi virtute clavium ad effectum ex opere operato? Hæc sententia probabilis est, sed contraria videtur etiam probabilis, de qua proprio loco, quia ab ea non dependet resolutio præsentis difficultatis.

Dico itaque, si Missæ interfuisti immemor legis Ecclesiasticæ, vel etiam animo non satisfaciendi illo actu, sed alio in futurum, muta propositum, neque sollicitus sis de alio actu præstando. Sin autem in priori voluntate perseveraveris, peccas, saltem affectu interno, contra idem præceptum, quod opere externo implevisti, nisi alium actum præstes.

150. Lex objectiva sufficit ad peccandum.

Enimverò qui apprehendit, licèt falsò, obligationem legis, & nihilominus renuit legem implere, convincitur reus peccati inobedientiæ, etiam ejusdem speciei, ac si verè præceptum existeret: quia estò in tali casu nulla sit lex formalis, aut materialis audiendi v. g. Sacrum, & per consequens in eodem sensu nullum peccatum materiale, aut formale; quoniam ubi non est lex, nec prævaricatio legis; attamen quis non videat legem objectivam? Illa autem, secundùm omnes Theologos, sufficit ad verum peccatum, voca, si placet, objectivum, interim materiale & formale in alio sensu, utpote affectus deliberatus & efficax quantùm est ex se transgrediendi talem legem.

Requiritur ergo & sufficit ad evitandum omne peccatum, quòd scias te satisfeciisse præcepto, & ideo jam recuses iteratum actum ponere. Alioquin, sicut dixi, peccabis saltem affectu interno contra idem præceptum, quod externo opere complevisti.

151. Qui antè non implevit præceptum, per solius voluntatis mutationem illud non adimplebit.

De cætero, si anteà non impleveris præceptum, nec per mutationem solius voluntatis poteris adimplere; siquidem voluntas sequens nequit mutare naturam operis præcedentis, mutare, inquam, in se & realiter, secùs objectivè; cùm nunc possit esse objectum formalis obedientiæ, puta affectus efficacis obediendi quantùm est ex se, quod anteà non erat: sed de hoc non quæritur.

De quo ergo? An sola mutatio voluntatis possit facere, ut opus præteritum jam sit externa operis præcepti executio, quod anteà non erat. Et hoc est quod negamus. Vel ergo à principio opus fuit impletivum legis, etiam factum cum animo non satisfaciendi, vel numquam erit; adeòque impertinens est mutatio voluntatis.

152. Atque hæc sufficiant de obligatione audiendi Missam; reliquum erit proponere ac discutere causas excusantes ab hac obligatione. Etenim cùm hoc præceptum solùm sit de jure positivo Ecclesiastico; & licèt de re sancta & honesta, non tamen simpliciter ad salutem necessaria, haud dubium, quin interveniente rationabili causâ, possit etiam intervenire legitima excusatio ab ejus obligatione.

Datur causâ excusans ab obligatione audiendi Sacrum.

Porrò omnes casus enumerare, in quibus potest homo legitimè excusari, quis sufficiat, cùm pendeant ab infinitis quasi circumstantiis per accidens occurrentibus? Ideo prudentis judicio necessariò sunt reliquendi, suppositis nonnullis generalibus principiis, quæ hic subjicio & explico. Primum sit impotentia spiritualis, de qua erit

CONCLUSIO IX.

Excommunicatus vel interdictus speciali aut generali interdicto, excusatur ab auditione Sacri, estò suâ culpâ talem censuram contraxerit, nec moralem diligentiam adhibuerit, ut absolutionem censuræ consequeretur.

153. Prima est censura sine culpa contracta.

Est communis, quando suâ culpâ talem censuram non contraxit, & adhibet moralem diligentiam, ut absolutionem obtineat. Ratio patet; quia ipsi specialiter ab Ecclesia prohibetur interesse divinis Officiis, etiam diebus Dominicis & Festivis, unde necesse est quòd alia obligatio cesset.

Similiter, estò suâ culpâ censuram contraxerit, & in eo peccaverit, fortè etiam contra hoc præceptum, de quo statim disputabimus: interim postquam jam est factus impotens, neutiquam videtur peccare novo peccato non audiendo Sacrum, si moralem diligentiam adhibuit, ut absolutionem consequeretur. In hoc omnes consentiunt; dissentiunt autem aliqui, & Conclusioni contradicunt in casu, quo suâ culpâ talem censuram contraxerit, nec moralem diligentiam adhibet, ut absolvatur, cùm facilè absolvi posset.

Imo contracta cum culpa post debitam diligentiam ad hibitam pro obtinenda absolutione.

Itaque prima controversia est, an qui prævidet se fieri impotentem ad audiendum Sacrum incurrendo excommunicationem, peccet specialiter contra præceptum audiendi Sacrum, dando voluntariè causam excommunicationi, & idem est de illo, qui voluntariè permanet in excommunicatione, cùm facillimè posset consequi absolutionem.

154. Quid si illa diligentia negligatur?

Pro parte affirmativa facit, quòd tunc videatur per ipsum stare, quò minùs possit audire Missam & implere præceptum: ergo illi imputandum est, si non audit. Quemadmodum illi, qui projicit Breviarium suum in mare,

Probatur manere obligationem.

vel ignem, imputatur subsequens omissio Horarum; &, ut maneamus in eodem exemplo, illi, qui sic voluntariè ponit causam excommunicationis, aut permanet in excommunicatione, imputatur omissio annuæ Confessionis, aut Communionis. Sic etiam peccat contra præceptum audiendi Missam, qui voluntariè ingreditur iter in die Festo, vel inebriat se &c. prævidens se per similia fieri impotentem ad audiendam Missam.

Contraria sententia est probabilis. *Suarez. Dicastillo.*

Nihilominus Conclusionem nostram multi viri docti, inquit Suarez disp. 88. sect. 6. §. *Prima igitur excusatio*, probant, & est sanè probabilis. Citat illos viros doctos Dicastillo disp. 5. nu. 132. & sequitur nu. 144. vocans illam sententiam tutam in praxi. Ut autem probabilis ejus veritas magis elucescat:

153. Obligatus aliquâ lege, obligatur non ponere impedimenta, & posita tollere:

Præmitto; quoties quisque obligatur ad observandam aliquam legem, toties obligari etiam ad non apponenda impedimenta, quæ obstant observationi legis, & ad ea tollenda, si adsint: v. g. obligatur quis audire Missam, obligatur pariter ad surgendum è lecto, & eundum ad templum, vel locum, ubi Missa celebratur. Ratio; quia Superior, qui præcipit finem, censetur & media ad ipsum præcipere; secùs non efficaciter vellet finem: & sanè deficeret, si videlicet terminum volens, non curaret de via; jam autem non apponere, vel tollere impedimenta, unum est ex mediis ad habendum finem.

non tamen semper omnia.

Quoniam verò non semper obligamur omnia omnino impedimenta removere, seu non ponere, statim enascitur difficultas, quonam modo nobis constare possit, quæ, & quando obligemur non ponere, & removere, quæ verò, & quando non item.

Regula ea dignoscendi à Sanchio.

Hæc videtur optima & recepta regula, ex Sanchio Sum. lib. 1. cap. 15. n. 4. Spectanda sunt: Primò, vis & rigor præcepti: quædam enim benigniùs explicantur ac minoribus causis excusantibus indigent; alia verò rigidiùs ac urgentiores causas desiderant. Secundò, necessitas, aut utilitas impedimenti. Tertiò, an proximè vel remotè præceptum impleri impediat. Quartò, an per se & intrinsecè ad rei præceptæ materiam pertineat, ut Breviarium ad recitandum Officium Canonicum; vel per accidens, ut bona valetudo respectu ejusdem, & his computatis, diversimodè in singulis præceptis judicandum est, an culpa sit admittere impedimenta, ab illis excusantia.

156. Præceptum audiendi Missam minoribus causis excusantibus indiget.

Præmitto secundò; præceptum audiendi Missam, benigniùs ab Ecclesia explicari, ac minoribus causis excusantibus indigere, ut patet ex communi praxi; impedimentum autem excommunicationis satis remotè, & omnino per accidens impedire impletionem illius præcepti: nisi enim obstaret alia lex Ecclesiæ, perspicuè manifestum est, talem hominem expeditissimum esse ad Missam audiendam, magis quàm ille, qui corporaliter infirmatur, aut vinculis materialibus in carcere detinetur.

157. Probatio Conclus.

Quapropter, ut veniamus ad probationem Conclusionis, sicuti non peccat contra præceptum audiendi Missam, qui voluntariè comedit cibos noxios sanitati, etsi prævideat se impediendum propter infirmitatem corporalem ab auditione Missæ, vel qui infirmus, negligens est in recuperanda sanitate; similiter qui liberè ponit furtum, causam incarcerationis, vel qui negligens est in procuranda libertate; ita quoque non videtur peccare contra idem præceptum, qui voluntariè dat causam excommunicationi, aut qui negligens est in procuranda absolutione, etsi prævideat impediendam auditionem Sacri. Ratio plana est ex dictis; quia præceptum levius, & impedimenta nimis remota ac per accidens.

158. Limitatio aliquatenus burimi. ex examinatione ab Auctore.

Nollem tamen, inquit Tamburinus in Decal. lib. 4. cap. 2. §. 2. n. 1. ut negligeret ex fine non audiendi Sacrum. Sed cur hoc, cùm in illis circumstantijs minimè malum sit non audire Sacrum? Rationem loco citato nullam adfert Tamburinus; sed lib. 3. de Sacrificio cap. 6. §. 2. n. 10. in simili casu (de quo egimus Sectione præcedenti conclus. 14.) hanc adducit; Quia dum solùm prævidet (loquitur de Capellano, qui jure fundationis tenetur hodie legere Sacrum, & cibum nocivum sumit, prævidens ex eo se impediendum) utitur jure suæ libertatis à Fundatore verosimiliter non ablato; at dum intendit, facit contra pactum cum eodem Fundatore celebratum, qui numquam id concessit, immo negavit: siquidem dum eum obligavit ad sacrificandum, obligavit ad volendum Sacrificium, non verò permisit illud nolle; nollet autem si comederet nociva, ut impeditus morbo, Sacrum omittere cogeretur. Hæc ille.

Consimiliter ergo dici posset, Ecclesiam, dum obligavit ad audiendum Sacrum, quamvis non obligaverit ad tollendum quæcumque impedimenta, etiam remota & per accidens, adeòque homo ea relinquens, utatur jure suæ libertatis; equidem obligasse ad volendam auditionem, vel potiùs ad non volendam explicitè & expressè omissionem auditionis, quia nulla omnino est necessitas, vel ratio illius expressæ nolitionis.

Quidquid sit de hac re, de qua puto Ecclesiam non cogitasse, cùm illa intentio sit actus merè internus, quando ipsa auditio externa non obligat; sufficit ad veritatem Conclusionis, quòd liceat ponere hujusmodi impedimenta, & posita non removere sine tali expressa intentione, habendo se utique solùm permissivè ad omissionem subsequentem.

Quæ

159. An sit eadem ratio præcepti Communionis & Confessionis?

Quæ certè permissio non in omnibus præceptis licet, ut liquet in præcepto superiùs allegato pro contraria sententia, puta Communionis, & Confessionis annuæ; nam illud censetur majoris momenti, utpote magis conducens ad salutem animæ, ut propalàm sit ex ejus materia. Quis enim non videt Confessionem & Communionem magis necessaria esse ad salutem, quàm auditionem Missæ? Et ideo illorum præceptum rigidè, hujus autem non tam rigidè obligat Fideles ad tollenda obstantia impedimenta; præsertim cùm auditio sæpiùs in anno obliget, Confessio autem, & Communio tantùm semel.

Deinde præceptum Confessionis per se obligat ad mundandam animam, & consequenter obligat ad omnem dispositionem necessariam pro obtinenda peccatorum absolutione: præceptum autem Communionis etiam consequenter obligat ad præmittendam Confessionem, si necessaria sit, ut reverà est in eo, qui peccati mortalis conscientiam habet. Illa ergo duo præcepta majorem connexionem habent cum diligentia adhibenda, ut tollatur censura, quæ, utpote inflicta propter contumacem inobedientiam, est impedimentum spirituale & per se remissionis peccatorum.

160. Responsio ad alia exempla.

Ex quo statim respondetur ad alia exempla: nam Breviarium instrumentum est per se necessarium ad legendum Horas Canonicas, & per consequens projectio in ignem, vel aquam, impedimentum per se & intrinsecè quasi connexum cum omissione in illo, qui non scit recitare memoriter. Similiter ire ad locum, ubi Missa celebratur, est medium simpliciter requisitum ad auditionem Missæ: ergo ingredi iter die Festo incompossibile cum existentia in loco, ubi Missa celebratur, impedimentum per se & inevitabiliter connexum cum omissione Missæ.

Præterea præcipitur auditio Missæ humana sive voluntaria; quæ incompossibilis est cum ebrietate: ergo qui die Festo inebriat se, vel dormit eo tempore, quo potest, & debet audire Missam, quid mirum si arguitur de transgressione hujus præcepti?

At verò excommunicationem quis dubitat compossibilem esse cum auditione Sacri? Quamquam vi illius Ecclesia privet excommunicatum jure & facultate audiendi Sacrum, ex qua privatione sequitur, quòd præceptum audiendi Sacrum, non comprehendat illum; ac proinde non est eadem ratio.

161. An Concl. sit vera quando ipso die Festo incurritur excommunicatio.

Cæterùm, licèt Conclusionem veram existimem, etiam quando ipso die Festo incurritur excommunicatio; equidem magis certa apparet, quando impedimentum excommunicationis longiùs distat à die Festo (v. g. tribus, aut quatuor diebus ante Festum incidit quis suâ culpâ in excommunicationem, prævidens fore, ut non obtineat beneficium absolutionis) nam quò impedimentum aliquod longiùs distat ab actu, quem impedit, eò censetur magis extrinsecè, & per accidens se habere; adeoque minùs ab illa lege prohiberi, quæ actum præcipit.

Sic multi, etiam ex Adversariis, concedunt, non peccare contra legem jejunii, vel auditionis Missæ illum, qui aliquot diebus ante legem jejunii, vel Festi, ob solam recreationem, ingreditur iter, etiò prævideat se impediendum ab impletione hujusmodi præceptorum. Ratio; benigna interpretatio legis humanæ, quæ non videtur obligare tam remotè & à longè ad impedimenta non ponenda, vel tollenda, ut suprà diximus.

162. Argumentum Dicastillonis.

Immo (inquit Dicastillo disp. 5. n. 151.) ex hoc sumitur contra Adversarios etiam argumentum; nam si non obligat præceptum aut lex humana ad tollenda hujusmodi impedimenta tam à longè, non video cur obliget magis propinquè. Si enim tam à longè non obligat, ex eo est, quòd illa ablatio impedimentorum, non est materia præcepta. Quòd si materia præcepta non est, non solùm pro tempore magis remoto, verùm etiam pro tempore quantumvis proximo non obligabit.

Sed amabo, cur fieri nequeat, ut impedimenta proxima sint materia præcepti, neutiquam autem remota? Enimverò impedimenta proxima censentur quasi per se & intrinseca, ubi remotiora planè per accidens & extrinsecè se habent. Rejicitur ab Auctore.

163. Peccat, qui exponit se periculo proximo non audiendi Missam; secùs remoto.

Quid tibi videtur Dicastillo? Qui sine sufficienti ratione exponit se periculo proximo non audiendi Missam, æstimas quia peccat contra hoc præceptum? Planè, inquis, peccat, qui enim amat periculum, peribit in illo. Num indè bene infero: ergo etiam peccat contra hoc præceptum, qui exponit se periculo remoto? Patet Consequentiam istam non valere.

Sed cur hoc? Quia, qui amat periculum proximum, interpretativè censetur velle ipsum peccatum; secùs qui amat periculum tantùm remotum: & aliunde facillimum est evitare periculum proximum, difficillimum autem, & communiter superans humanam fragilitatem, evitare omnia pericula remota.

Possent impedimenta proxima esse materia præcepti, licèt non remota.

Ergo consimiliter dicent Adversarii, potuit Legislator humanus prudenter & rationabiliter velle prohibere impedimenta proxima; secùs remota. Quis enim non censeat te nolle audire Sacrum, & non obedire præcepto, si illo die, vel tempore proximo, quod moraliter & humano modo ad illum diem pertinet, in quo urget præceptum, recedas à loco, ubi Missa adest, atque ad alium, ubi nulla invenienda est, sine necessitate te conferas? Et aliunde facilè est non ponere, vel tollere impedimenta proxima; difficilè autem non ponere, & tollere omnia impedimenta remota.

164. Quo die licitam sit ponere impedimenta auditionis Missæ?

Dixi, *Illo die, vel tempore proximo*; quia aliqui putant sufficere ad evitandum peccatum, quòd ipso præcisè die, pro quo urget præceptum, non ponatur impedimentum, adeò ut die Sabbati liceat mihi aliò discedere, ubi die Dominicâ non potero audire Missam: alii verò existimant neque die Sabbati illum discessum licere, bene die Jovis, aut Veneris; idque quia die Sabbati in proximo urget præceptum, & consequenter moraliter adest.

Tamburinus.

Et si quæras, quænam ergo in hac re sit propinquitas vel distantia? Tamburinus suprà in Decal. §. 3. n. 9. ait ex gravitate, & rigore præcepti, ex praxi timoratorum, ex operis utilitate, necessitate, honestate & cæteris similibus, judicio prudentis esse judicandum.

165. Sufficit quòd non ponatur impedimentum ipso die impletionis præcepti minoris momenti.

Sed quoniam in his, quæ à prudenti judicio pendent, quot capita, tot sunt diversæ opiniones; multitudo autem causat confusionem; statuatur certa regula, ipse, inquam dies, pro quo præcisè urget præceptum, ut ad summum in illo prohibeatur impedimentum; secùs in aliis sive longè sive remotè distantibus, quando agitur de præceptis minoris momenti, ut audiendi Sacrum, jejunandi, & similibus. Siquidem præceptum non obligat ad hoc, ut quis se constituat in eo statu, in quo urgeatur & comprehendatur illo præcepto, quando præceptum incipit urgere; sed ad hoc ut comprehensus, faciat id, ad quod præcepto obligatur, & non ponat impedimentum ad id præstandum.

Profectò videmus non paucos, etiam timoratos, sine aliqua notabili causa in ipso quoque die jejunii instituere iter, & absque scrupulo duas sumere refectiones. Et verò sive id faciant eo fine, ut sint liberi à jejunio, sive alio, parum videtur referre, ut superiùs insinuavi, dummodò verè tale impedimentum per illam legem non prohibeatur. Veluti qui ex officio laborat in die jejunii, perinde est quo fine id faciat.

166. Sententia Tamburini refutatur.

Unde, quod miror, concedit Tamburinus suprà num. 6. quempiam posse instituere iter tempore à die Festo remoto, etiam eo fine, ne audiat Sacrum; cùm tamen in eodem capite §. 2. n. 1. ut superiùs vidimus, nolit excommunicatum negligere absolutionem illo fine. Certè ratio, quam assignat pro itinerante, æqualiter militat in excommunicato. Est autem hæc; quia tunc præceptum actu non obligat, nec est in proximo, ut supponimus: ergo ponendo etiam cum illa intentione impedimentum, non tam censetur ponere impedimentum executioni præcepti, quàm se eximere à præcepto, seu effugere, ne obligetur ad præceptum. At numquid eadem ratio locum habet in excommunicato, qui hodie potuit habere absolutionem ab excommunicatione, & eam negligit, ut post duos aut tres dies non teneatur audire Sacrum?

Objectio solvitur.

Dices; loquitur de excommunicato, qui in ipso die Festo negligit absolutionem. Respondeo, nullo verbo id significatur. Deinde simili modo dicam, cùm tunc præceptum actu ipsum non obliget, nam per excommunicationem præcedentem exemptus fuit; relinquendo excommunicationem, non tam censetur relinquere impedimentum executioni præcepti, quàm continuare suam exemptionem à præcepto.

167. Aliud argumentum ejusdem Auditio rejicitur.

Præterea allucinatur prædictus Auctor, dum ibidem hujusmodi itinerantem comparat illi, qui exit à loco, ubi est aliqua lex, v. g. jejunii, & se, etiam cum intentione non jejunandi, confert ad locum, ubi ea lex non adest; ille, inquit, non legem transgreditur, sed legem ipsam à se legitimè excutere sine peccato satagit. Idem evenit in eo, qui dispensationem à lege legitimè petit; exemptionem enim à lege legitimè petit, non verò inobservantiam. Idem ergo in casu nostro. Hæc ille.

Verùm evidens est disparitas; nam itinerans in casu nostro manens subjectus legi & Legislatori, ponit voluntarium impedimentum sine aliqua rationabili causa, ut supponitur, prætendens notabilem difficultatem, ut possit excusari, quæ verè non adest; si enim vellet, sicut rationabiliter deberet velle, nulla esset difficultas, vel impotentia legem adimplendi. Reverà ergo facit fraudem legi; quia contra mentem Legislatoris manens subditus legi, vult evadere obligationem, agendo aliquid, ut videatur excusatus à lege servanda.

In aliis autem casibus nulla intervenit fraus, vel dolus; sed mera fuga obligationis, eundo ad locum, ubi præceptum nequidem materialiter obligat, vel certè manendo in loco, & allegatâ rationabili causâ petendo ab ipso Legislatore exemptionem.

Nam *Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur.* Reg. 55. ff. de Reg. Juris. Et Leg. 3. ff. de homine libero exhibendo § 2. *Is tamen qui in potestate habet hoc interdictum, non tenebitur, quia dolo malo non videtur habere, qui suo jure utitur.* Reg. 55. de Reg. Juris. Lex 3. ff. Ponine &c.

168. Obligatus audire Sacrum, non obligatur manere in loco ut præceptum satisfaciat.

Cæterùm, tametsi præceptum Missæ vel jejunii me obligaret ad non ponendum impedimentum voluntarium, in loco ubi præceptum illud viget, non ideo me obligaret ad permanendum in tali loco; permanentia enim in loco præcepti non est res præcepta, sed jejunium, vel auditio Missæ pro his, qui in loco isto existunt. Alioquin non possem mutare domicilium ad evitandas multiplices obligationes hujus loci, quem jam incolo, quod est absurdissimum. Tunc ergo solùm ponitur impedimentum legi & fit fraus legi, quando, sicut dictum est, maneo subjectus legi, & legem

legem non servo, quia sine necessitate aliquid ago, cum quo observatio legis est incompossibilis physicè vel moraliter.

Sanè quando eodem die, quo lex urget, ponitur illud impedimentum, præsertim illo fine, multi sustinent, & satis probabiliter, Legislatorem esse invitum rationabiliter, & verè formaliter peccari contra illam legem, dicentes praxim in contrarium corruptelam potiùs esse, quàm legitimam consuetudinem. Res meretur diligentem considerationem.

Interim quæro, an qui manè discedit è loco domicilii, ubi celebratur Festum, perventurus ad locum exemptum ante meridiem, an, inquam, teneatur illo die audire Missam? Respondeo:

CONCLUSIO X.

Discedens manè è loco domicilii ubi celebratur dies Festus, non tenetur audire Sacrum, estò commodè possit, si durante adhuc implendi præcepti commoditate, sit futurus in loco exempto.

169. Discedens manè ex loco ubi est Festum, perventurus ante meridiem in locum exemptum, non tenetur audire Sacrum. *Thomas Sanchez. Salas. Ioannes Sanchez. Lessius. Malderus. Fagundez. Emanuel Sa. Naldus. Sayrus. Suarez. Coninck. Diana.*

ITa docet Sanchez de Matr. lib. 3. disp. 18. nu. 21. & lib. 1. in Decal. cap. 12. nu. 32. Salas disp. 14. de Leg. sect. 5. n. 66. Joannes Sanchez in Select. disp. 54. nu. 29. Hanc sententiam probabilem vocat Lessius de Virt. Card. lib. 4. cap. 2. num. 56. Malderus 1. 2. qu. 96. art. 5. Fagundez de primo præcepto Ecclesiæ lib. 1. cap. 7. n. 13. quidquid in contrarium asserat Emanuel Sa verb. *Festum* nu. 8. Naldus in Summa verb. *Festum* nu. 8. Sayrus in Clavi Regia lib. 7. cap. 12. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 15. n. penult. Coninck qu. 74. de Eucharistia nu. 107. & alii multi. Sed tu tene, inquit Diana part. 1. tract. 10. resol. 14. cum Sanchez non solùm post factum, ut vult Naldus in Sum. verb. *Missa* nu. 17. sed etiam ante factum.

170. Limitatio Castro Palai, pro qua citat Thom. Sanchez & Salas.

Limitat hanc opinionem, vocans probabiliorem, Castro Palao de Leg. tract. 3. disp. 1. p. 24. §. 5. nu. 8. quando in loco domicilii sunt plures Missæ celebrandæ. Nam si solùm unum Sacrum est, quodque celebratur, cum tu præsens es loco, sine dubio, inquit nu. 6. obligatus es audire, quia obligaris præcepto, & est commoditas adimplendi, nec apparet ratio unde excuseris. Addit: In his conveniunt Doctores statim referendi.

Sed fallitur.

Sed fallitur; nam neque Sanchez, neque Salas, qui referuntur, hujus limitationis, seu distinctionis meminerunt. Do verba Sanchii in Decal. Sed quidam ex iis Doctoribus tenent, hunc egredientem manè diei Festivæ obligari ad audiendum Sacrum &c. At quamvis hoc sit valde probabile; at esse quoque valde probabile cum quibusdam Neotericis dixi (lib. 3. de Matrim. disp. 18. n. 21.) contrariæ rationi respondens, hos non teneri ad Sacrum, si durante adhuc implendi præcepti commoditate sint futuri extra limites oppidi aut Parochiæ, in quibus est Festum. Hæc ille.

171. Mens Sanchii explicatur.

Nec te moveant illa verba: *Si durante adhuc implendi commoditate*; nam quid intelligat per illam commoditatem, liquidò constat ex alio loco, ad quem se refert, ubi sic ait: Verùm probabilitate magnâ non caret, quod tenent aliqui docti Neoterici, minimè teneri audire Sacrum, si intrà tempus opportunum ad audiendum, scilicet ante meridiem, sit perventurus ad locum, in quo id Festum non observatur. Quid clariùs?

Ubi hic mentio unius vel plurium Missarum? Quòd enim illâ unicâ Missâ absolutâ, non sit ampliùs commoditas audiendi Missam, non provenit ex parte temporis, sed per accidens defectu Sacerdotis, qui potest & vult celebrare. Igitur commoditatem temporis intellexit Sanchez, intellexit Salas, qui eisdem terminis utitur; non autem commoditatem Sacerdotis.

172. Objectio.

Dices; contrarium apparet ex ratione Sanchez, quam subjungit ultimo loco: Quia, inquit, in proprio oppido usque ad id tempus poterat auditionem Sacri differre, quando autem pervenit ad alium locum, jam deobligatus omnino est ab eo præcepto. Eodem modo loquitur Salas; nam quamdiu, inquit, adhuc superest illa commoditas, non peccant non audiendo, dum verò sunt extra limites loci desinunt obligari. Atqui peccarent non audiendo illud unicum Sacrum, estò id fieret v. g. horâ septimâ vel octavâ: ergo loquuntur hi Auctores de solo casu, in quo sunt plures Missæ celebrandæ.

Responsio.

Respondeo distinguendo Subsumptum; peccarent per se, Nego; per accidens, Concedo. Etenim totum tempus ante meridianum de se proportionatum est ad implendum & satisfaciendum illi præcepto: ergo per se non est obligatio magis audiendi horâ septimâ, quàm horâ octavâ vel undecimâ: per accidens fieri potest, ut tenear horâ septimâ, quia video me impediendum horâ octavâ vel undecimâ, manente vi præcepti, seu meâ subjectione. Unde si contingat impedimentum cessare præter meam expectationem, possum & teneor præceptum adimplere, audiendo Missam horâ octavâ vel undecimâ, quantumvis anteà contra idem præceptum peccaverim, non audiendo horâ septimâ.

173. Ostenditur ulteriùs

Ergo loquuntur hi Auctores de solo casu, in quo sunt plures Missæ celebrandæ, Nego Con-

Sanchium non loqui de casu, in quo sunt plures Missæ celebrandæ?

Consequentiam. Et ostendo manifestè ex eorum responsionibus ad objecta Adversariorum. Sed quæ illa? Cùm profectus est (inquiunt Adversarii apud Sanchez lib. 3. de Matrim.) jam præcepto audiendi Sacrum adstrictus erat. Et confirmatur, quia conscius impedimenti superuenturi, ne possit interesse Sacro in die Festo, ab eoque præcepto excusetur, tenetur prævenire audiendo summo manè, quia jam præceptum obligare cœperat.

Quid ad hæc Sanchez? Non obstant (inquit) adducta in contrarium. Non primum, quia erat adstrictus præcepto eâ conditione, si intrà tempus obligationis eò perventurus non sit, ubi præceptum omnino cessat. Non obstat etiam confirmatio, quia impedimentum superveniens non tollit audiendi Sacrum obligationem, sed excusat omissionem: unde nil mirum, si prævenire teneatur; cùm autem ante meridiem eò perventurus sit, in quo id Festum non servatur, nullo modo præceptum obligat, dum pervenit.

174. sed neque Salas,

Eodem modo respondet **Salas**, dicens: Neque tenentur prævenire audiendo ante abitum, quia tunc solùm tenemur prævenire, quando manente vi præcepti seu nostrâ subjectione impediendi sumus, ut cùm quis manens in loco, ubi viget præceptum, videt se horis posterioribus impeditum iri; secùs verò quando intrà tempus implendi, desinet esse subditus præcepto. Ratio est; quia quando præcipitur, ut intrà tale tempus, hoc vel illud facias, intelligitur tacita conditio, si toto illo tempore subditus præcepto manseris; unde si te contigerit interea eximi à subjectione præcepti, sive per dispensationem, sive alio modo, non teneberis tempus exemptionis prævenire. Ita Salas.

175. Perinde est ad veritatem Concluſ. sive unum sive plura Sacra celebrentur.

Ergo secundùm hos Auctores impertinens est ad illam doctrinam, sive unum, sive plura Sacra celebrentur in isto loco; semper enim verum est, quòd intrà tempus obligationis, eò perventurus sim, ubi præceptum omnino cessat, seu ubi desino esse subditus præcepto; adeoque respectu mei deficit tacita conditio præcepti; scilicet si toto tempore subditus mansero præcepto, & per consequens deficit ipsum præceptum. Ex quo ergo obligor audire illud unicum Sacrum?

Sanè quamvis horâ septimâ v. g. prævideam impedimentum totius temporis subsequentis, puta, absentiam Sacerdotis, qui possit, aut velit celebrare; equidem nondum in reipsa positum est, donec totum tempus transierit, potest enim fieri, ut aliquis insperatò adveniat; & per consequens nec ipsa omissio Sacri debiti in re ponitur ante illud tempus completum.

Hæc si vera sunt, proculdubio Conclusio nostra vera erit, etiam in casu, quo unicum Sacrum scio celebrari in loco domicilii, è quo discedo; sin autem falsa, & Conclusio falsa erit, estò plura Sacra celebrentur. Nam si Legislator potuit me obligare ad audiendum illud unicum Sacrum, etiam potuit me obligare ad audiendum Sacrum, quod fit me præsente in loco præcepti, tametsi post discessum meum aliud celebretur. Et si voluit me obligare in primo casu, dico similiter me voluisse obligare in secundo.

Herculè potuisse, & voluisse in utroque casu, probat Coninck suprà n. 108. quoniam nec ex verbis legis, nec ex ejus, aut rei natura, ulla est occasio, cur talem conditionem subintelligamus, aut dicamus legem esse conditionatam: alioquin possemus probabiliter dicere, quamvis conditionem sub quavis lege subintelligi. 176. Probatur sententia Coninck.

Confirmatur; quia cùm ejusmodi Festa particularia sint, ferè instituta ut Patronus loci, vel alius Sanctus ibi singulariter colatur, cùmque Legislator cupiverit ad eam celebritatem omnes, quantum posset, advocare; nullo modo probabile est, voluisse incolas tantùm obligare ad audiendum Sacrum sub conditione, nisi indè discederent ante ultimum Sacrum; quia hoc modo concessâ immunitate, invitaret eos, ut discederent. & confirmatur,

Nec potest dici, quòd non possit eos aliter obligare; quia nulla est ratio, cur non potuerit absolutè præcipere auditionem Sacri, sive indè discederent, sive non. Aliud est de istis, qui pridie discedunt; quia ex loco jurisdictionis ipsius legis discesserunt, antequam ipsa ullo modo obligaret, atque ita numquam aliquam obligationem contraxerunt. Hucusque Coninck. ac objectio ni occurrit,

Respondeo breviter; quidquid sit de absoluta potestate Legislatoris, quâ posset subditos suos obligare, ut præcisè tali horâ audiant Sacrum, vel ut audiant Sacrum antequam discedant, Respondeo, inquam, neque ex verbis legis, neque ex legis aut rei natura, ullam esse occasionem tàm strictè interpretandi ejus voluntatem; immo cùm hæc lex sit affirmativa, quæ non obligat pro semper, sed pro determinato tantùm tempore, puta in præsenti pro tempore toto antemeridiano, planè consonat naturæ istius legis, eos dumtaxat obligare, qui toto illo tempore manent legi subjecti. 177. Responsio Auctoris.

Neque per hoc datur occasio, aut invitantur incolæ ad discedendum, cùm res parva sit audire Sacrum, quando commodè fieri potest. Unde etiam pia consuetudo id observat; interim non est cur dicamus, ita eam obligare, ut damnandi sint oppositum facientes. Tu ergo tene probabilem esse sententiam Sanchii.

Ut autem revertamur ad impedimentum excommunicationis seu interdicti; à quo occasione itineris paulisper defleximus, controvertitur inter Doctores, an qui habet privilegium

legium audiendi Missam tempore interdicti, teneatur audire? Pro resolutione statuitur

CONCLUSIO XI.

Qui habent privilegium audiendi Missam tempore interdicti, tenentur eam audire.

178. Habens privilegium audiendi Sacrum tempore interdicti, tenetur audire. *Suarez. Lugo. Diana.*

ITa Suarez disp. 88. sect. 6. §. *Solet etiam*, cum multis aliis, quos citat, & sequitur Lugo disp. 22. nu. 13. vocans illam sententiam veriorem, quamuis non desint, qui probabiliter doceant oppositam; quos vide apud Dianam 1. part. tract. 11. resol. 2. eò quòd nemo teneatur uti privilegio sibi concesso; sic enim non esset gratia, sed onus; nec talibus præcipitur, sed permittitur interesse divinis, quare possunt generali Ecclesiæ prohibitioni, & communitati, cujus sunt pars, se accommodare.

maximè Clerici tempore interdicti generalis,

Loquuntur autem de Laicis, quibus per speciale privilegium, v. g. per Bullam Cruciatæ, conceditur illa auditio: nam in Clericis, quibus conceditur tempore interdicti localis generalis, quotidie in Ecclesiis & Monasteriis celebrare Missas, & alia divina Officia, cap. *Alma mater.* 24. de sententia Excommunicationis in 6. ibi: *Adiicimus præterea, quòd singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia dicantur divina Officia, sicut priùs, submissâ tamen voce, ianuis clausis, excommunicatis, ac interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis.* In his, inquam, Clericis omnes agnoscunt obligationem.

Cap. 24. de sent. Excom.

179. & laici in præcipuis festivitatibus,

Utì etiam in laicis pro Festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptione Virginis gloriosæ, in quibus eodem jure possunt divinis Officiis interesse, ibi: *In Festivitatibus verò Natalis Domini, Paschæ ac Pentecostes, & Assumptione Virginis gloriosæ, campanæ pulsentur & ianuis apertis altâ voce divina Officia solemniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis; sed interdictis admissis.*

Et ratio est; quia cùm interdictum, quod arcet ab Officio divino, sit respectu eorum quasi sublatum, præceptum, quo ad divina celebranda, vel audienda obligantur, in eos omnem vim suam obtinet. Ita Regius disp. 17. de Sacramentis nu. 28.

Regius.

180. Ratio quæ est pro istis, est pro omnibus.

Optima propositio! Sed quæ contra ipsum probat Conclusionem. Quid enim refert sive jure communi sublatum sit interdictum, sive speciali dispensatione, aut privilegio? Nonne præceptum Ecclesiæ obligat, quoties sine notabili incommodo potest adimpleri? Nonne incarceratus, si die Dominico dimittatur liber, tenetur audire Sacrum, si absque alio incommodo potest?

Disputatas à Coninck assignata,

Concedit Coninck suprà; quia, inquit, respectu hujus præceptum audiendi Sacrum pergit ligare, & solùm ab ejus impletione per impotentiam excusatur, quare hâc sublatâ nihil eum ab auditione excusat. Secùs est de tempore interdicti, in quo per contrariam Ecclesiæ prohibitionem respectu illius communitatis præceptum audiendi Sacrum omnino suspenditur, ita ut eam, ejusque partes desinat pro eo tempore obligare.

181. rejicitur ab Auctore.

Sed contrà; quæ impotentiæ corporalis, eadem est ratio impotentiæ spiritualis: ergo sicuti sublatâ impotentiâ corporali, v. g. vinculis materialibus, nihil restat, quod excusat ab auditione Missæ; ita quoque sublatâ impotentiâ spirituali, excommunicatione v. g. vel interdicto, sive respectu totius communitatis, sive respectu partis communitatis, nihil restat, quod possit excusare ab auditione Missæ.

Ponamus casum, quòd Magistratus civilis propter aliquod crimen commissum publico edicto omnibus civibus mandet, ne domum egrediantur; nonne si quis particularis obtineat privilegium egrediendi, ideo, quia alii adhuc manent quasi incarcerati, & propter impotentiam excusantur ab auditione Missæ, & ipse etiam, qui egredi potest, erit excusatus?

Sanè licèt hujusmodi non teneatur egredi vi privilegii sui, quia nemo tenetur uti privilegio suo; equidem quia potest uti, vi præcepti audiendi Missam, quod potest jam commodè implere, tenetur egredi & audire, nec potest se conformare communitati, cujus est pars; quoniam respectu ipsius sublatum est impedimentum, ratione cujus communitas excusatur. Quid si enim tota communitas esset infirma, & tu solus bene valens, adeoque potens audire Missam, numquid posses te conformare communitati, & nolle audire Sacrum?

182. Eadem est ratio impotentiæ corporalis & spiritualis,

Consimiliter ergo res se habet in hoc impedimento spirituali: interdicitur communitas, prohibetur interesse divinis Officiis, unus solus eximitur per privilegium, vel antecedens, vel superveniens; dico, talem non posse se conformare cæteris, quia non habet impedimentum spirituale, quod cæteri habent.

Et quamvis fortè propriâ voluntate illud privilegium acceptaverit, equidem suppositâ acceptatione, impedimentum est sublatum; adeoque obligatur ad auditionem Missæ eodem modo ac si numquam aliquod impedimentum fuisset; non vi privilegii, ut jam dixi, sed vi præcepti audiendi Missam, quod nullum invenit obstaculum, ac proinde obligat, sicuti priùs obligabat. Ex quo patet

responsio ad rationes superiùs pro oppositâ sententia adductas.

183. Objectio. Si autem dixeris cum Adversariis: qui habet privilegium faciendi celebrare in Oratorio privato suæ domûs, non obligatur ad utendum eo privilegio, quando cogitur domo non exire, licèt reverà posset tunc audire Missam.

Responsio prima. Respondeo, fortè teneri, si absque detrimento notabili potest. Sic enim qui die Festo iter habentes, pervenirent ad Eremitorium, quod Episcopus approbavit, ut in eo possit celebrari, tenerentur ibi audire Missam, si commodè possent, cùm auditio obliget in quocumque loco.

184. Secunda responsio. *Suarez.* Ut Missa audiatur, non est vocandus Sacerdos cum datione stipendii, neque sumenda est Bulla Cruciatæ. *Diana.* Respondeo secundò cum Suario supra §. *Secundum caput*, Negando Consequentiam; nemo enim tenetur quærere Sacerdotem, & dare stipendium, ut sibi Missam celebret; sed solùm tenetur ex præcepto audire Missam; & ideo nemo cogitur sumere Bullam Cruciatæ, ut tempore interdicti possit Missam audire.

Immo ego puto (inquit Diana p. 4. tr. 4. resol. 80.) sic impeditum non teneri audire Missam in dicto Oratorio, quamvis gratis inveniat celebrantem; quia dicere Missam in privatis domibus & Oratoriis approbatis de se est odiosum, & privilegium derogatorium juris communis, & est dispar ratio inter hunc casum, & casum tempore interdicti; nam in casu interdicti, sublato impedimento nulla fit dispensatio in jure communi; nam Missa & dicitur, & celebratur, ut debet, & solet: at in hoc casu sublato impedimento non celebratur Missa, ut ordinariè, & regulariter celebratur, quia extra Ecclesiam dicitur. Hæc ille cum aliis, quos citat.

Suarez. Addit Suarez: per hoc privilegium formaliter ac per se non tollitur impedimentum audiendi Missam; non enim tolluntur vincula, nec coactio manendi domi &c. Unde necessarius est usus quasi effectivus ipsius privilegii, ut possit aliquis Missam audire; ad illum autem usum nemo obligatur.

185. Incarcerati obligantur audire Missam si commodè possint. Equidem magis placet prima responsio, utpote magis conformis praxi Ecclesiæ, dum permittit celebrari in carcere, quò incarcerati possint audire Missam; nec arbitror Suarium, aut Dianam, vel quempiam alium Auctorem, qui pro illa sententia citatur, fore ausum asserere, hujusmodi incarceratos non obligari ad audiendam illam Missam, si commodè possint.

186. Objectio. Objiciunt præterea Adversarii; qui habet privilegium, ut possit servare jejunium comedendo carnes, & in reliquo servando requisita ad jejunium, non obligatur ad jejunandum cum carnibus, tametsi commodè possit, quando habet causam legitimam ad illas comedendas; ergo similiter qui habet privilegium audiendi Missam tempore interdicti, non obligatur ad illam audiendam, tametsi commodè possit.

187. Responsio 1. Respondeo primò Negando Antecedens, etiam secluso omni privilegio; fieri enim potest, ut causa sit legitima ad comedendas carnes, puta propter aliquem horrorem naturalem à piscibus; minimè autem ad sumendam duplicem refectionem, quo casu secundùm veriorem sententiam (estando in puncto juris, ut loquitur Villalobos Sum. part. 1. tract. 23. difficul. 8. num. 9.) obligatur ad jejunandum cum carnibus, id est, ad sumendam unicam refectionem carnium; præceptum enim jejunii non est indivisibile, ut patet quando quis jejunat cum solâ abstinentia à carnibus, quia videlicet defatigationi ipsius, aut infirmitati sufficienter subvenitur duplici refectione piscium; & ita habet praxis totius Ecclesiæ.

Sin verò supponas talem causam legitimam ad comedendas carnes, quæ simul sufficiat ad duplicem sumendam refectionem, impertinens est privilegium; nam si causa illa deroget ipsi præcepto quoad omnes suas partes, multò magis privilegio. Nam privilegium datum est ad sublevandum onus præcepti, non autem ad imponendum onus præcepti, à quo aliunde liber sum. Sic ergo intelligendo objectionem, Respondeo Negando Consequentiam; quoniam habens privilegium audiendi Missam tempore interdicti, nullam habet causam excusantem ab auditione Missæ, & ideo obligatur, non ex privilegio, ut jam secundò dixi; sed ex lege sive præcepto. Responsio 2.

188. Virtute privilegii duplicitèr quis redditur capax observationis præcepti. Quamvis autem hæc solutio abunde sufficiat; juvat equidem advertere ex Lugone suprà num. 16. dupliciter posse per virtutem privilegii reddi aliquem capacem observationis præcepti, quod sine illo privilegio priùs observare non poterat. Primò, si concessio privilegii mutet objectum præcepti, & faciat, quòd præcepto satisfiat per aliud opus, quod non erat in præcepto. Secundò, si non mutet objectum præcepti, sed privilegium auferat impedimenta ad faciendum idem illud opus, quod priùs præcipiebatur.

189. Exemplum prioris modi. *Lugo.* Priori modo, inquit Eminentissimus, concurrit privilegium in casu posito de jejunio: facit enim, quòd per aliud opus, quod non præcipiebatur, satisfiat præcepto jejunii. Nam præceptum obligabat ad unicam comestionem absque carnibus; privilegium facit, quòd per aliud minùs, scilicet per unicam comestionem carnium satisfiat illi præcepto. Tunc autem privilegium non includit obligationem; quia præceptum de se non obligabat, nec præcipiebat tale genus abstinentiæ, ut ex communi sententia suppono: ergo si imponeretur illa nova obligatio, imponeretur utique per privilegium, non per-

per præceptum antecedens, & in hoc casu verum est, quòd privilegium non debet redundare in obligationem & odium privilegiati.

Hac de causa si aliquis habeat privilegium anticipandi divinum Officium, ita ut hodie recitare posset totum divinum Officium crastinum, & ita satisfacere præcepto, non tamen teneretur ad utendum illo privilegio, & anticipandum, etiamsi sciret se crastinâ die habiturum impedimentum vel morbi, vel alterius generis, quod à recitatione excusaret. Item qui haberet privilegium in infirmitate commutandi Officium divinum in Coronam B. Virginis, non teneretur uti illo privilegio, etiamsi posset Coronam absque incommodo recitare. Ratio est eadem, quia præceptum secundùm se non obligat ad recitandum die præcedenti, sed ad recitandum intrà illam diem, neque obligat ad recitandam Coronam, sed Officium: ergo si privilegium afferret obligationem recitandi die præcedenti, vel recitandi Coronam, afferret obligationem ad objectum novum, ad quod præceptum de se non obligat.

190. Exemplum posterioris.

Posteriori autem modo se habet privilegium, quando non variat objectum præcepti, ut in casu nostro. Nam præceptum erat audiendi Missam die Festo: privilegium autem non obligat ad aliud, sed aufert id, quod impediebat audire Missam die Festo, & eâ occasione facit indirectè, quòd præceptum, ablato impedimento, obliget absque excusatione. Tale etiam est illud privilegium celebrandi in Oratorio privato: tale est privilegium obtinendi absolutionem à reservatis per Bullam Cruciatæ, quod qui habet obligatur tempore debito ad utendum illo privilegio, & confitendum illa peccata reservata ante Communionem; quia præceptum solùm est confitendi sua peccata proprio Sacerdoti, potenti absolvere; absque privilegio excusaretur homo à confessione reservatorum, ob defectum Sacerdotis, potentis absolvere: posito autem privilegio, non excusatur; quia potest poni totum, quod præcipitur, & sic in aliis similibus, in quibus per privilegium non obligamur ad aliquid aliud, sed aufertur impedimentũ ad illud idem, quod præcepto præscribitur. Hactenus Cardinalis.

191. Quibus concessus est in die jejunii comestio carnium, non semper concessa est secunda refectio.

Ubi videtur supponere præceptum jejunii de se non obligare, nec præcipere abstinentiam à secunda refectione, quando, sive ex privilegio, sive ex alia legitima causa, conceditur comestio carnium, quod ex dictis patet esse falsum secundùm veriorem sententiam, quam docet inter cæteros Lessius de Virtut. Card. lib. 4. c. 2. n. 45. in fine dicens: Quibus conceſſus usus carnium, his etiam censetur permissa secunda refectio, ut docet Toletus lib. 6. cap. 3. quod tamen ex sententia Cajetani & Navarri limitaverim habere locum, si ratione debilitatis naturæ, vel corroborationis id concessum sit; non autem si quis à piscibus abhorret, vel putantur nocere temperamento: tunc enim causa non subest, cur gemina refectio concedatur.

Quando ergo per Bullam Cruciatæ conceditur servare jejunium comedendo carnes, tollitur partiale objectum jejunii, scilicet abstinentia à carnibus, & remanet obligatio abstinendi à secunda refectione, adeoque privilegium istud non facit, quòd præcepto satisfiat per aliud opus, quod non erat in præcepto; sed facit, quòd præceptum, quod anteà erat virtualiter duplex, tantùm sit unicum & simplex respectu privilegiati. Casus ergo planè dissimilis nostro casui; immo & illis, quos Cardinalis adducit in confirmationem.

Deinde apud Dianam 1. part. tract 11. resol. 2. in fine sic lego: Qui audiunt Sacrum tempore interdicti virtute Bullæ Cruciatæ tenentur aliquas preces Deo pro unione Principum Christianorum contra Infideles, eorumque contra eosdem victoriâ emittere, quod præceptum ad mortale non obligat, sed tantùm ad veniale. Quod si verum est, liquet privilegium istud non solùm auferre id, quod impediebat audire Missam; verùm etiam ad aliquid aliud obligare, adeoque secundùm Lugonem non esse obligationem tali casu audiendi Sacrum.

Sed jam satis de impotentia spirituali, ad quam reducitur ignorantia invincibilis, & bona fides, quæ in omnibus præceptis, præsertim humanis excusant à peccato, ut suppono ex communi sententia, alibi solita explicari. Et sanè ratione bonæ fidei multi rudes, etsi reverà non excusati ab obligatione, non peccant mortaliter; qui tamen sunt instruendi & monendi, ne tam facilè se absentent.

192. Ad impotentiam spiritualem reducitur ignorantia invincibilis & bona fides.

Cæterùm quæ impotentiæ spiritualis, eadem aut par ratio est impotentiæ corporalis, quæ utique ponitur pro secundo principio generali, & explicatur sequenti Conclusione, quæ talis est:

CONCLUSIO XII.

Excusat ab auditione Missæ in die Festo impotentia corporalis, non tantum physica, sed etiam moralis, quando sine jactura alicujus boni, saltem mediocris æstimationis, aut sine magna difficultate & labore Missa audiri non potest.

HÆc Conclusio non indiget nisi explicatione. Et verò quantùm ad impotentiam physicam, saltem de illa verificari debet Regula juris 6.

193. Excusat ab auditione Missæ im-

Reg. 6. de Reg. Iuris in 6. Lex 185 ff. eod.

juris 6 de Reg. Juris in 6. *Nemo potest ad impossibile obligari.* Et L. 185. ff. de Reg. Juris: *Impossibilium nulla obligatio est.* Censetur autem simpliciter impotens, qui in vinculis aut carceribus detinetur, aut tali morbo, ut non possit omnino ire ad locum Missæ, vel illam apud se habere.

qualis est respectu incarceratorum, infirmorum, navigantium.

Idem sit judicium de navigantibus, qui nec possunt ad terram accedere, neque etiam in navi eam audire, defectu celebrantis. Interim si in navi Missa diceretur licitè vel illicitè, non dubito quin tenerentur audire, cùm nullum jus vel divinum, vel humanum hujusmodi auditionem prohibeat; & aliunde sit vera Missa, ut suppono.

An hi teneantur audire Missam siccam?

Nam si solùm foret Missa sicca (id est, exhibitio reliquarum ceremoniarum præter consecrationem Corporis & Sanguinis Christi) quæ semper licet, quamvis optimum consilium, ac devotionis & religionis indicium sit, illam audire, & aliquando possit esse, saltem ad vitandum scandalum, necessarium; attamen per se nulla est obligatio ex vi præcepti Ecclesiastici audiendi hujusmodi Missam; quia reverà non est Missa, & per consequens, nec materia præcepti, ut liquidò probatur; quia si quispiam talem Missam audivisset in die Festo, deberet iteratò Missam propriè dictam audire, si commodè posset.

194. Defectus necessariorum excusat à Missa audienda;

Huc etiam reducitur casus, in quo non est Sacerdos, vel deest materia necessaria consecrationis, Altare, vestimenta, aut alia præcepto Ecclesiastico requisita ad licitam celebrationem. Si tamen sine his Sacerdos illicitè celebraret, teneris assistere, ut statim dixi de Missa, quæ illicitè diceretur in navi, quia nullo jure prohibetur illa assistentia; sed tantùm celebratio.

uti & Sacerdotis excommunicatio,

Cæteroquin si Sacerdos foret excommunicatus vitandus, perspicuè constat, neminè debere, immo nec posse interesse ipsius Sacro, tametsi nulli alteri posset assistere. Siquidem majoris momenti censetur prohibitio communicandi in rebus Sacris cum excommunicato vitando, quàm præceptū audiendi Missam in die Festo.

nisi sit tolleratus.

Dico, *Excommunicato vitando*; quia cum sine peccato possim audire Missam excommunicati tolerati (qualis post Extrav. *Ad evitanda*, censetur, qui non est nominatim excommunicatus & denunciatus, vel publicus Clerici percussor) nulla est ratio, quare, accedente præcepto Ecclesiæ, non tenear audire, quamvis ipse peccet sponte celebrando.

195. Quis dicendus sit simpliciter impotens?

Itaque simpliciter impotens est, qui non potest audire Sacrum sine peccato, nam id solùm propriè possumus, quod licitè possumus, argumento Leg. *Filius qui.* 15. ff. de Condit. Instit. ibi: *Nam quæ facta lædunt pietatem, existimationem verecundiam nostram & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est.*

Lex 15. ff. de Condit. Instit.

Hinc excusatur titulo impotentiæ, qui fide datâ (& maximè si juramento firmata sit) vel præcepto Superioris, domi suæ justè manere compellitur, quamvis corporaliter non cogatur, excusatur, inquam, cùm licitè exire non possit.

Atque hæc quidem facilia; difficillimum autem discernere hìc & nunc impotentiam moralem, utpote quæ non consistat in indivisibili, neque uno tantùm, sed pluribus modis accidere possit. Hinc in Conclusione assignavi regulam generalem, ab Auctoribus communiter traditam, quam quilibet prudens poterit applicare ad casus particulares, omnibus circumstantiis maturè consideratis. 196. Quis censeatur moraliter impotens.

Ratio porrò hujus regulæ est, voluntas Legislatoris sive Ecclesiæ, quæ tamquam pia mater noluit Filios suos cum extraordinario incommodo obligare, ut colligitur ex recepta consuetudine, & unanimi consensu Doctorum, Ecclesiâ sciente & non contradicente, cùm tamen facilè posset contradicere. Incommodo, inquam, animæ, vel corporis, honoris seu bonorum temporalium.

De incommodo animæ, quod est peccatum, constat ex dictis illud excusare; cùm non solum sit impotentia moralis, sed suo modo physica. Sed numquid etiam excusat periculum peccati? V. g. timet aliquis prudenter, ne perditè concupiscat aliquam personam, quam scit esse in Ecclesia, si vel tantùm illam aspiciat, magis si ei loquatur, quod tamen non poterit honestè subterfugere, non dubito quin hujusmodi excusetur ab hoc præcepto; licèt enim physicè posset resistere tentationi, equidem consideratâ suâ fragilitate, non sine maxima difficultate. 197. Excusat periculum proprii peccati;

Certè si propter periculum alieni peccati potest aliquando manere domi, tametsi non teneatur, ut multi docent; cur non æquè, aut magis ad evitandum peccatum proprium? Nam charitas incipit à seipso, & peccatum alienum non minùs per accidens sequitur, quàm peccatum proprium. 198. uti etiam peccati alieni.

Nonne ab omnibus excusantur, qui, si Ecclesiam adeant, timent seditionem, aut rixas graves concitandas propter veteres inimicitias, vel propter locum, ordinem & dignitatem? Sic etiam titulo charitatis alienæ excusatur mater, quæ manet domi, ut custodiat filiam, cujus probabile periculum peccandi timet, si eam vel domi solam relinquat, vel secùm ducat ad Ecclesiam.

Similiter ex eodem titulo excusatur nutrix, quæ non potest secum ferre puerum ad Ecclesiam absque non levi adstantium & celebrantis perturbatione, nec potest domi relinquere absque probabili aliquo pueri periculo corporali. Numquid anima plùs est, quàm corpus? Et plùs diligere possum, imo debeo propriam animam, quàm

quàm corpus alienum, imo quàm proprium corpus, ad cujus molestias evitandas, ut continuò dicetur, possum sæpiùs ab Ecclesia, & Missa me absentare?

199. Objectio. Si dixeris; proprium peccatum potes, & debes evitare, estò Missæ assistas; alienum autem non potes. Solvitur. Respondeo: quamvis ego non possim, & ideo etiam ordinariè non debeam, quia scandalum est passivum; equidem proximus meus potest, & debet. Et licèt possim evitare peccatum proprium & debeam, etiam cum quacumque difficultate, & molestia; attamen non videtur, quòd Ecclesia velit me obligare ad illam actionem, ex qua per accidens oritur notabilis difficultas & molestia.

Urgebis: ergo etiam licebit omittere Missam propter majorem utilitatem propriam, vel necessitatem spiritualem. Probatur Consequentia; quia Doctores communiter, titulo charitatis alienæ excusant illos, qui deserviunt infirmis, quando servitium est necessarium, aut certè (cùm ægritudo est alicujus momenti) valde utile.

200. An excuset auditio Concionis? *Dicastillo. Angelus. Rosella.* Aliqui concedunt Consequentiam, inquit Dicastillo disp. 5. n. 193. Ita Angelus verb. *Festa* n. 45. qui putat præferendam esse auditionem Concionis auditioni Missæ, cujus sententiæ fuisse D. Bernardum testatur Rosella verb. *Dominica* n. 50. Hæc ille.

Planè testatur id Rosella, sed non de Divo Bernardo sed de S. Bernardino, neque n. 50. sed n. 5. credo esse vitia typographica. Interim contrarium docet Rosella; quia, inquit, Missa est de præcepto simpliciter, non autem prædicatio. Et continuò attexit: licèt S. Bernardinus fuerit hujus opinionis; & miror de ejus subtilitate, & totus mundus contrarium observat. Hæc ille. Sed locum S. Bernar. non allegat, unde non potui cognoscere perfectam veritatem.

Quantùm ad Angelum, putat hic omnino Concionem esse præferendam, sed non præcisè propter majorem ejus utilitatem; sed quia, inquit, ratio legis in hac magis militat, ut patet intuenti jura, quæ magis ratione audiendi Scripturas sanctas & Verbum Dei præcipiunt Missam audire, quàm aliâ ratione.

Legi jura, & quamvis in aliquibus fiat mentio Concionis & auditionis ejus, ut cap. *Omnes Fideles* 62. cap. *Sacerdote* 63. & cap. *Episcopus* 67. de Consec. dist. 1. in aliis tamen, nimirum cap. 64. & cap. *Cùm ad celebrandas* 65. auditionem solius Missæ invenio. Aliunde autem constat, obligationem audiendi Concionem, si quæ olim fuerit ex illis juribus, hodie contrariâ consuetudine penitùs cessasse.

201. Communiter non excusat. Respondeo ergo ad argumentum Negando Consequentiam; nisi necessitas capiendæ utilitatis ex Concione tanta sit, ut sermone non audito desperet aliquis posse discere ea necessaria fidei, quæ ignorat. Alioquin si alio tempore commodè possim illam scientiam acquirere, aut quamcumque aliam utilitatem spiritualem, ipsa ratio dictat præeligendum esse opus præceptum, cùm per se nullus sit major fructus, quàm servare mandata eo tempore, quo ipsa obligant. Quis enim dixerit me posse Sacrum omittere, ut in cubiculo meo contemplationi Dei vacem, ex qua majorem fructum spiritualem mihi provenire existimo?

Excusat nec cessaria assistentia ægroti. Cùm itaque in casu illo ægroti, illud servitium, ut suppono, non possit in aliud tempus deferri, & nisi præstetur in occasione & tempore Missæ, patietur ægrotus & privabitur remediis sibi multùm opportunis, hinc est, ut tunc liceat omittere Missam propter bonum ægroti, & non aliàs propter bonum Concionis.

202. Excusat præceptum Confessionis, immo aliquando simplex Confessio. Rogas quid ergo faciendum, quando urget præceptũ Confessionis, & non potest commodè impleri nisi omittatur Missa? Respondeo, confitendum esse, quia lex Confessionis videtur esse majoris momenti, secùs simplex Confessio, quando non est in præcepto, nisi fortè ex illa speraretur notabilis utilitas, propter particularem conditionem Confessarii nunc præsentis, quam postmodùm eo absente non posset pœnitens acquirere. Tali namque casu planè existimo præceptum audiendi Missam non obligare, si verum est, quod aliqui docent, & videtur probabile, Missam posse omitti sine culpa propter notabile & extraordinarium lucrum temporale, quod mihi cessaret, si Missæ adessem.

Licèt enim Confessio illa non sit in præcepto; utì nec acquisitio illius extraordinarii lucri, aut servitium valde utile, quod præsto ægroto, ut suppono; nihilominus cùm affirmativa præcepta non obligent ad semper, facilè potest, mutatis circumstantiis, eorum obligatio cessare; adeòque in illis casibus non omittitur opus præcepti, propter opus consilii, sive non præfertur consilium præcepto; sed res constituitur in tali statu, & cum talibus circumstantiis, ut propter bonum proprium vel proximi, præceptum desinat obligare; quod omnes debent concedere, qui admittunt excusationem damni temporalis emergentis, etiam tunc, quando aliundè præceptum charitatis non obligat ad illud evitandum.

203. Excusat probabile periculum vitæ & infirmitatis alicujus momenti. Igitur ut veniamus ad incommodum temporale, nemo dubitat periculum vitæ ab obligatione hujus præcepti excusare: immo periculum mali longè inferioris, v. g. infirmitatis non admodùm notabilis, dummodò tamen sit alicujus momenti & periculum probabile judicio viri prudentis. In dubio melior est conditio possidentis. Sed quis ille? Autumo quia lex; illa enim ante dubium periculum obligabat, tibi ergo incumbit probare periculum subesse, quo à lege eximaris, quousque ergo sufficienter probatum fuerit, manet obligatio legis.

204. Objectio. *Dicastillo*

Navarrus. Suarez. Angelus. Henriquez.

Dices cum Dicastillone suprà n. 174. ubi videtur docere contrarium; quilibet tenetur sibi prospicere in re gravi, seque diligere: ergo manente dubio non solùm non tenetur audire; sed neque potest. Qua de re, inquit ille, potest legi Navarrus cap. 21. n. 3. Suarius sect. illâ 6. Angelus verb. *Feriæ* n. 42. Henriquez lib. 11. cap. 25. n. 10. Legi Auctores illos, & apud neminem invenio dubium periculum excusare, immo Suarez in terminis requirit periculum probabile viri prudentis arbitrio.

Responsio.

Pro quo, ut respondeam ad argumentum Dicastillonis, nota, me non dixisse, *Dubium morbum*; sed, *dubium periculum morbi*; nam dubius morbus idem est quod verum periculum morbi, porrò dubium periculum nullius est considerationis, ut vel charitas dictet illud esse evitandum, vel præceptum Missæ propterea desinat obligare.

205. Signum cognoscendi periculum reincidendi in morbum,

Porrò ad discernendum, an convalescens v. g. ex infirmitate, exponat se vero periculo reincidentiæ, ratione cujus possit excusari ab auditione Missæ, consideranda est distantia loci, labor audiendi Missam, & aëris temperies, seu qualitas temporis. Et optimum indicium est, quando infirmitas impedit egredi lecto aut domo ad alia negotia æqualis vel majoris laboris, quàm sit Missam audire, nam si hæc non impedit, non est cur excuset.

quale quandoque est in valetudinariis ob lectionem Horarum, licèt non historiarum,

Æqualis, inquam, vel majoris laboris omnibus consideratis; nam, ut advertit Dicastillo suprà n. 173. contingere potest, ut valetudinarius cum jactura multò majoris sanitatis corporis oret & legat Horas Canonicas, quàm si legeret aliquam historiam gratam, aut aliquid simile, vel etiam Schachorum ludo attenderet, nimirum ipsa mortificatio naturæ, ut attendat & incumbat ad laborem, à quo abhorret, maximè nocet sanitati: quod tamen non contingit in eo labore, etiam fortasse in se majore, qui prompto & alacri animo suscipitur, ac recreationis gratiâ.

206. Quid dicendum de laborantibus quartanâ febri, fœminis gravidis,

Cæterùm juxta hæc principia judicandum est de laborantibus quartanâ febri, & de fœminis gravidis, quæ quodammodò infirmantur. Et quoniam homines sæpè magis reputant jacturam famæ vel bonorum temporalium, quàm ipsius vitæ corporalis, liquet profectò meritò excusari ab auditione Missæ, qui occasione illius timent probabiliter jacturam honoris vel bonorum temporalium alicujus momenti, prudentis viri arbitrio.

aut carentia bus veste decenti vel debito comitatu?

L. 19 ff. Ex quibus causis.

Hâc ratione excusatur vir vel mulier, qui defectu decentis vestis vel comitatûs, non potest sine dedecore in publicum prodire: argumento leg. *In eadem causa* 10 ff. Ex quibus causis ibi: *In vinculis autem etiam eos accipimus, qui ita alligati sunt, ut sine dedecore in publico parere non possint.*

Hæc tamen omnia regulanda sunt juxta personarum qualitatem, & honestam patriæ consuetudinem, neque extendenda est nimium hæc licentia ad superfluos ornatus, præsertim fœminarum: & considerandum est, an in hujusmodi casibus possit aliquis secretè v. g. summo manè, vel in Ecclesia à concursu populi remota Missam audire; tunc enim non est cur excusetur, cùm non sit difficilè & incommodum vitare, & præceptum implere.

207. An pater ob causam possit hujusmodi vestem negare filio?

Si autem quæritur; an Pater v. g. possit hujusmodi indumenta negare filio. Respondeo cum Fagundez de quarto Ecclesiæ præcepto lib. 4. c. 1. n. 2. affirmativè, quando id judicat necessarium ad ejus correctionem; hæc siquidem correctio satis rationabilis causa est ad utrumque tam filium, quàm parentem excusandum à transgressione hujus præcepti, quæ solùm per accidens conjungitur.

Eodem titulo excusatur fœmina innupta, quæ passim habetur honesta, & tamen gravida est, nec potest lapsum suum occultare, nisi domi se continendo. Et idem est in quocumque casu simili, cum hac equidem limitatione, quando aliàs non potest Missam occultè audire.

208. Excusat jactura bonorum temporalium.

Quantùm ad jacturam bonorum temporalium, ratione illius excusantur, qui timent furtum, si domum solam relinquant. Item itinerantes, qui omittunt Missam, ne comites relinquant, quando alioquin imminet probabile periculum latronum, vel sperant ab illis expensas itineris, aut certè sine illis timent aberrare, aut aliud simile incommodum, quod censeatur damnum temporale alicujus momenti. Nam solùm amittere comites viæ, si nullum aliud incommodum adjungatur, non videtur sufficere.

Similiter qui oves suas, aut res similes cogitur sine custodia in agro relinquere, ut Missam possit audire, regulariter loquendo probabilem habet excusationem.

209. Quid faciendum pastoribus ovium quando plures sunt?

An autem si plures sint pastores ovium, debeant curare, ut factâ inter se conventione nunc unus, nunc alius ad Missam vadat; quamvis consultum sit ut ita faciant, tamen non videtur esse stricta obligatio: nec enim, inquit Dicastillo n. 179. ex vi præcepti Missæ videtur quis obligari ad subeundum onus custodiendi oves alterius pastoris, ut ille alter, sibi rependens vices, liberum faciat illi tempus audiendi Missam, cùm hujusmodi media non sint ordinaria, ad quæ solùm obligantur homines ex vi præcepti.

Quando autem sunt duo vel tres pastores gregis ejusdem, qui necessarii non sunt ad custodiendum gregem pro illo tempore; debent Missam audire. Quòd si sint plures Missæ diversis temporibus, omnes debent audire permutatis officiis vicissim custodiendi gregem, & eundi ad Missam. Ita Dicastillo cum aliis, quos citat. *Dicastillo.*

Perinde autem est ad hanc excusationem sive

sive sint oves propriæ, aut alienæ, ad quas custodiendas ex officio, vel contractu obligantur. Imo tantò magis excusantur, quantò arctiori vinculo, scilicet justitiæ obligantur. Sed de titulo justitiæ sive officii Conclusione sequenti.

210. Excusat omne grave incommodum,

Pro fine præsentis Conclusionis Nota, sub hoc capite contineri omne temporale grave incommodum, quando sine illo Missa audiri non potest; non quasi obedientia debita Ecclesiæ, non sit meritò præferenda rebus nostris temporalibus, & corporalibus commodis, sed quia, ut superiùs diximus, non censetur hoc præceptum cum tanto onere obligare, ex benigna voluntate Ecclesiæ.

ut iter unius horæ pedes conficiendum,

Et hâc ratione excusatur, qui longum iter, v. g. unius leucæ, pedes conficere deberet; vel quamvis non sit tanta distantia, attamen est aliqua notabilis, & aliunde tempestates ingruunt & pluviæ, ita ut rem prudenter considerando, notabile censeatur detrimentum.

maximè mulieribus

Attendenda hic quoque venit qualitas personæ; nam faciliùs est viris, maximè assuetis iterationibus, conficere iter duarum aut trium leucarum, quàm fœminis, præsertim nobilibus & delicatis, iter unius leucæ. Opus ergo est multâ prudentiâ in his & similibus casibus, qui in infinitum quasi possunt multiplicari, dijudicandis.

nobilibus & delicatis.

211. Quid faciendum quando omnes Ecclesiæ civitatis sunt interdictæ?

Hoc tantùm adverte, si omnes Ecclesiæ alicujus civitatis essent interdictæ; extra urbem autem, vel in suburbio extaret aliquod templum liberum ab interdicto, nisi distantia sit nimia, tam viri, quàm fœminæ tenerentur eò ire ad satisfaciendum suæ obligationi, eodem jure, quo tenerentur, si in sola illa Ecclesia, aliquantum distanti ab urbe, inveniretur Sacerdos, qui vellet celebrare; neque enim præceptum universale audiendi Missam alligatum est urbi; sed in omni loco obligat, ubi commodè potest audiri.

Hæc possent sufficere; attamen pro pleniori satisfactione benigni Lectoris adjungam paucos alios titulos excusationis, qui sunt Charitas, Officium, ac justa Obedientia, denique consuetudo. Itaque juxta communem sententiam:

CONCLUSIO XIII.

Excusat ab auditione Missæ in die Festo titulus Charitatis, Officii, ac justæ Obedientiæ, denique legitimæ consuetudinis.

212. Quinam excusentur titulo officii

DE titulo charitatis quando excuset, patet ex dictis præcedenti Conclusione, nec habeo quod addam.

Ratione porrò officii, aut justæ obedientiæ excusantur Primò, milites custodientes castrum, aut portas civitatis, aut vigilias facientes, quando sine periculo aliquo non possunt suo muneri deesse. aut justæ obedientiæ?

Secundò, pastores ovium aut armentorum, de quibus egimus Conclusione præcedenti. Tertiò, vectores mercium, & cursores, qui non possunt iis, à quibus conducuntur satisfacere, si audiant Missam.

Quartò, famuli, qui ut Dominis suis ministrent, omittunt Missam; quod intelligendum est de ministerio necessario juxta communem & ordinarium vivendi modum, vel juxta occurrentes morales & rationabiles occasiones, in quibus ipse Dominus posset idem ministerium præstare cum omissione Missæ: tunc enim certum est nec Dominum peccare præcipiendo, nec famulos parendo, quia illa est gravis & rationabilis causa, & moralis necessitas.

Interim famuli mediocrem adhibeant diligentiam, si fortè possint invenire opportunum tempus implendi præceptum, ad extraordinariam non obligantur; v. g. citiùs surgendo, & ab ordinario & moderato somno plùs justò demendo, vel aliquid simile præstando; ad hoc quippe non obligat præceptum, quamvis id consulendum sit. Quod etiam bene notandum cursoribus & mercium vectoribus.

213. Quando peccet Dominus præcipiendo aliquid incompossibile cum auditione Missæ.

At verò si ministerium non sit ita necessarium, sed commodè possit in alium diem, vel horam transferri, non dubium quin Domini graviter peccent præcipiendo, quod incompossibile est cum auditione Missæ, nec tantùm præcipiendo, sed etiam non adhibendo curam & diligentiam debitam; ut famuli & alii domestici Missam audiant, juxta illud Apostoli 1. Timot. 5. v. 8. *Si quis suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* 1. Tim. 5.

214. An servus tunc teneatur obedire præcepto?

Sed numquid servus tenetur tali præcepto obedire? Manifestum est quòd non; quia ad hoc non censetur se obligasse; quamquam aliòquin possit, ad evitandum grave incommodum. Dico, *Grave*; quia levis rixa Domini, quæ timetur obventura, pro nihilo reputari debet, ubi agitur de observatione legis Ecclesiæ.

Auctor sum hujusmodi famulis, qui ità frequenter & irrationabiliter impediuntur à Dominis suis, datâ opportunitate relinquere tale ministerium, ac alium Dominum, & aliam modum vivendi quærere. Quòd si non possint sine gravi incommodo, excusantur juxta dicta præcedenti Conclusione à transgressione hujus præcepti, quod solum est Ecclesiasticum, & ideo non obligans cum tanto rigore, utì præcepta naturalia maximè negativa, v. g. non occides, non fornicaberis, à quibus nullum

præ-

præceptum Domini, aut incommodum quantumcumque magnum potest excusare. Unde si Dominus ex contemptu legis Ecclesiasticæ præciperet hujusmodi impedimenta auditionis Sacri, potiùs moriendum esset, quàm obediendum, ut liquet ex alibi sæpiùs explicatis.

Juxta hæc loquendum est de uxore respectu mariti, & de filiis respectu parentum, & de militibus respectu ducis, & de omnibus similibus, quæ nimìs longum esset hìc enumerare.

Eodem titulo officii excusantur Senatores ac reliqui primarii viri, qui negotia Reipublicæ, cui præsunt in aliud tempus rejicere commodè nequeunt.

215. Consuetudo legitimè inducta excusat.

Restat titulus consuetudinis, de quo non potest dubitari quin excuset, quando est legitimè præscriptus, argumento cap. Finalis de Consuetudine, ibi: *Licèt longeva consuetudinis* cap. fin. de Consuetudine. *non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeò valitura, ut vel iuri positivo debeat præiudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta.* Et leg. *De quibus* 32. ff. de Legibus, ibi: Lex 32. ff. de Legibus. *Inveterata consuetudo pro lege non immeritò custoditur, & hoc est ius quod dicitur moribus institutum.* Et infrà: *Quare rectissimè etiam illud receptum est, ut leges non solùm suffragio Legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.*

Quæ sit consuetudo rationabilis?

Censetur autem consuetudo rationabilis, quæ non pugnat cum lege naturali, aut divina, nec à jure reprobatur, & aliquâ nititur ratione judicio prudentis, propter quam Princeps non solùm validè, sed etiam licitè posset legem suam revocare.

216. Quæ sit consuetudo legitimè præscripta?

Porrò per consuetudinem legitimè præscriptam, intelligit jus consuetudinem ad minùs decem annorum nullis contrariis actibus interruptam. Aliqui requirunt ad præscriptionem legis Ecclesiasticæ tempus quadraginta annorum; argumento cap. *De quarta* 4. de Præscript. ibi: *De quarta decimæ, & oblationis defunctorum, Clericus ab impetitione Episcopi quadragenariâ præscriptione temporis se posse tueri videtur.* cap. 4. de Præscript. Et infrà: *Nam Romana Ecclesia tricennalem præscriptionem contra Ecclesiam non admittit.* Ita Alexander III. Salernitano Archiepiscopo.

Respondeo; loquitur Pontifex de præscriptione propriè dicta, id est, de præscriptione contra bona & jura Ecclesiæ, cujus conditiones non possunt omnes applicari præscriptioni legali, ut patet in bona fide; deinde in tempore requisito inter præsentes & absentes.

Aliàs ad præscribendum contra legem Romanam, sive Pontificiam, requirerentur centum anni, utì ex jure Canonico requiruntur ad præscribendum contra bona & jura Ecclesiæ Romanæ cap. *Ad audientiam* 13. de Præscrip. ibi: *Romanam Ecclesiam, contra quam non nisi centenaria præscriptio currit.* Et cap. *Cùm vobis* 14. eodem titulo ibi: *Licèt tam legali, quàm Canonicâ sit diffinitione statutum, ut contra Romanam Ecclesiam, quæ gaudet privilegio speciali, non nisi centum annorum præscriptio locum sibi valeat vendicare.* Quòd tamen nemo Doctorum hactenus dixerit. Cùm ergo jus impræsentiarùm non distinguat, nec nos distinguere debemus.

cap. 14. eod.

Rogas, quare majus tempus requiratur ad præscriptionem Dominiorum & jurium immobilium Ecclesiæ, quàm ad præscriptionem legis? Item quare hic non requiratur bona fides, sicut ibi?

217. Quare majus tempus requiratur ad præscriptionem bonorum Ecclesiæ quàm legis?

Respondeo; quia præscriptio propria respicit jus privatæ personæ, vel communitatis habentis se per modum privatæ personæ, quæ spoliatur irreparabiliter aliquâ re, vel jure ab alia persona privata, adeoque non fuit expediens ut minori tempore, aut cum mala fide præscriptio illa curreret: sic quippe passim innocentes spoliarentur bonis suis & scelerati illis ditarentur; & Ecclesiâ, quæ difficulter potest bona acquirere; facilè depauperaretur, aliaque incommoda sequerentur.

At verò præscriptio legalis sive legum, nullo jure aliquem privat, sed solùm removet obligationem legis, quam communiter, quando lex per decem annos non servatur, estò cum peccato, expedit bono communi amoveri. Deinde Princeps vel conscius est consuetudinis, & ita facilè potest eam interrumpere, vel ignorat toto tempore, quo præscriptio currit, & postquam innotuit, de novo potest legem imponere. His ergo suppositis, quæ latiùs explicantur in Tractatu de Legibus.

218. Ob consuetudinem excusantur mulieres post partum à domi continuè per tres hebd.

Ratione consuetudinis excusantur ab obligatione audiendi Missam diebus Dominicis & Festivis, Primò fœminæ, quæ post partum per certos dies domi se continent, non solùm ob debilitatem, verùm etiam ob reverentiam, juxta cap. unicum de Purificatione post partum, ubi Innocentius III. scribit in hæc verba Armachan. Archiepiscopo: *Licèt secundùm legem Mosaicam certi dies determinati fuissent, quibus mulieres post partum à templi cessarent ingressu; quia tamen lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd postquam umbra legis evanuit, & illuxit veritas Euangelij: si mulieres post prolem emissam, acturæ gratias Ecclesiam intrare voluerint, nullâ proindè peccati mole gravantur, nec est Ecclesiarum eis aditus denegandus, ne pœna illis conversa videatur in culpam. Si tamen ex veneratione voluerint aliquamdiu abstinere, devotionem earum non credimus improbandam.*

Propter consuetudinem autem mensruam non est Missa omittenda per se loquendo, & seclusâ ægritudine, vel debilitate, quæ illi æquivaleat, ut notat Navarrus cap. 21. Manualis n. 9. argumento cap. unici jam allegati, & cap. *Ad eius* 4. dist. 5. ibi: *Quæ tamen mulier dum*

non autem menstruata patientes. Navarrus.

dum ex consuetudine menstrua patitur, prohiberi Ecclesiam intrare non debet. Et infrà: *Sanctæ autem Communionis mysterium in eisdem diebus percipere non debet prohiberi.*

219. Objectio. Sed contrà; continuò illis verbis attexit Gregorius: *Si autem ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est.* Ergo eodem modo dicere possumus; si autem ex veneratione magna abstinere voluerit ab ingressu Ecclesiæ, laudanda est.

Soleitur. Suarez. Respondeo cum Suario disp. 88. sect. 6. §. *Sextum caput excusationis*; Gregorium in illis ultimis verbis non loqui de Communione præcepta; nam si quæ mulier eam omitteret ob hujusmodi causam, non esset laudanda. Sic ergo dicendum est de ingressu Ecclesiæ; & ita sine dubio regulariter loquendo impedimentum hoc non est sufficiens, nec de hac re introducta est consuetudo. Si tamen aliquando timeretur exterior aliqua irreverentia loci sacri, tunc posset excusatio esse sufficiens.

220. Quibusdam in locis virgines nobiles jam nubiles domi detinentur & ideo Missam omittunt. Alia consuetudo est in aliquibus locis, virginum nobilium, quæ cùm jam sint nubiles non exeunt in publicum, & ideo Missam omittunt. Quæ (si rationabilis sit & sufficienter præscripta) procul dubio sufficiens est ad excusandum, non tantùm filias; sed etiam consequenter matres juxta dicta Conclusione præcedenti, quæ timent aliquid honestati & bonæ famæ filiarum contrarium, si solæ domi permaneant.

quod Suario apparet irrationabile. Sed reverà (inquit Suarius suprà) hoc ipsum declarat consuetudinem hanc esse valde irrationabilem, & uno inconveniente dato, alia multiplicari: multò enim melius custodirent matres filias suas, secum eas ad Missas ducendo, quàm domi relinquendo. Neque in hoc potest esse morale periculum pudicitiæ regulariter loquendo. Unde magis auctoritatis, quàm pudicitiæ causâ hoc introductum videtur, eò vel maximè, quòd hujusmodi virgines, quæ hoc titulo Missam omittunt, fenestras non fugiunt, & domo exeunt ad ludos & alia publica spectacula videnda.

Quapropter licèt hæc consuetudo simpliciter damnari non possit, tamen magnâ prudentiâ moderanda est, & quoad fieri potest, auferenda, præsertim omnino suadendum est, ut saltem solemnioribus Festis hujusmodi virgines Missam audiant. Nam perpetuò illam omittere intolerabile & Christianis hominibus indignum est. Hæc Suarez.

Uti etiam Navarro. Consonat Navarrus suprà dicens: Nec ferenda videtur consuetudo illa, quâ nobiles puellæ numquam ad Missam aut Communionem antequam nubant, egrediuntur, maximè si ad alia nuptiarum, vel ludorum Festa ducantur, aut fenestræ eis permittantur. Quamvis excusentur, si à parentibus prohibeantur, sed non illi, nisi saltem aliquot solemnioribus Festis Missas eis domi, vel foris permittant.

Maximè si alias ob causas egrediantur

Transeo ad consuetudinem viduarum, quæ post viri mortem per aliquot dies domo non exeunt & ea de causa Missam omittunt, quam consuetudinem, teste Suario suprà, omnes Doctores approbant, utpote fundatam tum in quadam decentia, & honestate viduali, tum etiam in rationabili significatione & ostensione tristitiæ. Cum hac tamen limitatione, ut tempus illud non prolongetur nimiùm, v. g. per annum, aut plures menses.

221. Quid censendum de consuetudine viduarum quæ post viri mortem per aliquot dies domo non exeunt.

Sed non existimo, inquit Suarez, posse hanc moderationem unâ regulâ pro omnibus definiri: nam in fœminis nobilioribus solet esse consuetudo, ut longiori tempore domi maneant, quàm in aliis.

Navarrus. Unde Navarrus suprà n. 4. loquens de consuetudine insignis cujusdam Hispaniæ Provinciæ, in qua nobiliores viduæ toto anno domi se continent, & non audiunt Missam, ait difficilè defendi posse ejusmodi consuetudinem non valere, modò ad alia non egrediantur; quia negari non potest, posse ferri legem quæ aliquâ justâ de causa præceptum hoc relaxaret aliquibus ad semestre, vel annum, & consequenter credendum est idem fieri posse consuetudine; cùm quidquid induci potest humanâ lege, possit & consuetudine, & hæc causa videtur justa in terris, in quibus facilè de viduis malè præsumitur.

Addit: laude dignam futuram viduam, quæ hâc consuetudine posthabitâ, imitaretur nobiles illas & glorioſas Martham & Magdalenam Lazari sancti sorores in eo, quòd ut illæ, non obstante luctu, quo fratrem recèns mortuum lugebant, egressæ fuerunt ad excipiendum Dominum Jesum adhuc mortalem, ita ipsa exiret ad videndum eum jam immortalem & glorioſissimum in Sacramento exstantem, & exorandum, ut sicut Lazarum è sepulchro eduxit, sic sui mariti animam à Purgatorio (si est in illo) educat. Hæc ille.

222. Si præscripta est, potest servari ab unaquaque fœmina. Itaque si reverà consuetudo introducta est, & præscripta, & Prælati Ecclesiæ non contradicunt, ab unaquaque fœmina servari potest; quia per talem consuetudinem abrogatum est præceptum audiendi Missam in hac parte: pertinebit tamen ad Episcopos modum ponere hujusmodi consuetudini, ut non nimiùm extendatur.

His ita constitutis de causis excusantibus ab hac obligatione, duas superesse video difficultates. Prima, an qui non potest Missam integram audire, quia venit v. g. in medio Missæ ultimæ, teneatur saltem audire illam partem quæ restat? Mea sententia est:

CONCLUSIO XIV.

Excusatus à consecratione, & communione, excusatur à toto.

223. Sententia Joannis Sanchez.

SAnchez in Selectis disp. 15. n. 5. sic asserit: Probabile judico accedentem ad audiendum Sacrum tempore quo Præfatio dicitur, & non extat aliud celebrandum, minimè teneri reliquis illius Missæ interesse, quamvis oppositum doceant aliqui. Et à fortiori qui tantùm posset usque ad consecrationis tempus interesse, non censeretur adstrictus usque ad illud assistere, cùm in illa parte præceptum de audiendo Sacro nequeat impleri quoad substantiam, quod utrumque constat ex usu Fidelium, etiam timoratorum.

224. Rejicitur.

Si credere fas est. Cur enim Fideles, si commodè possent, nollent interesse consecrationi & communioni? Immo deberent, quia sic reverà implerent præceptum quoad substantiam, cùm tota substantia Sacrificii consistat vel in sola consecratione, vel saltem in consecratione & communione; quo ergo jure excusarentur?

Potens interesse consecrationi & communioni, tenetur.

Probatur à Thom. Sanchez.

Et ideo non excusari docet Sanchez in Decal. l. 1. cap. 19. n. 6. quia, inquit, ea quæ à consecratione usque ad consumptionem continentur, sunt maximè necessaria, & per se primò intenta in præcepto audiendæ Missæ, utpote in quibus substantia Sacrificii consistit; reliqua autem sunt accidentariò annexa, ad ejus perfectionem, majoremque solemnitatem.

& confirmatur à simili.

Confirmat à simili: Sicut quamvis præceptum jejunii unius diei sit quoad substantialia individuum, ut unicam comestionem & abstinentiam à carnibus, nec obliget quando aliquid ex substantialibus impleri nequit: at quoad accidentaliter per illud injuncta est dividuum, ut horam refectionis. Ac proinde qui culpâ suâ, aut necessitate coactus horam anticipat, tenetur in reliquo substantiam jejunii servare. Ita Sanchez.

225. Simile ab Auctore rejicitur.

Planè tenetur in reliquo servare, nec ille tantùm, sed etiam qui suâ culpâ, vel necessitate coactus sumpsisset duas refectiones in piscibus, ut ostendit praxis omnium timoratorum, qui sæpiùs judicant se excusari ab abstinentia à secunda refectione, & tamen non audent propterea comedere carnes. Non ergo, ut Sanchez videtur hìc velle, præceptum jejunii quoad substantialia est individuum, sed reverà dividuum.

Quidni similiter dixero, præceptum audiendi Missam esse dividuum, non tantùm quoad accidentalia, verum etiam quoad substantialia, si talia sint consecratio & communio? Nonne plures docent illum implere substantiam præcepti, & ideo non peccare mortaliter, qui omissâ consecratione reliquis partibus Missæ assistit? Quod si verum est, nescio quare non teneatur assistere.

Lugo.

Nam quod ait Lugo disp. 22. n. 6. qui non adest tempore consecrationis, non offert Sacrificium illud, nisi generali ratione, sicut alii omnes Fideles; falsum est in illa sententia, quæ consequenter docet, essentiam Sacrificii potiùs consistere in communione, quàm in consecratione, aut saltem æqualiter in utraque.

226. Objectio.

Si dixeris cum Lugone: Feriâ 6. Hebdomadæ sanctæ non tenemur adesse Officio illius diei, etiam occurrente Festo; quia deest consecratio.

Responsio.

Respondeo, non præcisè quia deest consecratio; sed quoniam officium illud reverà non est Sacrificium, in quocumque tandem ratio essentialis Sacrificii constituatur. Non enim secundùm illos Doctores quælibet communio est Sacrificium; sed illa tantùm, quæ est quasi intrinsecum complementum præcedentis consecrationis, quod non magis convenit communioni, quæ fit à Sacerdote in Officio illius diei, quàm cuilibet alteri, à laico factæ eodem die ex hostiis die præcedenti consecratis.

227. Qui consecrationi non potest adesse, non tenetur adire alias partes.

Cæterùm quia verius est Sacrificium essentialiter consistere in sola consecratione, & per consequens non implere essentiam præcepti, qui vel soli consecrationi non assistit, ideo saltem probabile est, eum, qui nullo modo posset adesse tempore consecrationis, licèt posset adesse omnibus aliis partibus, non obligari ad eas audiendas.

Dicitur: *Qui nullo modo posset adesse*; nam (ut notat Lugo suprà) si quis eo tempore ingressus fuisset Sacristiam, ut afferret aliquid ad cultum Sacrificii necessarium, ille aliquo modo diceretur adesse consecrationi & facere unum corpus cum aliis, qui assistunt.

228. Multo magis si non consecrationi sed communioni.

Ex quo patet magis probabilem esse, imò probabilissimam nostram Conclusionem, quæ excipit tempus consecrationis & communionis, quia saltem in his duobus consistit tota essentia & substantia Sacrificij: jam autem qui excusatur à tota substantia actionis præceptæ, videtur etiam excusari ab his, quæ sunt merè accidentalia, ut satìs ostenditur in præcepto jejunii, quo nemo obligatur ad horam refectionis, qui excusatur ab unica refectione, & abstinentia à carnibus.

Ratio probat.

Ratio ergo à priori Conclusionis est, quia præcipitur Missa, ut quædam actio perfecta, saltem substantialiter, ita ut mereatur nomen Missæ; porrò cæteræ partes, ut clarum est, non merentur nomen Missæ simpliciter & sine additione.

229. Objectio.

Solùm obstare videtur, quòd qui reliquas partes omitteret sine legitima excusatione, & solùm assisteret consecrationi & communioni, gravi-

graviter peccaret contra hoc præceptum, in quo illæ partes accidentales differunt ab hora jejunii, quæ licèt præveniatur, equidem non incurritur reatus peccati mortalis contra præceptum jejunii.

Solutio. Respondeo; ideo peccaret, qui assisteret soli consecrationi & communioni, quia potest reliquas partes audire per modum partium unius integri Sacrificii, adjungendo videlicet illas consecrationi & communioni; præcipitur autem ab Ecclesia auditio integri Sacrificii, ut patet ex Concluſ. 1. & 2. præsentis sectionis, & cùm aliunde sint pars notabilis, si non dignitate, saltem quantitate (in quo distinguuntur ab hora jejunii) ut ibidem probatum fuit, omissio erit peccatum mortale.

Partibus essentialibus deficientibus, aliæ non censentur partes integrantes. At verò in casu Conclusionis non potest illas partes audire per modum partium integri Sacrificii, cùm desint partes substantiales Sacrificii; adeòque ipsum Sacrificium. Ergo nulla obligatio, nequidem sub veniali illas audiendi, cùm materia præcepta non sint illæ partes, nisi in quantum partes Missæ; sic enim & non aliter merentur nomen Missæ, quo utitur Ecclesia in suo præcepto.

230. Objectio. Dices, qui excusatur à præcipua parte Horarum Canonicarum, non propterea excusatur à reliqua: ergo pari ratione, qui excusatur à præcipua parte Missæ, non ideo excusatur à reliqua.

Responsio. Excusatus à præcipua parte Horarum excusatur à reliqua, Respondeo Negando Antecedens, si intelligas de præcipua parte singularum Horarum. Et ratio est superiùs tacta; quia videlicet unaquæque Hora præcipitur ut quædam actio perfecta, & ideò si non possit recitari, ita ut nomen illud mereatur, non nascitur, aut remanet obligatio illam recitandi. Porrò minor pars Primæ non potest dici Prima, sed oportet, ut saltem præcipuæ, & quasi substantiales partes recitentur. Unde tametsi quis ex singulis Horis posset aliquas partes minùs principales legere, estò etiam omnes simul sumptæ facerent partem notabilem Officii, equidem non teneretur legere.

Intelligendo de præcipua parte singularum Horarum,

231. etsi illam omittens sine causa graviter peccaret. Nec obstat, quòd qui illas omitteret sine causa, peccaret graviter; nam hic potest eas legere per modum Canonici Officii adjungendo cæteris partibus; ille autem non. Præceptum itaque est recitare divinum Officium, idque integrè: contra illud præceptum facit posterior; secùs prior.

Impotens recitare Matutinum forte tenetur ad Primam. An autem qui non potest recitare Matutinum v. g. teneatur Primam legere, si commodè possit, fortè quòd sic; quoniam singulæ Horæ sunt per se Officium divinum, & per modum illius dici possunt, quamvis omnes simul constituant unum Officium integrum, quod præcipitur per unicum quidem præceptum formale & totale; attamen per multa partialia & virtualia.

Ex quo citiùs cognoscitur disparitas inter 232. auditionem Missæ, & recitationem Horarum Canonicarum; siquidem præceptum Missæ unicum est, formale & virtuale; & ideo qui excusatur à principaliori parte, excusatur à toto, juxta illud communiter receptum: *Maior pars trahit ad se minorem*, argumento leg. *Quod maior pars.* 19. ff. Ad municipalem, ubi sic dicitur: *Quod maior pars Curiæ effecit pro eo habetur, ac si omnes egerint.* Et cap. 1. De His quæ fiunt à majori parte Capituli; ibi: *Cùm in cunctis Ecclesiis quod pluribus & saniori-bus Fratribus visum fuerit incunctanter debeat observari.* Et infrà: *Quocirca præsenti Decreto statuimus, ut nisi à paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter obiectum fuerit & ostensum, appellatione remotâ prævaleat semper & suum consequatur effectum, quod à maiori & saniori parte Capituli fuerit constitutum.* Sed de his plura alibi.

Disparitas inter auditionem Missæ & Horas Canonicas.

1. 19 ff. Ad municipalem.

Cap. 1. de His quæ fiunt &c.

Certè invehiuntur, qui existimant, excusatum à majori parte omnium Horarum copulatim, à singulis liberum esse, tametsi commodè aliquam integram Horam posset recitare: pro qua sententia communiter citatur Navarrus De Oratione cap. 11. n. 15. 233.

Nihilominus puto commodè eum posse intelligi de Horis singulis disjunctivè; sic enim ait n. 16. in fine: Et consequenter (scilicet ad præceptum Missæ) licèt præceptum de Horis dicendis obliget ad dicendam partem earum majorem, si eam dicere potest, estò non posset totas; non tamen obligabit ad dicendas particulas aliquas earum, quas dicere potest, si alias totas non posset, quia præcipiens hoc non intendit.

Quorundam sententia dicentium excusatum à majori parte Horarum copulatim, à singulis liberum esse. *Navarrus.*

Hæc de prima difficultate. Propono secundam, quæ imponet finem huic disputationi, & quæro, an excusatus ab auditione Missæ diebus Dominicis, & Festivis, teneatur ad orationem privatam, concionem, dilectionem Dei super omnia, aut alia pia opera? Responsio erit

CONCLUSIO XV.

Excusatus ab auditione Missæ diebus Dominicis & Festivis, nullo jure tenetur ad orationem privatam, concionem, dilectionem Dei super omnia, contritionem: aut alia pia opera,

EST communis: quo enim jure teneretur? Non naturali, ut patebit ex dicendis. Non etiam jure divino positivo, siquidem ubi illud exstat? Et simili modo argumentari possumus 234. Probatio Conclus.

de jure humano ; præsertim cùm consuetudo & praxis ab omnibus, etiam timoratis, recepta, nullam hujusmodi obligationem agnoscat.

obstare videtur Scotus,

Solùm obstare videtur auctoritas Doctoris Subtilis 3. dist. 9. q. unicâ n. 5. in fine, & dist. 27. q. unicâ n. 18 Primo loco sic ait: *Et si aliqua necessitas excuset ab executione hujus actûs, quem determinavit Ecclesia, necesse est implere illum in aliquo æquivalente, ut saltem die illo, specialiter deputato cultui divino, aliquis actus habeatur relatus immediatè in Deum ad eius reverentiam.*

Quis autem sit ille actus, videtur specificare postremo loco dicens : *Illud præceptum affirmativum Deut. 6. & Matt. 22:* Diliges Dominum Deum tuum &c. *non tantùm obligat semper ad oppositum fugiendum, ne scilicet insit actus odij ; sed obligat pro aliquando ad actum illicitum, quia ille actus est circa finem, ex cuius bonitate descendit omnis bonitas moralis in actibus, qui sunt ad finem. Sicut igitur homo tenetur habere aliquem actum virtuosum, ita tenetur habere aliquem actum illius præcepti circa finem gratuitè diligendum. Quando autem sit hoc, fortè determinavit hoc illud præceptum divinum.* Sanctifica Sabbatum. *Et*, Maneat unusquisque apud se, *id est, recolligendo se, & ascendendo ad Deum suum. Et Ecclesia specificavit quantùm ad Missam audiendam in die Dominico de Consecrat. dist. 1. cap. Missas.*

asserens tunc esse obligationem diligendi Deum ;

Ergo juxta mentem Scoti, quando legitimum fuerit impedimentum audiendi Missam, saltem erit obligatio diligendi Deum super omnia ex illo præcepto divino, *Diliges Dominum Deum tuum &c.*

235. sed tantùm loquitur dubitativè.

Respondeo; Scotus in hoc secundo loco nequaquam loquitur assertivè, sed dubitativè, ut satis significat ly *Fortè* ; & meritò sic locutus fuit : quoniam aliis actibus tum internis, tum externis potuerunt Judæi Sabbatum sanctificare ; atque indubiè sanctificarunt per abstinentiam ab operibus servilibus, & oblationibus suorum Sacrificiorum.

In Scriptura sacra ubi præcipitur sanctificatio Sabbati, nulla fit mentio dilectionis. *Exod* 20.

Profectò in Scriptura Sacra, ubi Dominus præcipit sanctificationem Sabbati, nulla fit mentio dilectionis Dei super omnia, sed abstinentiæ tantùm ab operibus servilibus, si sonum litterarum attendimus. Nam cùm Exod. 20. v. 8. dictum fuisset : *Memento ut diem Sabbati sanctifices*, continuò subjungitur v. 9. & 10. *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui est : non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, servus tuus & ancilla tua, iumentum tuum & advena, qui est intrà portas tuas.* Nihil autem dicitur de eliciendo actu charitatis.

236. *Exod. 6.*

Similiter cap. 16. post illa verba v. 29. *Maneat unusquisque apud semetipsum*, illicò attexitur : *Nullus egrediatur de loco suo die septimo* ; scilicet ad colligendum manna, utì priùs aliqui de populo fecerant. Et v. 23. sic ait Moyses ad populum : *Hoc est quod locutus est Dominus: Requies Sabbati sanctificata est Domino cras : quodcumque operandum est facite, & quæ coquenda sunt, coquite.* Quasi diceret : Hæc est requies Sabbati non operari, etiam ea quæ ad vescendum pertinent.

Et quamvis credibile sit in hac sola negatione non fuisse observationem illius præcepti, *sed*, ut ait Scotus in primo loco, *in actu positivo, in sanctificando, id est, magnificando Deum*, unde constat quòd ille actus debuerit esse dilectio Dei super omnia ? Nonne in lege nova sufficit auditio Missæ ? Et quotusquisque audit Missam ex vera dilectione Dei super omnia ? Ex mille fortè non unus, & tamen omnes satisfaciunt præcepto divino de sanctificando Sabbato, & præcepto Ecclesiæ de audienda Missa.

Interim cùm nullum aliud tempus certum pro adimpletione præcepti charitatis inveniatur designatum, & illud tempus specialiter sit deputatum ad cultum divinum, qui cultus maximè consistit in actu dilectionis super omnia, congruenter asseruit Scotus, fortè tunc esse obligationem ad illum actum, etiam quando aliunde non excusor ab auditione Missæ. Quod Franciscus del Castillo de Virtutibus Theologicis disp. 4. de præceptis Charitatis q. 1. n. 10. intelligit de primo actu Charitatis, id est, quando homo numquam elicuit actum charitatis. 237. Sententia Franc. del Castillo.

Probat primò ex fine extrinseco Dei præcipientis; quia sanctificare Sabbatum sicut decet, sicut ex divina ordinatione importat ipsum Deum adorare, quod præstatur à nobis in Missa, quando Corpus & Sanguinem ejus adoramus, & Judæi ipsum adorabant in oblationibus suorum Sacrificiorum, ita importat ex divina ordinatione, ipsum amare super omnia, si aliàs numquam quis illum super omnia, & propter se amavit ; non enim est major ratio unius quàm alterius. Probatur primo.

Sed hæc probatio in duobus deficit: nam inprimis finis extrinsecus Legislatoris non cadit sub legem, ut communiter sentiunt Doctores, & ipse Dicastillo insinuat, quando in secunda probatione, meliori, ut vocat, quam mox adjungemus, fatetur hoc præceptum ; *Sanctifica Sabbatum*, posse secundùm substantiam adimpleri, absque adimpletione præfatæ dilectionis. 238. Hæc probatio in duobus deficit.

Secundò, major ratio unius, quàm alterius est, voluntas Legislatoris, qui adorationem suam determinavit ad diem Sabbati ; porrò amorem præcepit exhiberi quocumque tempore opportuno.

Quod probè intelligens præfatus Auctor: Melius, inquit, probatur hæc sententia ex eo, quòd per hoc præceptum : *Sanctifica Sabbatum*, assignatur tempus opportunum diligendi Deum super omnia, sicut & ipsum adorandi; ergo & assignatur tempus necessarium adimplendi- 239. alia probatio quam sustinet Auctor.

plendi hoc præceptum, si aliàs non est adimpletum: ergo tunc obligat ex fine intrinseco ipsius præcepti, ratione præcepti dilectionis Dei, licèt non ratione sanctificationis Sabbati, siquidem hoc secundùm substantiam potest adimpleri absque adimpletione præfatæ dilectionis.

Itaque ex diversis verbis constat præceptum dilectionis, & tempus, in quo est necessariò adimplendum. Nam primum constat ex illis: *Diliges Dominum Deum tuum* &c. Et secundum constat ex illis: *Sanctifica Sabbatum*; quia hoc non sanctificatur in eo, qui numquam elicuit actum dilectionis Dei, si in tali die non elicit prædictum actum. Hactenus Dicastillo.

240. quæ etiam impugnatur.

Sed contrà; si præceptum sanctificationis Sabbati secundùm substantiam potest adimpleri absque adimpletione præfatæ dilectionis: quomodo verum est, Sabbatum non sanctificatur in eo, qui numquam elicuit actum dilectionis Dei, si in tali die non elicit prædictum actū? An fortè implet præceptū sanctificationis secundùm substantiā, qui non sanctificat?

Sanè quodcumque tempus, in quo sufficienter proponitur Deus ut summè amabilis, opportunum est, immo fortè necessarium adimplendi præceptum Charitatis, si aliàs non est adimpletum. Planè autem per accidens est, quòd hoc fiat in die Dominico; nec puto quempiam posse expectare diem Dominicum ad satisfaciendum huic præcepto dilectionis, cui ita Deus proponeretur die Lunæ v. g. aut Martis, aut Mercurii.

241. Quæ fuerit mens Scoti,

Cæterùm manifestum est Doctorem Subtilem non posse intelligi, quidquid dicat ille Auctor, de primo actu dilectionis, ut patet ex postremis ejus verbis: *Et Ecclesia specificavit quantùm ad Missam audiendam in die Dominico:* non in uno die Dominico, sed in omnibus totius anni: ergo non pro uno actu, seu primo actu diligendi, sed pro frequentia actuum dilectionis. Neque enim tantùm semel in vita obligat præceptum dilectionis, sed sæpiùs, ut communiter docent Theologi, quamvis omnino efficaciter non possit probari.

die Dominicâ non est præcepta Dei dilectio.

Ut ut sit de hac re, sive præceptum dilectionis dixeris obligare tantùm semel in vita, sive frequentiùs, videlicet singulis diebus Dominicis, aut alio tempore indeterminato; nimis verum est millenos & millenos homines fortè nec ullo die Dominico totius anni elicere actum dilectionis Dei super omnia, quos tamen nemo ideo arguit de peccato, sive contra præceptum dilectionis, sive contra præceptum auditionis Missæ.

242. An Ecclesia actum dilectionis commutasse.

Dicere autem, Ecclesiam actum dilectionis commutasse in auditionem Missæ, vel potiùs determinasse ad auditionem Missæ, ex quocumque demùm motivo extrinseco proveniat, ut sic esset, quid tum? Ergo qui excusatur ab auditione Missæ, tenetur implere illum actum in aliquo æquivalente, v. g. elicere amorem Dei super omnia; Nego Consequentiam. verit in auditionem Missæ?

Immo oppositum magìs sequitur, scilicet, ergo excusatus ab auditione Missæ, non tenetur ad actum dilectionis Dei super omnia; etenim suppositâ illâ determinatione Ecclesiæ, cessat obligatio præcepti divini, quæ anteà erat indeterminata: ergo qui excusatur ab obligatione ab Ecclesia determinata, ad nihil ampliùs obligatur, quoniam obligatio indeterminata nulla est, quousque accesserit determinatio. Hâc commutatione admissa excusatus à Missa, non obligatur ad dilectionem.

Sicuti si quis vovisset actum aliquem bonum in genere, determinandum v. g. à Petro, & Petrus determinasset eum ad auditionem Missæ; numquid excusatus legitimè ab illa auditione, ad quidpiam æquivalens obligaretur ex vi voti sui? Minimè. Probatur à simili.

243. Aliud simile.

Similiter, Superior commutavit votum meum v. g. jejunii in auditionem Sacri; nùm excusatus ab auditione Sacri teneor servare jejunium, si com[illegible] possim? Omnes negant: quoniam [illegible]utationem, obligatio prioris voti omnino est exstincta, adeoque non potest revivisсere nisi per novam voluntatem voventis; argumento cap. 29. *Si illic* 23. qu. 4. ibi: *Si illic ubi hæc acta sunt, præsentibus utrisque constiterit & satisfecisse Stephanum, & supplicatione suscepta eum, qui male tractatus est, ignovisse, semel in oblatione remissa punitio, recidivo dolore non debet iterari.* Clariùs Lege, *Qui res* 98. ff. de Solut. §. *Aream*, ibi: *Nec admissum est quod Celsus ait, si idem rursus lege aliquâ servus effectus sit, peti eum posse; in perpetuum enim sublata obligatio, restitui non potest.* Cap. 29. 23. q. 4. L. 98. ff. de Solut.

Consimiliter ergo obligatio ad alios cultus divinos, ex præcepto divino indeterminato debitos, in perpetuum quasi sublata per præceptum audiendi Missam, restitui non potest, vel ad aliud quidpiam determinari, nisi per voluntatem Ecclesiæ. Porrò Ecclesiam voluisse Fideles obligare in defectum Missæ ad aliquem actum, sive cultum, internum, vel externum, nullum est indicium.

244. Solvuntur jura in contrarium.

Nam jura, quæ in contrarium possent adferri, loquuntur generaliter, & videntur præcipere præter auditionem Missæ, privatam orationem, & concionem; non autem in defectum Missæ, de quo particulari casu hìc solùm tractamus. Dico, *Videntur præcipere*, quia reverà non præcipiunt, ut bene ostendit Suarius tom. 1. de Religione lib. 2. cap. 16. sed consulunt quod optimum est. Suarius.

Unde non est audiendus Marchantius to. 2. Tribun. tract. 4 tit. 2. q. 4. conclus. 2. quæ talis est: Ex præcepto divino primævo: *Memento ut diem Sabbati sanctifices*, tenetur qui Missam non audit in die Dominica, Deum Sententiâ Marchantii.

speciali cultu colere. Et conclus. 3. sequentis tenoris: Qui nullo cordis motu vel cultu Deum in Dominica colit, peccat mortaliter. Non est, inquam, in his audiendus ille Auctor; quoniam contradicit communi sententiæ absque solido fundamento. Quod enim illud esset?

245. Ejus fundamentum.

Præceptum, inquis, divinum morale & naturale de colendo Deum unâ die ex septem, quod à principio creaturæ semper sic intellectum. Unde tum in veteri Synagoga, tum in Ecclesia Christiana pro communi populo ritus singulares determinati erant, qui quidem ita communiter observabantur, ut tamen casu quo illi non observarentur, nil demeretur de substantiali ratione præcepti, quæ erat aliquem cultum Deo impendere istâ die. Ita Marchant. Sed hæc vera esse, neque Scriptura sacra proloquitur, neque Traditio. An fortè sic intellexerunt Sancti Patres & Concilia?

An SS. PP. agnoverint præceptum divinum colendi Deum unâ die ex septem?

Sic intellexerunt, inquit prædictus Auctor, Sancti Patres, qui passim dicunt, hominem illam diem debere expendere in operibus divinæ laudis, & salutis. Expresse Sanctus Gregorius lib. 11. Epistolâ 3. ad Cives Romanos: *Dominico* (ait) *die à labore terreno cessandum est, atque omni modo Orationibus insistendum, ut si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem Resurrectionis Dominicæ expietur.* Et Sanctus Augustinus Serm. 251. de Tempore: *Observemus*, inquit, *diem Dominicam Fratres, & sanctificemus illam, sicut Antiquis præceptum est de Sabbato* &c. Et infrà agens de iis, qui non possunt venire ad Ecclesiam, ut cum aliis orent. *Qui verò*, inquit, *hoc non potsit, saltem in domo sua oret, & non negligat Deo solvere votum, ac reddere pensum servitutis.*

S. Gregor.

246. An Concilia agnoverint?

Videatur & Concilium Matisconense secundum sub Guntrano Rege, & Pelagio II. Pontifice can. 1. ubi postquam prohibuit servilia opera: *Estote*, inquit, *omnes hymnis & laudibus Dei animo, corporeq; intenti. Si quis vestrum proximam habeat Ecclesiam, properet ad eandem, & ibi die Dominico semetipsum precibus lachrymisq; afficiat, sint oculi, manusq; vestræ toto illo die ad Deum expansæ.* Hucusque Marchantius.

Exponuntur Concil. & PP.

Respondeo: Canon ille, aliique similes vel intelliguntur de Orationibus, quæ in ipsa Missa fiunt, vel continent consilium, non præceptum, aut certè indicant finem præcepti extrinsecum, qui finis non cadit semper sub præceptum. Consimiliter explicari possunt & debent dicta Sanctorum Patrum.

247. Præceptum divinum colendi Deum non obligat semel in septimana:

Et verò licèt nullatenus inficiar, sed lubens admittam, dari aliquod præceptum divinum naturale de colendo Deo; equidem quòd illud obliget, idque sub mortali, unâ die ex septem, secluso alio quocumque præcepto positivo superaddito, haud facilè quispiam mihi persuaserit.

Quæ enim ratio hujusmodi obligationis? An quia sex diebus Deus perfecit opus creationis, & septimo die requievit ab omni opere, illumque sanctificavit? Sic enim legimus Gen. 2. cap. v. 1. 2. & 3. *Igitur perfecti sunt cœli & terra, & omnis ornatus eorum. Complevitq; Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus ut faceret.*

Contrarium non probatur ex Scriptura Gen. 2.

Hæc quidem ratio probat; oppidò convenire, ut in memoriam tanti beneficii, Deum colamus unâ ex septem diebus, & ideo Deum in veteri Lege, Ecclesiam autem in nova Lege, meritò unam diem designasse, in qua quilibet teneretur, etiam sub mortali, colere Deum certo aliquo ac determinato cultu; interim tamen si quis ante Legem veterem, in qua primò lata fuit lex de sanctificando Sabbato, coluisset Deum singulis tantùm octiduis, aut decem diebus, nescio quomodo ex illa ratione convinceretur reus peccati mortalis.

Quid ergo ad Scotum 3. dist 9. qu. unicâ n. 5. Respondet Scholium præfixum num. 4. Doctorem loqui de congruitate, non de necessitate stricta præcepti. Ita Ovando hic a. 2. in fine: & Angles 4. q. de contritione art. 5. Legi Angles loco citato, ubi nulla fit mentio congruitatis, sed solùm dicitur, quòd Scotus dubitans loquatur. Interim æquivalens illud nimis incertum est & vagum, ut de ipso ferri possit, vel latum censeatur aliquod præceptum strictè obligans, saltem Ecclesiasticum; nam Ecclesia solet præcipere materiam certam & determinatam, ut patet ex omnibus præceptis.

248. Explicatur Scotus de sola congruitate.

Ovando, &c.

Cùm ergo Scotus non assignet aliquod determinatum æquivalens, signum est, quòd non loquatur de stricta obligatione legis Ecclesiasticæ, sed solùm de magna congruitate, utique propter præceptum divinum, quod obligat ad aliquando Deum colendum, & ad quod adimplendum dies Dominicus, utpote specialiter ad Dei cultum deputatus, maximè est opportunus.

Sed dicet aliquis; ly *Necesse est*, quo utitur Scotus, æquipollet verbo præceptivo. Fateor, & ideo communiter significat strictam obligationem; equidem fieri potest ut propter materiam subjectam, quæ non est capax strictæ obligationis, vel aliam circumstantiam, solùm importet congruentiam sive congruitatem.

249. Objectio solvitur.

Veluti estò verba præceptiva in actu exercito, qualia sunt: *Fac, Faciant, Nemo audeat*, & similia de se sufficerent ad constituendam legem propriè dictam, ut putat Suarez lib. 3. de leg. cap. 15. nu. 8. nihilominus ex materia subjecta & aliis circumstantiis fieri potest & de

de facto sæpiùs fit, ut non significent rigorosum præceptum, sed tantùm saluberrimum consilium.

250. Sententia Poncii.

De cætero putat Poncius in suo Commentario ad illa verba Scoti, magìs consonum esse menti ipsius, quòd intelligantur de necessitate præcepti, ita, inquit, ut qui id non faceret, peccaret: nam ipse putat determinatum esse diem Dominicum pro observantia hujus præcepti affirmativi: ergo unusquisque, qui eo die poterit illud observare, tenebitur, & si non poterit ipsum uno modo observare, nempe audiendo Sacrum, debet alio modo si poterit. Hæc ille.

Dico ego, ut hæc esset mens Scoti de die Dominico, attamen non de aliis diebus Festivis, de quibus etiam loquitur nostra Conclusio, nullatenus autem Scotus; ut patet ex textu. Interim communior sententia negat strictam obligationem etiam in die Dominico; nec puto Confessarios in Confessionibus, neque Concionatores in Concionibus de hac obligatione proponenda suis pœnitentibus vel auditoribus multùm esse solicitos; quamvis alioquin optimum consilium sit non solùm diebus Dominicis & Festivis, sed etiam ferialibus Missæ Sacrificio, aut alio actu adorationis colere Deum, cui sit honor & gloria per infinita sæculorum sæcula AMEN.

AD MAJOREM DEI,

DEIPARÆ IMMACULATÆ CONCEPTÆ

AC SERAPHICI PATRIS NOSTRI

FRANCISCI

GLORIAM.

PRIVI-